



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Secvnda Pars Mirabilis Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar

Puente, Luis de la

Pragæ, 1688

Liber Secundus. Ardens hujus Virginis charitas erga proximos, & cœlestis
doctrinæ monita, quæ nobis reliquit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38666

LIBER SECUNDUS.

Ardens hujus Virginis charitas erga proximos, & cœlestis Doctrinæ monita, quæ nobis reliquit.

Suavissima magni DEI nostri, & Domini benignitas in eo potissimum elucet, quod instanter, quin imò cupidissime, mutua à nobis expetens dilectionem, toties unicum, sed et videns legitimorum, quibus ipsum amamus, affectuum statuat indicium, si iidem tenere erga proximos nostros charitatis producant effectus. Divina Bonitas non aliter se in ipso amoris scœnore, quod admodum a-vide à nostris exigit cordibus, nostri studiosior commodi, quam proprii sui emolumenti, videtur potuisse melius manifestare, quam dicendo nobis, satisfieri sibi pro debitis nostris, dummodo nobis in vicem reciproce impendamus opera charitatis. Cùm itaque perfectio amoris, erga DEVM, in Venerabili Marina altissimum attigerit apicem, quemadmodum in primo Libro dictum fuit, necesse erat, charitatem ipsius erga proximos adeò esse eximiam, ut in oculis incurrens probaret, illud pectus esse Divini Amoris ustrinam, in qua tam ardentia potuerint desideria, tam proficua proximis opera procudi. Hujus veritatis heroica in hoc secundo libro adferemus exempla. Quia verò non minus prodest, quod in quorundam agitur commodum, quam data ipsis documenta adferant utilitatis, addemus insignibus hujus prodigiosæ Virginis operibus, admirabilem ejusdem doctrinam, quam à DEO per symbola, & verba haustam, pro communi omnium Fidelium hereditate, atque ad perpetuum vitiorum & perfidiæ dedecus, conscripsit.

CAPUT I.

Venerabilis Marina erat animabus mediatrix, ad obtinendos divinos favores, & scutum, pro evitandis ingruentibus ex cœlo supplicijs.

Inscrutabilia sunt judicia Dei, & admirabiles viae. Qui solitariam vidisset Virginem in angulo humilis domus delitescentem; annis gravem, quia plus quam septuagenariam, continuis afflictam morbis, & acerbissimis doloribus, adeò ut ultra triginta annorum spatium, non posset è paupere lecto consurgere; omni alio in suis necessitatibus destitutam subsidio, praterquam eo, quod illi devotarum quarundem personarum subministrabat benignitas: Hacne, dixisset,

xisset, est illa, per quam Deus sua in mundum derivat beneficia? hæcne anicula imbecillis est una ex robustissimis Ecclesie columnis? illane contracta manus cohibent ictus, & eripiunt gladium Divinae Justitiæ, dum vel maxime irascitur, ut sumat vindictam de peccatoribus? sub iisne pedibus, qui jam nequeunt extenuatissimum sustinere corpus, prostrati gemunt demones, dum frustrata vident sua proposita, disturbatas machinationes ad persequendos homines? Nemo id videtur potuisse asserere, quod nihilominus effigere scivit Deus, qui sibi semper honori ducit, ut auctorem se prodigiosorum demonstraret operum; adhibitis debillimis instrumentis, ad ostentandam suam gloriam, & conciliandam sanctitati estimationem, facile hæc admiranda reddendo credibilia scienti, Deum qui dedit suum filium, ut pretium esset animarum, ipsidem cætera daturum omnia, & parvi estimationum universa, ut illas exalteret, si heroicis exercendo virtutes, exquisitissimis amabilissimi sui Domini gratias respondeant. Ad id se Venerabilis Marina disposuit, prout tum in primo libro hujus secunde partis, tum per totam historiam ipsius partem primam vidimus. Ideoque minime mirum est, quod illam DEUS in utilitatem proximorum, & pro innumerabilium animarum commodo constituerit in gazophylacio sue Misericordiae thesaurariam, in tribunali sue Justitiæ advocatam. In quodam scripto suo, mense Septembri, anni sexcentissimi vigesimi quarti, sic ait.

Vehementer erubescens, quod me tot viderem obnoxiam defectibus, plenam imperfectionibus, longèque magis obstupescens, quod Divina Majestas tot ac tantas dignaretur exhibere misericordias tam indignæ creaturæ, multum inlumpseram temporis meæ consuetæ orationi quando me adverti esse constitutam in actualissima Triunivium Domini Dei nostri præsentia. Vidi prodeuntem velut ex dextero latere Patris Æterni Sanctissimum ipsius Filium, Christum JESUM Servatorem nostrum, circumdatum ab innumeris Angelis, adorantibus illum, & comitantibus. Veniebat hic Dominus demonstrans majestatem veri Regis, tum vestitu, tum pretiosâ coronâ, quam in sanctissimo suo capite ge-

rebat. Idem Dominus descendit per dices quasi gradus gloriosissimos, & comparens coram suo Patre Æterno, sese in ijs prostravit, exhibendo ipsi, in quantum est homo, hanc profundissimam reverentiam. Sacratissimus ejus Pater illi quàm amantissimè est bene precatus, dixitque continuo toti illi cœlesti Aulae: Hic est Filius meus dilectissimus, in quo mihi multum complacui: adorate ipsum & honorate, tanquam Regem ac Dominum vestrum. Simul ac id fuit à Divina Majestate dictum, omnes ij Beati Spiritus se prostraverunt, exequentes magnâ veneratione, & voluptate, quod ipsis mandabatur. Surrexit deinde Christus Dominus noster, & intra illam Angelorum infinitatem, qui ipsam cœlesti musicâ laudabant, cepit cum gravissima majestate paulatim mihi appropinquare. Fui notabiliter turbata, eo quod sit incredibilis magnitudo gloriæ, quâ mihi Dominus in hac visione præbuit spectandum. Postquam ad me accessit, Sancti Angeli ipsi admirandum adornaverunt thronum, & Ejus Majestas in eo sedet, superponens fulcris sellæ suas sanctissimas manus, in quibus cum magno meo stupore conspexi recentissima, & pulcherrima signa vulnerum. Summus, ut dico, fuit meus timor ac turbatio, & Divina Majestas mihi dixit: Nè timeas, Anima, neque turberis: ego enim sum Deus, & tuus Dominus, qui pro te est mortuus in cruce, & unquam profudit sanguinem, noli timere. Mea anima auditis his verbis conquiescit nihilominus rogavi illum submisce, ut mihi daret facultatem recurrendi via solida ad Deum. Per me licet, dixit idem Dominus. Unde collegi me quantum potui, & sepositis omnibus figuris imaginariis, defixi cor in Deo: perivi maximo affectu, ut mihi impertiretur lumen ad cognoscendas suas veritates, cæque venerandas.

Dum id instanter postularem, decessit me deprehendi in conspectu Majestatis Christi Domini nostri, prout antea, & semper magis obstupescens. Observa, Anima, agebat tum Dominus, quod tibi iam dicturus. Scito, me ex Divino Patris mei æterni mandato missum, ad dicendum tibi

ut intelligas, Divinam ipsius Majestatem esse graviter offensam multis & magnis peccatis, quæ à Christianis committuntur, à quibus ira illius est magnopere irritata, & Divina ejusdem Justitia rigidissimas ipsi intentat penas. Licet verò sit verum, multos reperiri illum amantes, eique ex corde servientes; magnus tamen est eorum numerus, à quibus offenditur, & vilipenditur. Roga tu Deum, ut mitiget suam iram: magna siquidem urget necessitas. Mea admiratio augebatur, dum audirem hæc dici à Sanctissimo Salvatore nostro, & nullo verbo pronuntiato aiebam intra meam animam: Quid est hoc, mi Deus, & mi Domine? Agis advocatum peccatorum ad dexteram tui Patris, & dicis miserabili forniculæ, ut roget Deum, quò mitiget suam iram? Quia verò idem Dominus intima cordis mei videbat, dixit mihi subito: Bene est, Anima; intermitte nunc alia, & exequere, quod tibi dixi, atque particulatim exponam. Curabis intra novem dies celebrari novem Missas. Primæ tres erunt de Sanctissima Trinitate, in quarum singulis suo ordine rogabitur quævis ex tribus Divinis Personis, ut miseretur sui populi Christiani. Quarta missa erit de assumptione Sanctissimæ mæe Maris, ipsa adhibita in advocatam, ut Deus reconcilietur. Ex cæteris quinque Missis prima applicabitur pro statu Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, cujus petetur conservatio, & propagatio: altera pro existentibus in statu gratiæ, ut in ea se conservent & crescant: tertia pro constitutis in peccato mortali, quò suam ipsis Deus det gratiam, ut ex eo evadant: quarta pro Judicibus Rerum publicarum Christianarum, ut administrent justitiam: postrema erit pro animabus Purgatorij. Has novem missas audies devotè, & in ijs reficiaris sacra Eucharistiâ, offerendo pro istis necessitatibus sacram Communionem: quidquid præterea his diebus feceris operum spectantium ad divinum obsequium, quidquid etiam per eos fueris passa, dirigetur ad hunc finem. Conaberis toto hoc tempore specialissimâ curâ versari in præsen-

Vita Mar. de Esob. Pars II.

tia Dei, orando pro his necessitatibus: abstinebis quàm maximè poteris à conversatione cum proximis, ut plus tribuas spatij istis exercitijs: quamvis enim per illam nõ impediatis, nunc tamen id fieri vult Deus, excepto casu quopiam profus singulari, ac necessario, & accedente mandato tuorum Confessoriorum. Atque ut tua oratio sit efficacior, & majorem vim habeat, voluit Divina Majestas, ut te ego ipse accederem, ad intimandas tibi has necessitates, & sanctissimæ ipsius voluntatis placitum.

Mea anima audivit hunc sermonem, quem Deus ipsius ad illam habuit; respondi, me summa cum diligentia, quam, opitulante ejus divinâ gratiâ, adhibere poterò, omnia mihi injuncta impleturam. Bene est, Anima, dixit Dominus, nunc vale: prius tamen te volo consolari, dando tibi meâ manu preciosum munus; idque dicendo imposuit suam Divinam manum in sinum, velut sub vestem, & exemit nummum instar coronati, ex purissimo factum & splendidissimo auro, in cujus una facie erat ad vivum effigiatus ipsius vultus, & in altera scriptum sanctissimum ejusdem nomen, dixitque mihi: Accipe, Anima, hunc nummum aureum, qui erit epithema corroborativum tui cordis. Reluctabar vehementer, & non audebam preciosum illud emelium suscipere ex manu mei Domini. Eiusdem autem Majestas tum, visâ meâ verè recundiâ, surrexit ex sua sede, & accedens ad me imposuit suâ sacratissimâ manu illum aureum nummum in meum sinum, qui statim mirabiliter penetravit ad meam animam, deditque mihi suam sanctissimam benedictionem. Postea impositâ eâ suâ sanctissimâ manu meo capiti, reliquit in illo lucidissimum splendorem, qui diu duravit, adeò ut à meis oculis non posset sustineri. Tandem mihi porrexit osculandam suam sanctissimam manum. Attigerunt illam mea labia, & cum is contactus ad summam excitaret devotionem ac reverentiam, clarè anima mea cognovit, eam manum verè esse carneam, & intellexi à Domino,

Dd

præ-

præstitam mihi ab ipso fuisse hanc gratiam, ut experiret, esse verum, Eiusdem Majestatem esse ipsummet Dominum nostrum JESUM Christum, verum Deum & Hominem. Sedit rursus Divina Majestas, & dixit mihi: Anima, pro majore solatio tuo ac devotione tibi gratificabor, attingendo his meis manibus, & istis meis vulneribus aliquas tuas corollas precatorias. Non habebam tum eas apud me, ideoque cum mea magna verecundia & erubescencia respondi: Mi Deus, nullæ adfunt: verum ubicunque fuerint, poteris illis conferre virtutem, mihique istam gratiam præstare. Expone eas, subjunxit Dominus, volo enim, ut sic fiat, & videas, quomodo à me attingantur. Feci, quod eram iussa à Domino, exemi inde corollas, ubi erant repositæ, non absque insigni mea confusione & admiratione, dum tam immensam viderem benignitatem. Dominus illas apprehendit suis sacratissimis manibus, atque atrectavit cum gravissima majestate, & attigit suis preciosis vulneribus, ac deinde mihi reddidit, quas cum magna mea consolatione sum osculata, & applicui meis oculis. Hoc facto Dominus abivit, comitante ipsum eâ infinitâ multitudine Angelorum illi inservientium, eundemque adorantium.

Mansi summo perfusa gaudio, quamquam aliquomodo metuens, propter admirabilitatem, & novitatem tanti mysterij. Considerabam partim hæc opera potentiae, bonitatis, & sapientiae nostri magni Dei, partim verò mecum ipsa disceptabam, perpendens quàm essent mirabilia. Estne possibile, inqueiebam, quòd Deus Dominus noster tale aliquid faciat? ut suum Sacratissimum Filium JESUM Christum Dominum nostrum, illum ipsum, qui sedet ad ejus sanctissimam dexteram, advocatum agens peccatorum, ad vilissimam mittat creaturam, qualis ego sum? estne id possibile. Tamen verò hæc omnia dicerem, non dubitabam, quia dubitare non poteram, quin esset verum, quidquid acciderat. Nihilominus mea anima perplexa præ admiratione erat velut attonita. Diu inhærebam isti considera-

tioni, quando mihi Dominus, quasi misericors, quædam amantissimè dixit, concernentia doctrinam fidei, de ipsius mysterijs (qualia mihi etiam in hujusmodi occasionibus, quas alibi retuli, alias dixerat) ipsèmetque, utpote clarissimis sue potentiae & charitatis exemplis, me penitus reddidit quietam, ac summo replevit solatio. Sit millies benedictus. Amen.

Initio sequentis anni, sexcentissimi viginti quinti, Deus ipsi indicavit tot bella, quæ postea hic sumus experiri, & quid suis effugere deberet precibus, nè infernis propositorum suorum rabiem exequeret per hæreticos. Describit visionem his verbis.

Agebam aliquando istis diebus mecum Deo, recitando nonnullas preces, quas ab ejusdem Majestate fueram doctus, & audivi illum cum quadam festinatione, quamvis gravissima, mihi dicentem: Veni huc, Anima, veni, & videbis quod tibi volo ostendere. Respondi illi humiliter: Statim ibo, mi Domine, statim ibo, postquam perolvero has tuas preces: & mea anima persistebat in ijs finiendis. Dominus autem mihi denuò dixit: Age, Anima, veni mecum: volo namque ut quantum primùm videas, quod tibi repræsentabo. Non potui obniti, & antequam complerem preces, Divina Majestas mihi exhibuit spectandas quasdam regiones, multum ab eo loco, in quo eram, ut mihi videbatur, distantes, dixitque: Aspice Anima, hanc multitudinem meorum Angelorum, qui obeunt omnes istas provincias, & imperia Regum Catholicorum. Mea anima aspexit, sicut fuerat iussa à Domino, & vidit infinitos Angelos mitum in modum speciosos, armatos instar generalium militum, sclopiis & bipennis, peragrantes omnia illa regna. Ibant tanquam valde procul profecturi, explodendo sclopos, quorum sonus etiam esset terribilis & vehemens, aliunde nihilominus etiam suaviter, & jucundus auditui animæ. Intulisti, id esse symbolum benignitatis & misericordiae Divinæ. Sic procedentes locis collocaverunt in medio eorum omnium regnorum, exprimentes figuram crucis, statimque summo ordine bini sunt progressi.

rectâ tendentes ad locum, ubi ego eram, & illuc pervenientes eodem ordine me præteriverunt, atq; ascenderunt in altum, per quosdam quasi gradus demissos, & colorem referentes velut cœlestem, donec pertingerent ad cœlestem Jerosolymam. Tandem in fine hujus tam admirandæ pompæ, quam cum magno solatio spectabam, vidi Majestatem JESU CHRISTI Domini nostri, quem comitabantur multi Sancti ex antiquo Testamento, Apostoli, Evangelistæ, & Patriarchæ Religionū, aliique speciales Sancti. Veniebat idem Dominus vestimētis indutus regijs & preciosis, gerens diadema in capite. Et verò bene advertebatur esse qui erat, verus nempe DEUS & Homo. Advenit cum maxima majestate, & conjecit in me (quæ subito me prostravi) suis sacratissimis oculis, suam mihi dedit sanctam benedictionem, & omnibus rebus, quæ erant in eo loco. Processit idem Dominus ulterius, donec perveniret ad thronum Divinæ Majestatis. Ibi se prostraverunt omnes ij Angeli ac Sancti, etiâque dilectissimus Dominus noster, tanquam homo, coram Patre æterno, cujus Majestas omnibus est elargita suam sanctissimam benedictionē: & postquam Christus Dominus surrexit, Pater ejusdem æternus strinxit brachio ipsius collum, dixitque illi cum tenerrimo amore: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Contemplabar hoc sacrum mysterium, admirante vehementer meâ animâ talia sui Dei opera, quando illic vidi eminus, tanquam observantes hoc spectaculum, multas horribilium & crudelium dæmonum turmas, quæ suos à fronte habebant duces. Strabant dispositi in ordines, velut invicem colligati: pedes eorundem erant vincti compedibus, & corpora catenis, atque agitabant se cum ingenti confusione, & rabie: apparebant quasi sclopis armati, quos gerebant in humeris; conabantur procedere, & pergere ulterius, ac jaculabantur. Verùm fuerunt adeo constricti, ut, si progredierentur ad quatuor passus, tantundem statim retrocederent, evanescentibus velut in aère ietibus, absque ulla

Vita Mar. de Escob. Pars II.

vi, aut effectu. Tum in rabiem acti indignabantur, mordebant se mutuò confusè; exprobrabant sibi vœcordiam: maxime verò omnes furebant, insultando suis ducibus. Infernale ipsorum propositum erat, ut animos Catholicorum inficerent hæresi: sed videntes denique se non posse prævalere, præcipites ruerunt usque ad abyssum. Post hoc illos vidi valde procul in quibusdam regionibus Infidelium otiantes, & quasi quiescentes. Omnia ista exhibebantur meæ animæ, absque comparatione longè vivaciùs, quàm si spectarentur oculis exterioribus. Quamquam autem illuminata à Deo aliquid de hoc mysterio conjicerem, nō poterat tamen à me sufficienter percipi, & agnoscebam, mihi multum deesse ad illud penetrandum.

Tum mihi Dominus gravissimè, & perquam dolenter, ob magnum amorem, quo erga nos fertur, dixit: Ecce, Anima, oportet te scire, universum infernum conspiravisse, & occupatis, me permittente, infidelium cordibus ac animis, ingenti furore ac rabie instare, ut omnes junctis viribus, quantum in ipsis est, honore privent & vitâ meum Filium JESUM CHRISTUM, conviciantes suis sacrilegis lingvis Divinam ejusdem Personam, purissimam illius Incarnationem, & Sacramentum Eucharistiæ. Hæc est significatio eorum, Anima, quæ tibi ostendi. Quid tibi hæc de re videtur? Mea anima propter audita ista verba, & modum, quo à Domino proferebantur, fuit summe afflicta, & indoluit, atque respondens ejus Majestati, dixit: Cùm ita se res habeat, mi Deus & mi Domine, nōnne expediret, ut Reges & Principes Catholici, priusquam hostes sanctæ fidei prodeant, proficiscerentur, eosq; aggredirentur, ac pessumdarent? Non expediret id nunc, Anima, dixit Dominus, non expediret. Dic mihi, an bene fieret, si existentibus in foro tribus ferocibus tauris, debilis quispiam nanus, & imperitus diceret: Melius mihi erit invadere hos tauros, quàm firmare theatrum, illudque conscendere? Satis clarè apparet hunc erraturum. Nōne verò tu mi Domine, & mi Deus, ajebam ego, es potentior toto inferno? nōne

D d 2 facil-

facillimè potes omnes hostes nostros destruere, ac dare victoriam tuis Fidelibus? Ità prorsus est, sicut dicis, respondit Dominus, me esse potentem, ut faciam quæ volo, ac misericordem: unde, prout vidiſti, tot miſi Angelos meis Fidelibus, ad defendendas veritates fidei, ac destruendum mendacium, & fraudes diaboli: verumtamen ij, qui sunt mei, non ità me sibi, ob sua peccata, & malam dispositionem, devinxerunt, ut inter illos & meam Justitiam statuam aliquam aniculam, quæ ipsos defendat, atque, si impendens casus evenerit, permittam fieri, quæ fert cursus rerum, & sunt conformia legibus ordinarijs. Mea anima audiens id dici à suo Domino, & assumens nonnihil velut generositatis, atque incitata vehementi affectu, qui tamen fuit magnæ commiserationis, tum respondit: Profectò, mi Domine, si id fieret, me, ad avertendos ab ipsis, & suscipiendos

in me ictus, interponerem inter illos, & tuam Justitiam. Non facies id, dixit Dominus, non facies, Anima; quia ego hoc à te fieri non permittam: atque si multum instares, & occasio eveniret, auferrem te è medio eorum, & abducerem ad me. Quid dicis ad id? quid tibi videtur?

Fui quasi consternata, & obstupui ob ea, quæ à meo Domino dici audiveram, dum mea anima partim metueret Divinam Justitiam, partim vero consideret Dei Misericordia & benignitate, atque habitenus in tali mei Domini ventor presentia. Reputo hunc eventum tanquam aliquid à Divina Majestate superpositum debilibus meis humeris, ut clarem, & Deo absque intermissione postulem misericordiam, in his Ecclesiæ necessitatibus.

Ipsè nos dignetur respicere tanquam Pater, sitq; semper benedictus. Amen.

CAPUT II.

Recenset speciales alios ejusdem argumenti eventus.



Eodem Anno sexcentesimo vigesimo quinto acciderunt, quæ hic refert, & sequentibus exponit verbis.

Ducta fui à Divina Majestate, comitante me Sancto Angelo Custode, ad remotissimam quandam Provinciam: pervenimus ad campos desertos, & inde ad alios prioribus non absimiles. Tota ea Regio mihi videbatur esse destituta habitatoribus, quæ tamen antehac fuerit culta, quia interdum deprehendebantur vestigia quorundam dirutorum ædificiorum. Mirabar vehementer videns tantam solitudinem, atque in tam vasto spatio nec reperiri oppida, neque comparere homines: unicum enim solummodo observavi viatorem, & hunc procul ambulantiem. Converti me ad Dominum interrogans: Ubi sunt, Domine, isti homines? Et respondit mihi Ipsius Majestas: sunt in infer-

no. Civitates autem eorum, suburbia, divitiæ, & facultates, quas possederunt, quonam devenerunt? Omnia sunt in inferno, dixit Dominus. Mea anima oblitescerebat, dicendo tacite: Proh Sancte Deus! ergone hæc omnia interierunt, & hi tam multi homines sunt in inferno? Dum ità prosequeremur nostrum iter, conspexi maximam lucem, quæ videbatur cœlestes diffundere splendores. Pervenimus ad locum, unde lux promittebatur, & incidimus in quoddam pauperum monasterium, cujus fabrica erat humilis: ubi vidi quendam Religiosum S. Francisci. Ingressi sumus templum, quod erat prorsus egenum, & malè accommodatum. Ibi fuit sepulchrum circumdatum clathris, cujus cippus erat coopertus pannino: coram eo sum jussa me prosternens, quo facto, & peractâ meâ adoratione, dum vellem surgere, dixit mihi Sanctus Angelus, nè me moverem. Exhibuit mihi mox spectandam, supra idem sepul-

chrum, Majestas Christi Jesu Domini nostri, quasi tunc resurgentis, qui me amantissimè interrogavit: Quid est hoc, Anima? quis te huc adduxit? Mi Domine, respondi ego, Deus me adduxit. Et postquam brevi tempore mansi apud Dominum, dedit mihi suam sanctam benedictionem, quasi me urgeret, ut sine mora regrederer, ac disparuit. Subitò vidi quendam crudelem, & indignandum pastorem intrantem per portam, circumdatum à multis & magnis canibus, tanquam mollosis pecuarijs. Hi ad me venerunt, meque omni ex parte cinxerunt. Timui aliquantum, sed fuit tumor exiguus: quamvis enim apparerent feroces, nescio tamen quomodo notaverim, esse ignavos, mihi-que ab ipsis parum posse damni inferri: quia verò mihi nocere non poterant, exarserunt contra se invicem, mordentes se ac discerpentes, donec denique disparerent.

Vidi deinde ex eo loco sepulchri, ad unum templi latus prodeuntem splendidissimum, ac pulcherrimum rivum sanguinis & aquæ: observavi nihil ipsius remanere in ijs regionibus, sed totum celeri cursu transire ad alias, quas inundabat, reddendo fertiles, & conferendo illis virtutem ad producendum fructum. Postquam mihi hæc omnia Deus ostendit, interrogavit me, an ea intellexissem. Aliquid, mi Deus, sum afflicta, respondi, sed non omnia. Declarabo igitur tibi illa, dixit Dominus: Omnes hæc regiones sunt Paganorum, in ijs est sepulchrum, in quo fuit depositum corpus Jesu. Pastor ille, & canes sunt dæmones, qui se mordendo manifestabant rabiem, ac desperationem, ad quam rediguntur per mysteria patientis Salvatoris, mortisque ipsius & resurrectionis: significabant præterea, tuam orationem sibi esse tormentum. Sanguis Redemptoris, quamvis omnes pertranseat, cum sit pro omnibus effusus, apud istos tamen non manet, eò quòd ex eo fructum percipere nolint. Commenda mihi illos, & offer aliquid ipsis profuturum. Quid possum offerre mi Domine, ajebam ego, aut quid habeo, quod dem? Potes aliquid facere, respondit Dominus:

offer mihi pro illis sacram communionem, sicut offers pro Angliæ, & aliarum provinciarum Catholicis; & quicquid dederis, retinebis tibi, plurimumque inde referes lucri. Promisi Domino, me id facturam, & videtur Divina Majestas tam hos, quam illos debillimis istis superimponere humeris, atque hoc onus mihi esse grave. Faxit Deus, ut ipsis proficit, quod pro ijs facio.

Post aliquot deinde dies passa fui quadam ex causa aliquam afflictionem, unde sollicitabar & angebar. Interea feriâ secundâ, vigesimâ primâ hujus mensis Octobris, manè vidi Jesum Christum Dominum nostrum, qui mihi peramanter dixit: Veni mecum, Anima, & respicabis. Duxit me Ejusdem Majestas ad cælum, per scalas multorum graduum: comitabantur Dominum plurimi Angelici Spiritus, eique inserviebant. Dum eò perventum est, fui prostrata coram Beatissima Trinitate, quæ me benignissimè excepit. Eram exornata ijs vestibus, quibus me in hujusmodi occasionibus mei Domini Angeli exornant. Tum Persona Sacratissima Patris æterni me ad se perduxit, & formavit in meo pectore, diductâ veste, suo sacro digito crucem rubri & splendidissimi coloris, quæ in eo mansit impressa. Postquam me illi Beati Spiritus viderunt eâ signatam, qui erant innumerabiles, coeperunt colloqui, seque invicem interrogare: Qualis est hæc Anima? Est promotâ ad dignitatem Ordinis equestris. Ego verecundabar & erubescēbam, quemadmodum hîc erubesceret vilis quispiam mendiculus, cujus pannosis vestibus apponeretur crux, indicans habitum, ac dignitatem equestrem.

Dominus noster Jesus Christus, quem hac vice comitata fueram, me mox duxit ad quendam altum locum, unde mihi ostendit in primis modum, quo creaturis irrationalibus, deinde illum, quo rationalibus se communicat Deus, tandemque modum, quo se communicat Cœlitibus, reddendo illos beatos visione sui Divini Esse, omnibusque bonis replendo. Mea anima multum mirabatur videndo tam arcana

& sublimia mysteria, ut, licet tam paucis referantur verbis, omnia tamē totius mundi nequaquam sufficerent, ad explicandam vel minimam eorum partem, quæ ibi videntur. Tum idem Christus Dominus noster mihi dixit: Anima attolle oculos, & aspice. Aspexi, ac vidi super totam beatitudinem immensum quoddam mare infinitarum aquarum, in quibus mihi modo ad eodē eminenti monstravit Divinum Esse, ut à nulla exponi valeat lingua, aut aliquid de ea majestate & pulchritudine enarrari. Postea me Christus Dominus noster de novo perduxit ad locum, ubi paulò antè videram Sanctissimam Trinitatem. Hic me rursum est allocuta Sanctissima Persona Patris æterni, & dixit mihi: Ecce sicut Reges terræ provehunt quosdam duces militiæ ad equestres dignitates, ut animentur ad permanendum in confinijs hostium, utque contra hos pugnent pro defendendis ipsorum regnis, ita ego tibi dedi istam crucem, ut coram me præliteris, ac defendas animas ab earū hostibus. Nunc revertere in pacem. Atque tunc prorsus ex animo, & ardentissimo affectu dixi Ejus Majestati: Mi Domine, per temetipsum te obsecro, noli permittere, ut de novo revertar ad terram; noli, mi Domine, noli mihi mandare, ut revertar, quia peribo. Hoc sæpe, minimèque hæsitanter iterabam, donec Persona JESU Christi Domini nostri, singularem mihi exhibendo amorem, dixit: Anima, si redeam tecum, bene potes redire. Tecum, mi Domine, respondi ego, ibo ad terram, & ad infernum: & statim me eadē viâ, atque cum plurimorum Angelorum comitatu, iterum deduxit per scalas, per quas ascenderamus, meque reliquit in meo angulo.

Quinque aut sex diebus post, proximè festum omnium Sanctorum, mihi Dominus significavit, quòd me in ea solennitate dignaturus esset ducere ad cœlestem Patriam. Volo, dixit, ut eo die fruaris festo, quod in cœlesti Jerosolyma peragitur, in honorem meorū Sanctorum, ubi multis diebus commoraberis. Ità fuit factum, & in festo omnium Sanctorum, antequam disceret, me Divina Majestas duxit ad

cœlum, sicut mihi dixerat, ibique me cum univertis, ubi modo mihi possibile sunt frui delicijs, & gloriâ accidentali, quam illo die Sancti percipiebant ex celebritate, quâ hîc in terra ab Ecclesia militante solemniter coluntur. Fui repleta specialissimo solatio, & vehementer sum mirata, quòd viderem illum modum gloriæ accidentalis, quæ ipsis superaddebatur, quam alioquin omnibus affluerent bonis, ob solam Visionem Dei, quòd; etiam ego ejusdem fierem particeps. Isto perfuente gaudio mihi Dominus dixit: Anima, pete à me quidquid volueris, omnia enim tibi concedam. Sensi autem mihi ab eodem Domino inspirari, quid petere deberem, ideòque dixi latine: *Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris.* Subito omnes Sancti Sancti responderunt: *Te rogamus audi nos.* Progressâ sum dicendo: *Ut Regibus, & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris.* Et Sancti responderunt: *Te rogamus audi nos.* Ad idem petitio: *Ut cunctum populum Christianum petioso sanguine redemptum conservare digneris.* Atque Sancti similiter subjunxerunt: *Te rogamus audi nos.* Hic subitè, utique amplius petivi. Tunc mihi dixerunt Angeli: Soror, pete amplius, pete: *Ut fructus terræ dare, & conservare digneris.* Petit id, sed non ita ex animo, neque eos eludendo actus, quos in tribus prioribus concueram petitionibus; neque etiam Sancti ad quartam hanc responderunt, quænam modum ad alias responderant. Divina Majestas mihi dixit, se mihi concedere, quæcunque petieram: post quod dictum fui rapta in ecstasim, & quando ex ea me redivi, reperi me in meo angulo, eorū superior pars animæ mansit apud Eiusdem Majestatem, sicut mihi dixerat. Benedictus sit Deus.

Amen.



CAPUT III.

Sanctus Pater noster Ignatius huic Virgini exponit,
quæ sit precum ipsius efficacia : referuntur alia eodem
spectantia admiranda acta.

Magna dignum est consideratione, quod Deus isti Virgini ita pollicitus fuerit, concessurum se ipsi, quid quid peteret profuturum proximis, ut illi unâ inspiraverit, quales esse oporteret ejusdem petitiones. Insignia habemus hujus veritatis exempla in historijs Sanctorum (qua de re mirabiliter scribit, a quæ ac de alijs, quas pertrahat, Sancta Teresa) ubi legimus, eos, quibus Deus hoc privilegium concessit, quotiescunque illis aliquid à Deo est obtinendum, petere præventos, & incitatos à divina inspiratione, sine qua se interdum advertunt esse tepidos ad petendum, ac desitutos animo ad perseverandum in petitione, habentque manifesta præsentia, se nihil consecuturos. Neque has animas adeo eximie privilegiatas contristat repulsa, quam patiuntur, dum nihil talibus occasionibus efficiunt: conservant enim viridem & vegetam radicem efficacis & generose voluntatis, quæ solummodo desiderant, ut fiat voluntas Dei: quin imò istius executionem illis Deus in omnibus ipsarum petitionibus pollicetur, id è quæ humanas horum Sanctorum voluntates prorsus unâ sue Divina, ut in hujus beneplacito, qualiscunque demum sit eventus, plene conquiscant. Verum dicit quispiam modice fidei: quid igitur privilegij Deus hujusmodi Sanctis concedit, si successus ad Divini sui beneplaciti expendit libellam, non autem naturalis illorum complacentia? Dico, imprimis sciendum esse animabus devotis, quamquam minus sapientibus, Deum, cum rerum omnium sit auctor, & prima regula, non potuisse facere, ut non esset unica norma, juxta quam humane voluntates, si justæ sint, debeant dirigi. Secundo ajo, in hoc ipso magis elucere privilegij præstantiam, quod Sanctis datur, immensâ dignam liberalitate infinitæ charitatis magni Dei nostri & Domini, dum beneficia & gratias, quas conferre statuit

populo Christiano, vult in executione dependere à Sanctorum sanctorum desiderijs atque precibus. Et verò plurima ex his beneficijs in æternum non decerneret, nec unquam concedere vellet, nisi per tales Sanctos, eorumque merita, quos tanquam amicos, & viva membra sui Filij Jesu Christi, per quem illis ista gratia obvenit, voluit honorare, constituendo ipsos inter se & mundum mediatores, in remedium tot necessitatum. Hoc sufficit pijs animabus, quæ majore prædita virtute, quam doctrinâ, se hujus admirabilis, & utilissimæ historie applicuerint lectioni.

Has veritates Venerabilis Marina clarius didicit à Sancto Patre nostro Ignatio, quadam die (annum definire certum non potui) quando illi, tanquam sua dilectissima filia, magnas alias præstitit gratias. Refert ipsa factum his conceptis verbis, quæ mox adscribam. Fuerit, quantum est colligere, tempus vicinum Quadragesimæ: dicit enim sibi oranti, & more solito constituta in Divina præsentia, supervenisse desiderium audiendi verbi Dei, cui ait satisfactum esse primâ Dominicâ Quadragesimæ, ac si brevi evenisset, quod illi fuerat promissum. Sed audiamus omnia ex ore Virginis.

Verfabar cum Domino in Divina præsentia, confecto mihi modo orans, quando me occupavit dolor, ex eo quod essent tot anni, quibus ob meum diuturnum morbum non audire conciones, & Divina Majestas mihi continuo dixit: Creatura mea, noli idcirco affligi, aut contristari, quod non audias divinum meum verbum: mittam enim tibi, qui te meo nomine, pro tuo solatio alloquatur. Mi Domine, & mi Deus, respondi ego, me quidem volente id non fiet, neque, si tibi placet, cupio à te obtinere has tam infolitas gratias. Bene Anima, ajebat Dominus, bene loqueris: ego tamen faciam, quod volam. Passa fui deinde magnam ecclta-

ecctasim, & post illam mihi restituta, vehementer me conabar ab eo abstrahere, quod mihi cum Domino acciderat. Dum advenit Dominica prima Quadragesimæ (sub horam circiter secundam noctis) intenta orationi, vidi velut eminus venientem gloriosum Patriarcham Sanctū Ignatium, quem comitabantur multi Angeli Dei, & Religiosi ex ipsius Ordine lineati: specialiter autem observavi, quod maximæ autoritatis, & Sancto superior Angelus stiparet latus Beati Patriarchæ. Hinc in modum advenit gloriosus S. Ignatius ad locum, in quo eram, & salutans me nomine Dei dixit: Dominus Majestatis sit tecum, Anima. Statim ibi fuit collocatus quidam admirabilis suggestus instar sellæ, quem is Angelus superior manibus aliquantò ulterius promovit ex loco, in quo antea fuerat positus, jussitque Sanctum Ignatium sedere, stante dicto Angelo ad latus Sancti, & velut innitente sellæ. Gloriosus Patriarcha jam sedens elevavit oculos ad cælum, junctis manibus, ac deinde easdem superponens fulcris sellæ, singulari devotione & spiritu ita locutus est.

Dum adfuit tempus, quod Divina Majestas Domini Dei nostri in excelso suo, & sacro Consistorio decreverat, ut unigenitus ipsius Filius fieret homo, redempturus genus humanum, venit in mundum, & gravissima sustinuit convicia, opprobria, atque persecutiones ab hominibus, & subivit demum mortem in cruce: sepultus est, ac resurrexit tertiâ die, aperiendo omnibus viam ad cælum, qui tam magno & caro remedio bene vellent uti, quale fuit sacra passio & mors, atque pretiosi sanguinis effusio. Postquam autem divinas suas in mundo disposuit, & ordinavit Leges, omnibus observandas & sequendas, suâq; sanctæ Ecclesiæ optimè de Medicis prospexit ac medicinis spiritualibus, pro curandis populi sui Christiani vulneribus, idem nihilominus mundus, & hic populus Dei, nunc est perverissimus, summæque sui profectûs, & considerationis tam admirandorum mysteriorum immemor, non adhibendo remedium, neque applicando

medicinam sanguinis Jesu Christi Domini nostri, contra venenum suorum peccatorum. Iste est, Anima, præfens populi Christiani status: ora Deum instanter, & ex toto corde, eo amore, quo illum prosequeris, ut cohibeat suam iram, & non puniat ipsum, prout peccata illius merentur. Tu verò, Anima, confortare, & solatium habe in tuo Deo ac Domino, & esto certa, omnique procul dubio crede, implenda esse ad literam, quæcunq; tibi tum Deus & Dominus est pollicitus, ita ut ne unum jota pereat. Adverte, Anima: notum tibi quoque sit, & esto certissima, te nihil unquam petivisse à tuo Deo ac Domino, quod tibi non concesserit, quum vis id non intellexeris, quia existimabas, te interdum petivisse, & non vidisse, quantum intellexisti, petitionis effectum.

Dum mea anima cum magna admiratione audiret, quod ipsi à Sancto dicebatur, fuit in me excitatus internus quidam affectus, acsi illi vellem respondere, dicendo: Omnino, benedicite Sancte, verum est, id me sensitse & cogitavisse, quod dicis: sed attribuebam meis peccatis, quod non obtinerem petita. Sanctus autem respondens, Deo revelante, meum animum, gravissimo gestu quasi apposuit labijs digitum, quod erat mandatum, ne ipsum interrupterem, ideòque mea anima tunc, & Sanctus respondens meo affectui preterit, dicendo.

Observa, Anima, nunquam petivisti aliquid à tuo Deo & Domino, quum omnia id velles esse conforme Divinæ voluntati, & cedere ad gloriam Dei, atque bonum & commodum animæ illius personæ, pro qua incedis. Et quantum ad actum petis, magnum habes ferorem & affectum, prior tamen ille affectus, quo vis solum Divinum beneplacitum, semper profundè inhaeret tuæ animæ: ac proinde certissimum est, Deum tibi in hoc speciali, etiâque in alio superiore modo orationum & petitionum, quæ tibi impetrantur, semper gratificari: quapropter non convenit, ut tibi temperes, aut desistas petendo.

His ab isto Sancto Patriarcha dictis, &

terior ille Angelus, qui stabat ad ipsius latus, accepit ex manu alterius Angeli quoddam mysterium, in quo erat velut sacrum ciborium, instar parvi calicis, qui insistebat parvæ quadratæ & splendidissimæ basi. Dicitur calix, seu ciborium habebat ab una parte clausuram, & continebat hostiam. Sanctus Ignatius surrexit (discoperiente ipsius caput eo Angelo superiore) rursúmque statim sedens semiinclinatus sese super illam hostiam incurvavit ad eum modum, quo Sacerdos consecrat, & protulit nonnulla verba, quæ licet mea anima non audiverit, ipsi tamen videbantur esse verba consecrationis. Angelus aliâ hierothecâ continuò clausit sacram hostiam: quo factò Sanctus Patriarcha secundò surrexit, habens illud mysterium in manibus, & descendit cum magna reverentia per tres gradus ex loco, in quo fuerat, posteaque per alios duos. Comitabatur ipsum ille Angelus superior, & multi alij Angeli, atque beati ejus filij (hi autem toto tempore, quo sermo duravit, sederant in longo & miro scanno) cumque ad me accessisset, applicuit idem mysterium meis labijs. Passa sum derepente magnam ecstasim, & paulò post mihi restituta non alios sensu affectus, quàm si realiter & verè suscepissem Sanctissimæ Sacramentû. His finitis, gloriosus Sanctus Ignatius rediit ad suum locum & sedem, atq; inde, jubente eo Angelo superiore, mihi dedit suam sanctam benedictionem. Tum se inter me, & illud jucundum spectaculum, quod videbam, interposuit quædam velut nubecula pellucida, & inaurata, donec sensim sinè sensu, & suaviter tota disparuit visio. Repleta fui ingenti solatio interno & gaudio, gratias agens Deo, pro ipsius misericordijs, qui millies iterúmque millies sit benedictus. Amen.

Satis colligitur ex hoc eventu, quanti Cælum fecerit preces hujus Virginis, quas fundebat pro suis proximis adjuvandis, & quanto pere optaverit, ut absque intermissione procederent ex ipsius pectore, quod flagrabat charitate. Verum adhuc clariùs idem apparebit ex eo, quod ipse venit cum Deo illà die, quâ fuerunt absolute ea novem Missæ, de quibus sumus

Vita Mar. de Escobar Pars II.

in primo capite hujus secundi libri locuti, & quibus ipsa finem imposuit diligenter exequendo, quod jussa fuerat à Divina Majestate, pro communibus necessitatibus. Ità porro scribit.

Postquam fuerunt dictæ novem Missæ, & peracta cætera, quæ mihi Dominus mandaverat, quemadmodum suprâ dixi, quod contigit die Sabbathi, vigelima primâ Septembris, vidi Divinam Majestatem descendentem de cælo, mihi que appropinquantem. Repugnavi propter solitos meos timores visitationi, abstraxi vivaciter imaginationem, convertens pro viribus aliò animæ oculos, quo factò fui quodammodo extra me raptâ. Paulò post mihi reddita considerabam, quâ ratione me potuerim tantopere abstrahere, & Dominus me subitò est allocutus, dicendo: Quid agam, cum à te repellar? mi Domine, agebam, tu nôsti voluntatem meam, & respectum habes cor meum, quod tibi cupit placere, te venerari, tibi que servire: sed mei timores, nè decipiar, atque unicum desiderium, quo feror ad assequendam tuâ sanctissimam voluntatem, me ad ista adiungunt. Ego verò, respondit benignissimè Dominus, me tibi promptim exhibeo ad gratificandum, atque polliceor, te ob hos timores & circumspeditionem nunquam perdituram meos favores, aut beneficia, quæ tibi voluero præstare, & conversus ad meos Dominos Angelos dixit illis: Accipite istam creaturam, adhibentes curam, nè deficiat viribus, atq; ad ducite illam ad me. Fui continuò adducta ad Divinam Majestatem: verùm quia non poteram consistere pedibus, inclinavi me super sacra genua illius Domini, qui tum protulit gratiosissima verba, quæ etiam ab eo dicerentur latinè, mea tamen anima optimè intellexit, & sunt ista: *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ità ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum.*

Hic ego aliquantùm dormituriebam, videbaturque mihi quasi otari, & Dominus mihi dixit: Ità es disposita, sicut oportet, ad id, quod volo facere. Divina Majestas accepit subitò globum quendam lucis, qui

E c. erat

erat instar splendidissimæ stellæ, & posuit illum intra meum pectus, dicendo: Signavi te signaculo meo. Passa sum non exiguum sensibilem dolorem. Hoc peracto Eadem Majestas mandavit meis Dominis Angelis, ut me reducerent ad meum locum.

Postea me existentem in meo angulo idem Dominus invisit, dixitque mihi; se venire ut ostendat, gratum sibi accidisse obsequium à me præstitum, quando dici curavi novem Missas pro necessitatibus, mihi ab ipso commendatis. Quid verò, mi Domine, agebam ego, hac in re præstiti? quantum profudi sanguinis, aut quid ad honorem & gloriam tuam sustinui, quod talem mereatur complacentiæ exhibitionem? Non ita respicio, respondit Dominus, obsequia, quæ mihi præstantur, sicut voluntatem & amorem, quo ea mei servi præstant. Sed quid, mi Domine, interrogavi, per id, quod Tua Majestas præscripsit, obtinui? Multum, reposuit Dominus, quia suspendisti executionem pænæ, quam mea Justitia erat infligenda illi loco, quem scis, ejusdemque incolis. Fui vehementer contristata, & institi dicendo: Si, mi Domine, nihil habemus amplius, quàm hanc suspensionem, quæ potest esse securitas, nè à tua Justitia castigentur post aliquod tempus, si revertantur ad sua peccata. Plus, Domine, plus te, ob tuam bonitatem & misericordiam, facere est necesse. Tum mihi Dominus velut indignabundè, sed cum maxima gravitate, dixit: Tace, noli me molestare, noli mihi hac de re plura loqui: atque statim, ac si me interrogaret, subjunxit: Quid igitur velles, quid modò cogitas facere? Mi Domine, respondi tota pudefacta, cum nihil valeam aut possim, cogito secretissimè alloqui JESUM CHRISTUM Dominum ac Redemptorem nostrum, & Sanctissimam Virginem ipsius Matrem, & Dominam nostram, atque ab ipsis magno affectu suppliciter petere, ut rogent Tuam Majestatem, quò nova præbeas auxilia & gratias ijs animabus, nè Tua Majestas de illis, ob earum peccata, sumat vindictam. Quia tamen hîc Reges multum offenduntur, si quis occultet malefactores, vel

deponat ex paribulo; etiàmque tu, mi Domine, offenderis, quòd impediaris in puniendo, quid nobis poterit superesse remedium? Magna est disparitas, agebat Dominus jam mansuetior: illi enim tantum puniunt corpora, quod fieri convenit in bonum animarum; meæ verò animal-versionses, dum sunt serix, durant in æternum, quia, quos punio, præcipito in infernum: fac jam, quod voles. Post hoc mihi Dominus disparuit, remansit sola, corpi magno affectu invocare Sanctissimam Virginem, & meum Dominum JESUM CHRISTUM, petendo ab illis ex tota mea anima, ut faverent huic causæ, rogarèntque DEUM, ut ijs animabus præbeat auxilia suæ gratiæ, quæ ego desiderabam, ut agentes potentiam convertantur ad Eiusdem Majestatem. Isti petitioni multum impendit temporis.

Die deinde Dominicâ manè, cum in iisdem perseverans affectibus ac desideriis vacarem meæ orationi, denuò vidi Dominum mihi summa cum gravitate & maiestate appropinquantem, qui mihi dixit: Quid vis, Anima, quid dicis, quid petis? Mi DEUS, respondi, peto à mea Domina Virgine MARIA, & meo Domino JESU CHRISTO, ut te rogent, nè punias earum animas. Tum videns Divinam Majestatem magis ac magis ad me accedentem, intellexi (id mihi tum in mentem venit) quòd mihi vellet auferre illud cimeterium lucis, pridie mihi ab ipso datum, & hoc metuens dixi: Non, mi Domine, beatitudinæ veniæ, non debet irâ fieri, non oportet te mihi auferre, quo tantopere niteo. Nolo tibi, respondit peramantem Divina Majestas, illud auferre, sed reddere melius: volo, ut mihi des tuum, quod tibi restituum splendens instat, & potens instar ignis. Reluctabar meo meo, semper me esse existimans, quibus sum, indignissimam hujusmodi misericordiam, quoadusque mihi Divina Majestas, ex sua sapientia, dat necessariam dispositionem pro ijs suscipiendis, quando expectat meum assensum: alias enim tanquam Dominus absolutus re ipsâ operatur. Deo

Denique hac vice me Dominus disposuit: annui, quòd illi cor meum esset datura. Angeli cœperunt voce svavi, & velut acutâ, tono dulcissimo verèque cœlesti canere: dum autem mea anima esset quasi attonita, Dominus evulsi meum cor ex pectore, & quamvis non viderim, qualiter id fuerit factum, sensi tamen vehementissimum dolorem. Agnovi clarè, quòd Dominus Divinâ suâ virtute in me suppleret vices cordis, & confortaret naturam, nè privarer vitâ. Vidi tum cor meum in manibus trium Divinarum Personarum, ac si ab una transferretur ad alteram. Eo tempore mihi Divina Majestas, dixit, ut modicum averterem oculos, nè destitueret viribus, quod feci, quanquam deinde illud potuerim videre, quotiescunque volui.

Optabam scire significationem tanti mysterij, non interrogabam tamen, & Dominus volens me in hoc dubio consolari, mihi dixit: Ecce, quia mea Justitia propendebat ad castigandos illos homines, & mea Misericordia illam continuit, depono tuum cor instar pignoris, quòd ex animâ à me adjutâ se sint emendaturâ, & acturâ penitentiam ob sua peccata. At verò mi Domine, reposui ego, quæ est Justitia tua & Misericordia, nisi tu ipse met, ac tua Divinitas? Quod tu Deus vis, fieri necesse est, & tuæ creaturæ debent tuæ obtemperare voluntati. Ità est, respondit Dominus, sed prædicto modo id melius percipies. Videbatur mihi Dominus edidisse gestum, ac si mihi esset redditurus cor, & dixi illi: Nequaquam, mi Domine, serva illud ibi, donec ijs animabus des illa auxilia. Rogavi ipsum, ut eorum misereretur, orando juxta affectum, quem ille in me excitabat, non pro omnibus universim, sed pro ijs personis, à quorum reformatione, dependebat reformatio reliquorum. Manifestavit mihi Divina Majestas, quid factura, qualia ijs auxiliis esset datura: ostendit mihi ipsas personas, quas hic non exprimo, sicut neque locum, in quo degunt, quia ità convenit. Hunc in modum mihi Dominus valedixit.

Vita Mar. de Escob. Pars II.

Sequenti feriâ secundâ, eâdem horâ, expletis prorsus viginti quatuor horis, ex quo carebam corde, vidi descendentem Sacratissimam Personam Spiritûs Sancti, cum tanta majestate & pompa, ut mihi omnes cœli visi fuerint cum ingenti strepitu esse commoti, tota terra cum suis montibus, usq; ad abyssum contremuisse. Adveniebat idem Dominus inter divinos splendores, circumdatus ab innumeris Angelis; ferebat meum cor in manu, ex cuius digitis prodibat adeò immensâ lux, ut eam mea pauper anima non potuerit intueri. Accessit ad me, ut restitueret suo loco meum cor, & quando id erat mandandum executioni, conspexi ibi derepente Sacrosanctam Personam Jesu Christi Domini nostri (quem hæcenus in toto mysterio non videram) qui in meo pectore formavit crucem, atque istud statim fuit apertum, & Divina Persona Spiritûs Sancti reposuit intra me cor, ubi prius fuerat, ac dicendo: Tu in me manes, & ego in te; me secum ad aliquod tempus arctissimè univit. Quando ad me redivi, natura fuit plurimum fatigata, sensiq; graves dolores, qui perdurant in omnibus hujus miserabilis corporis membris.

Post omnia prædicta mihi comparuit Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, dixitque: Nolo tecum nunc diu loqui, quia es vehementer fessa: quamvis autem me nõ videris, fui tamen præsens gratijs, quas tibi Deus præstitit, & significo tibi, me, dum eas spectarem, speciale habuisse gaudium, & gloriam accidentalem. Bene scis, me, quamdiu vivebam, licet molestias paterer meæ advertæ valetudinis, solitum fuisse venire ad te invisendam, quando adivi, collatum tibi à Deo fuisse aliquod beneficium: quia existimabam bene impensum laborem, si te Divinas misericordias enarrantem auscultarem: ità nunc sum gavissus, videndo gratiam tibi à Deo præstitam. Vale. Deus sit in æternum benedictus, Amen.

Gratiosissima verba, que Dominus Venerabili Marina in istio hujus eventus latinè proposuit, & ipsa nobis scripta reliquit lingua vernaculâ, sunt illa, quibus Propheta Isaias

E c 2

cap. 66.

cap. 66. v. 12. nomine Dei promisit Fidelibus delicias amoris, quibus eos esset tractaturus. Laudetur in aeternum infinita bonitas magni Dei nostri & Domini, quod, licet tanta pollicitatio, intellecta in sensu spirituali, sufficeret ad resolvendam nostram duritiem, & incendendum vel frigidissimum pectus amore tam suaviter Patris, nihilominus Eiusdem Majestas velit, ut interdum eo modo, quo fieri potest, experientiâ edoceamur illam impleri ad literam. Has Divini amoris teneritudines minus credunt, qui se magis literarum dedunt, quam orationis exercitio, majorem habentes curam doctrina, quam sanctitatis. Idcirco Sancta Teresa de Jesu dixit, illos, qui non inducuntur ad credendam Dei (qui per essentiam est amor sui ipsius communicativus) teneritudinem in agendo cum purissimis ani-

mabus, posse bene esse certos, se nunquam perventuros, ut illam experiantur. Debetis doctis, sicut est justa, ita quoque esse efficax magni doloris causa, quando vident Deum, ipsi se non disponentibus ad percipiendam beneficia, quibus instructi possent agere instrumenta eximiorum operum, & heroicarum in mundo conversionum, communiter cogitare, ut quasi ad laxanda desiderio sui communicandi, & impetuosae eluvioni suae immensa liberalitatis, frena, quarat cor simplex cognoscens aniculae. Multa hac de re scripsit Sancta Teresa. Ingressitur Divina Majestas, qua patet quia nequit, quâ vellet, nolens permissas rebellii humani arbitrii libertati leges violare. Prosequamur nostram historiam.

CAPUT IV.

Deus illam constituit suam promulgatricem in utilitatem animarum, confertq; ipsi lumen ad has agnoscendas, & vim ad easdem emolliendas.

Quandoquidem charitas hujus Virginis erga proximos tam erat ardens, & ipsa suis precibus (quod fuit talentum ei à Deo datum, & conveniens vitæ ipsius solitaria, & naturali verecundiâ, ut ipsi prodesset) tam multa in illis efficiebat, dignatus est eidem Deus, per admirandas aliquot visiones manifestare finem, ad quem ab eo fuerit electa. Legatur, quod Sancta Teresa hac de re Venerabili Marina dixit, fuitque in prima hujus historiae parte relatam, dum illi explicaret diversitatem naturarum, quas utrique Deus dederat diversis aptas ministerijs, ad quæ ab ipso vocabantur: & quomodo illi obtigerit animus invincibilis, atque cor virile ad prodeundum in publicum; Venerabili verò Marina sufficeret natura meticulosa, & muliebris verecundiâ: quanquam enim ejus opera pariter essent heroica, fuisse tamen ab ipsa executioni mandanda, in abdita sua domus solitudine, per orationem, & familiarem ac privatam cum suis proximis conversationem. Dignatus est porro, ut dixi, Deus huic Virgini, per mira quæ-

dam symbola manifestare, ut ipsam in hoc proposito magis animaret, quam excellenter sui prodesset proximis, orando pro ijs & parando, dum vel maxime solitaria in suo delitaret angulo. Priores duo evencus, quos hic notaram, videntur, juxta computam charitatem, non fuisse multum tempore distantes à precedentibus. Sic verò ait.

Considerabam extraordinarias vias, quibus me Deus dignatur ducere, quando derepente in corde, cum incredibili vehementia, varij ebulliverunt affectus, quos mea anima exprimebat, interea durantiibus exclamans, iterando, hæc tummodo identidem suspiria: Ah, mi Domine! ah, mi Domine! Et quamvis mihi Divina Majestas, pro infinita sua bonitate, responderet, ajens: Quid vis, Amata, quid vis? non cessabam tamen dicere: Ah, mi Domine! donec tandem mihi penitus fui erepta. Tum se mihi spectandam exhibuit immensa quædam Majestas, & illud infinitum, adeo ut mea anima velut annona timeret, atque quodammodo contremisceret. Dominus autem mihi dicitur

Quid times, Anima? Ego sum tuus Deus & Dominus, cur times? veni mecum. Ego summopere metuebam, penitusq; animo concidebam. Dominus verò mihi denudò cum ineffabili gravitate & autoritate dixit: Veni huc, Anima, noli timere, accede ad me. Subitò fui à Sanctis quibusdam Angelis, admirabiliter me adducen- tibus, prostrata coram ea Divina Majesta- te. Surge Anima, dixit Dominus, & ob- serva, quid tibi dicam, velimque manda- re. En cum his Sanctis Angelis, meo no- mine, te conferes ad quatuor mundi par- tes, & in earum singulis promulgabis, quod tibi à me dicitur. Noli autem timere, aut hoc munus detrectare: ego enim tibi meâ gratiâ & potentiâ adero. Quod à te pro- mulgari ac dici debet, est istud: Animæ pretioso JESU Christi Domini nostri sang- vine redemptæ, attendite & videte, quàm misericors & svisis sit magnus De- us noster ac Dominus, & quomodo mise- ricordia ipsius transeat à progenie in pro- genies ad timentes eum: egit fortiter, at- que potentiâ suâ deposuit superbos de se- de, & exaltavit humiles. Magnus hic Do- minus est supremus & justus Judex, punit operantes iniquitatem, quemadmodum fecit mittens ignem de cælo in quinque illas civitates, & univèrsum mundum a- quis punivit diluvij. Implorate ipsius mi- sericordiam, ac timete ejus justitiam. Hoc te, Anima, dicere oportet ac promulga- re. Vade in pace, & cum benedictione mea; quam mihi Divina Majestas est im- pertita.

Sancti illi Angeli, me absque mora du- xerunt ad unam ex ijs quatuor partibus mundi, ubi altè inter cælum & terram ele- vata, extensis latè brachijs, cæpi cum summo affectu ac vehementia spiritûs, & ingenti atque extraordinariâ voce clama- re, & dixi ea ipsa verba, quæ à Deo jussa fueram promulgare. Vidi subitò, quòd omnes homines in ea mundi regione es- sent perturbati, & multa per campos, per fora, plateas ac domos agendo conventi- cula, dicerent timentes, & stupentes: quid est hoc, quod audivimus? qualis est ista vox? quid nobis intimabat? Sic se contu-

lerunt ad quendam, qui earum ditionum erat rex & gubernator, ut illi referrent au- dita, & is dispiceret atque examinaret il- lum eventum, ipsisque diceret, quomo- do esset intelligendus, & quid agere debe- rent. Rex illos magna cum attentione au- divit, & afflictus ac turbatus ijs dixit, ut convenirent in locis consuetis, ibique cum magno clamore & vehementia rogarent magnum Deum, ut ipsos illuminaret, ac edoceret, quid illis clamore ejus vocis, quam audiverant, intimare voluerit, & mandare. Deinde me Angeli duxerunt ad aliam partem, ubi idem promulgavi, quod in præcedente, atque promulgatio idem in omnibus illis effecit hominibus & oppidis, quod nunc retuli de prioribus. Tum fui ducta ad tertiam partem mundi, & in ea evenerunt omnia, prout in reli- quis duabus. Quando me Sancti Angeli voluerunt ducere ad quartam hujus ma- gni mundi partem, ut admirabilem istam peragerem promulgationem, mea anima vehementem sentiebat difficultatem, & existimabat sibi esse impossibile id exequi, atque videbatur mihi eo tempore natura deficere, & penitus disperire. Verùm An- geli me confortabant, & conabantur ani- mare, urgentes me, ut ibi quoque facerem, quod in cæteris partibus. Tandem feci, quod jussa fueram, peregi meam pro- mulgationem eodem affectu, eodemque ardore, ac tribus prioribus vicibus: sed ef- fectus fuit longè alius, siquidem promul- gatio in hac mundi regione fuit ab omni- bus hominibus neglecta, eò quòd ipsam parvi facerent. Nonnulli dicebant, fuisse aliquid aëreum, & eos, qui referebant, se illam tam distinctam & sonoram vocem audivisse, homines esse phantasticos, & cordibus præditos muliebribus: se quoq; nonnihil de ea voce percepisse, sed non applicuisse illi animum, neque à se æsti- matam fuisse. Hunc in modum remanse- runt quasi attoniti, nolentes audita intel- ligere.

Postea me ij Domini Angeli statim sus- ceperunt in suas manus, & aliquantum confortaverunt, quia dubio procul debi- le corpusculum, atque destituta viribus

natura, videbatur non posse alioquin vivere. Taliter sum ab ipsis perducta ad Divinam Majestatem, & Dominus me quàm amantissimè ac benevolentissimè excepit, dicendo mihi; Veni huc, Anima, quiesce in me, univertue me secum artificissimè. Ibi fui perdita, & submersa in eo immenso mari Divini Esse. Sic aliquo tempore eram constituta, nescio quamdiu; ac deinde me Deus sensim sine sensu, & admirabiliter dimisit, atque collocavit in meo angello, manens tamen aliunde apud me, si ita dici potest. Quando ex hoc raptu redivi, summè debilem me sensi & languentem, sed non absque magno meæ animæ solatio ac stupore, ob talia opera, & misericordias magni Dei nostri ac Domini, qui sit benedictus in æternum. Amen.

Animadvertendum est, verba hujus miræ promulgationis omnia esse sumpta ex diversis sacri textus locis. Colligere verò est, Venerabilem Marinam, prout alias solebat, operatam in hac visione fuisse, tam corpore, quam animâ. Quenam sit postrema ista pars mundi, ubi divinum mandatum excitavit quidem admirationem, propter veritatem doctrinæ, & nihilominus occasionem præbuit, ut somnii & vane imaginationis loco haberetur, quantum attinet ad timorem, ac emendationem vite, per me judicet pius Lector. Qualem Deus ex his famula suæ promulgationibus perceperit fructum, qualiterque occulta contulerit multis auxilia, id quod illi in publica ista promulgatione significavit, solus ipse scire potest, à quo hæc facta sunt. Certum, atque indubitatum est, non exiguam dictis verbis vim inesse, ad permovendos eos, qui eandem promulgationem legerint. In scripto sequenti exprimit Virgo diem & mensem suæ visionis, atque sic ait.

Die Dominicâ, septimâ Julij, mihi multum gravibus afflictæ doloribus Deus dixit: Veni mecum, Anima, & quiesces modicum. Fui subito rapta ad cœlestem Jerusalem, & acsi superior pars meæ animæ foret aliquid penitus à me distinctum, talem mihi eam Divina Majestas, in ipsius constitutam præsentia, ostendit in quadam immensa altitudine. Licet verò mihi

hæc gratia sæpe fiat, tum tamen distinctis considerabam id, quod mihi ostendebatur, quomodo nempe ea pars animæ meæ occupetur, dum ibi videt, quod per Divinam bonitatem experitur, continuè sui Dei præsentia perfructuendo, quæ ab ea illatenus recedat. Observavi, quòd, præter attentionem quâ illic adest, interdum volitaret, quasi anhelando, magisq; ad summum illud bonum appropinquando. Intellexi, illo volatu, & ijs motibus spiritualibus significari affectus, quos Deus excitare consuevit, & ferventes amoris erga ipsum actus, qui eliciuntur ab anima. His porrò notitijs occupata, quasi mihi quadam panderetur porta, ad videnda alia secretiora, & interiora mysteria infiniti thesauri Divini, conspexi Solem immense claritatis, qui suo fulgore pertraxit & collustravit meam faciem, omnesq; meos sensus, & meas potentias, virtute & viadeo efficaciter atque attractivè pervasit, ut me ad sese perduxerit, donec me secum uniret, intimèque conjungeret. Cognovi, Solem illum esse ipsummet Deum: & sicuti mihi alias in hujusmodi occasionibus, ex mera sua bonitate, est dignatus aliquid manifestare de eo, quod est in semetipso, deque suorum magnitudine attributorum, ita me nunc specialius voluit edocere, qualiter se habeat erga creaturas.

Audiebat mea anima & contemplantur, quæ ei ab ipsius Deo dicebantur, & ostendebantur; atque animadverti, quòd Dominus sedens pendulam haberet in manu super genua auream claviculam, cuius, licet quoad cætera omnia speciem clavus referret, extremitas tamen erat rotundissima cuspis. Tum Divina Majestas mihi dixit: Anima, volo tibi gratificari, dare tibi videlicet istam clavim, ut tuis verbis penetres arcana cordium proximorum tuorum, utque illos, ubi proportionatam ipsis dederò dispositionem, permoveas ad ea, quæ illis meum concerto honorem volueris persuadere, juxta hominem, & cognitionem, quam tibi cœlestem. Unde specialem deinceps habebis potestatem & vim, ut hæc in cordibus hominum efficias. Dum mihi Dominus daret

vellet clavim, vehementer sum reluctata, agnoscens me esse indignam tanto dono, & dixi illi: Mi Domine, si tibi placet, da ipsam meo Domino Angelo, à quo melius conservabitur. Verùm Divinæ Majestati placuit, ut maneret intra me: ac proinde spiritualissimè, & decentissimè accedens, illam inseruit meo pectori, cum aliquo naturæ dolore: & quando clavis mihi admovebatur, observavi in acuta ejusdem cuspidè stellam. Mea anima fuit velut prorsus à se ipsa abalienata, & acsi tam multum sustinere non posset, dixit: Vale, mi Domine, ego enim abeo, cum id perferre nequeam. Ipsius verò Majestas mihi cum amabilissima benignitate respondit: Habes me comitem, Anima, atque manes in me. Post aliquod temporis spatium me reperi in meo angulo quàm debillimam. Dominus mihi explicuit, cuspidè clavis significari efficaciam, quam essent habitura mea verba, ad permovenda corda, accedente lumine, quod ejusdem Majestas ipsis esset datura, significato per stellam, atque de his effectibus mihi alia est locutus. Omnia sum non aliter experta, ex ipsius misericordia, qui per tam vile instrumentum aliqua, suum honorem concernentia, operatur. Ipse benedicatur ab omnibus suis creaturis. Amen.

Aliud æquè mirabile, sed longè universalius, in proximorum ipsius modum, huic Virgini Deus contulit donum, decimâ nonâ Octobris, anno sexcentesimo trigésimo, quod sic recenset.

Die Sabbathi, decimâ nonâ hujus, vidi quendam S. Angelum, qui in manibus ferebat crucem. Is, postquam me salutavit, dixit, se pretiosum illud donum adferre nomine Dei, mihi ab ipso missum. Crux longitudine æquabat spithamam, & plena erat loculamentis, qualia habere solent cruces, in quibus asservantur sacræ reliquiæ: materia ejusdem fuit aurum obryzum, & admirandi splendoris. Quanquam verò id aliquoties dixerim, hinc tamen repetere volo, quòd, dum in his visionibus nomino Solem, lapides pretiosos, & alia hujusmodi, non sint similia ijs, quæ hinc in terra videmus: sed mea ruditas non inve-

nit alia verba, quibus se possit explicare. Multò amplius illa ab his differunt, quàm perfectè vivens à malè picta imagine; longèque magis, quàm si deformem & insulsam rusticam, villosâ & sædè maculatâ indutam veste, comparemus formosissimæ ac discretissimæ, & splendidissimè nitidissimèq; ornatae Reginæ. Nihilominus adhuc anima deprehendit, pulchra illa & pretiosa, quæ hinc videntur, multò magis distare ab ijs, quæ in his supernaturalibus visionibus representantur. Intellexi, loculamentis illius S. Crucis significari abundantiam sanguinis, ac divinitatem divinatorum donorum, quæ animabus provehiunt ex merito & virtute sanguinis Jesu Christi Domini nostri, qui pro nobis effusus fuit in cruce. S. Angelus mihi dixit, eundem Dominum velle per illud pretiosum donum applicare meæ animæ celestes crucis effectus sublimiore modo, quàm aliàs. Auditis his verbis surrexi, & prostravi me coram S. Angelo. Ipse verò: Noli, ajebat, id facere; quod enim nunc Dominus vult, est, ut suscipias hoc donum, & offeras pro necessitatibus mundi, teque conferas ad conspectum Divinæ Majestatis. Erexì me denuò, & cum illam S. Crucem amplecterer, sensi in mea anima mirabiles effectus amoris, luminis, & jucundissimæ suavitatis, quæ suavitas non erat, qualis exundante spiritu solet derivari in potentias exteriores; sed quædam dulcedo, quæ, cum sit major, tota remanet in intimo & secretissimo animæ recessu.

Mei Domini Angeli, me subito, consecrâ sibi celeritate ac decentiâ elevaverunt, duxeruntque ad illam immensam altitudinem, ubi manet superior pars meæ animæ: constituerunt me coram illa summa Majestate, à qua fui cum magnis amoris indicijs excepta. Derepente sum passâ ecstasim, occupata somno quodam spirituali, communicante se mihi quietissimè ac delicatissimè Domino, & ex eo expergefacta obtuli Deo, in cujus versabar presentia, illud pretiosissimum donum, quod mihi ab ipso fuerat datum, unâ cum omnibus vitæ, & mortis Jesu Christi Domini nostri meritis. Hanc oblationem peregrisum-

summo meæ animæ affectu. Subitò in-
cepi audire strepitum tanquam vehemen-
tis alicujus tempestatis, quâ durante cade-
bat quasi ex alio superiore cœlo, in magna
copia, super me, atque ad solum cœli, in
quo eram, densa grando, cujus tantus erat
impetus & abundantia, ut omnia fuerint
pretiosissimâ illâ pluviâ quàm celerrimè
repleta. Nequit explicari verbis voluptas
& consolatio, quâ suavissimus illius tem-
pestatis strepitus, & grandinis pulchritu-
do, replebat animæ auditû & visum. Gran-
do partim erat major, partim minor, &
alia hujus, alia alterius coloris, omnem re-
ferens varietatem, quam hic observamus
in coloribus, cum eo tamen, quoad venu-
statem & perfectionē, discrimine, de quo
dixi initio, ut satis clarè intelligeretur, uni-
cum hujus grandinis granum majoris in-
comparabiliter esse pretij, quàm universa
simul, quæ reperiuntur in terra.

Advenere continuo multi Angeli,
qui jussu Dei, cum ingenti gaudio, & con-
cinendo divinas laudes colligebant illum
sacrum thesaurum, quo onustos Deus mi-
sit in diversas mundi regiones, ad provin-
cias Christianorum, hæreticorum, & gen-
tilium: atque in omnibus his terris vidi
nonnullos, per Dei bonitatem & miseri-
cordiam, quam suis exhibet creaturis, fuisse
reptos ejus beneficij capaces. Præsertim
verò vidi, magnam obrigisse partem
Catholicis, qui inter infideles vitam agen-
do multa patiuntur, ut conservent fidem,
& præcepta divina observent. Sancti ij
ablegati citissimè redierunt summo af-

fluentes gaudio, propter impletum à se
Dei mandatum, & collatum hominibus il-
lud beneficium. Ego considerabam, cum
mihi nihil daretur, atque optabam ut de
mihi pars quæpiam tribueretur, quod ipse
humiliter exposui Domino, cujus eram po-
dibus advoluta. Divina Majestas annuit
meæ petitioni, jussitque mihi partem dari.
Præcinxerunt me quantocumque linteo, & in
hoc iniecerunt grandem copiam earum
gemmarum, ut illas ipsas distribuerem per-
sonis, quibus ipsas ex inspiratione, ac dire-
ctione divini luminis judicarem con-
verti. Cum isto thesauro benevolè & aman-
ter dimissa à Domino, uti alias, sum à meo
Dominis Angelis reducta ad meum an-
gulum, ubi meus S. Angelus Custos ita-
tim abstulit meum linteum cum omni the-
sauro, qui in eo erat, & servavit ipsum suo
tempore usui futurum. Hæc visione fini-
tâ, cum desiderarem scire, quid significa-
ret, edocta fui à Domino, quod Divina
Majestas intuitu suæ misericordiz, & ob
amorem, quo profecit Jesum Christum
suum Filium, & Dominum nostrum, atque
etiam respiciens affectum, quo illi obruta-
ram merita hujus Domini, & virtutem
ipsius passionis ac mortis, pro hominum
salute, & remedio tam spiritualium, quàm
corporalium necessitatum, in quibus ve-
santur, ostentaverit illam pluviâ divino-
rum donorum & beneficiorum, ut homi-
nes ea acciperent à Sanctis suis Angelis.
Ipse propter omnia opera sua sit be-
nedictus. Amen.

-(H)-

CAPUT V.

Alij diversi eventus, ex quibus patet, quàm fidelem
hæc Virgo suorum egerit proximorum advocatam, quàmque
tenere se ferit, dum ij punirentur.



Omnes hoc loco recensendi e-
ventus spectant ad annum
sexcentisimū vigesimū
sexto, quos eo ipso ordine
connecto, quo per hujus an-
ni decursum acciderunt. In
quibusdam eorum apparebit sollicitudo & fer-

vor, quo Venerabilis Marina agebat
DEO suorum causam proximorum; in ali-
lys afflictio ac dolor, quo angebatur, dum
obtenebat ipsi veniam; in omnibus autem
cium advocata, quod illi à Deo voluerat
injunctum, ad succurrendam communi
necessitatibus.

Quodam

Quodam, inquit, die, in Martio, me Deus vocavit dicendo: Ecce, Anima, tu nescis, quomodo tecum agatur. Quomodo, mi Domine, respondi ego, mecum agitur? Divina Majestas aperuit meos oculos, & conspexi juxta me magnam turbam Catholicorum, unâ cum Angelis ipsorum Custodibus. Subjuxit verò Dominus: Scito, te esse matrem omnium istorum pauperum hominum, hi sunt tui filij. Consideravi hæc verba, & fui vehementer pudefacta, quòd ea à Domino audirem. Tum mihi Eiusdem Majestas dixit: Cùm sint tui filij, omnesque à te dependent, sicut parvuli & pauperuli infantes dependent à suis matribus; quemadmodum istæ ostiatim mendicant panem pro ijs aledis, ità tu illum debes petere, ut hos homines sustentent. Mi Deus, respondi, quâ ratione ego mendicabo? scis namque me esse valde miserabilem & verecundam. Conticui modicùm, & postea re melius pensâ dixi: Omnino, Domine, dico, omnino faciam id, & recurram ad te, qui bonis abundas æternis, petamque à te pro ipsis elemosynam. Bene dixisti, respondit Dominus, roga me, quia tibi providebo, ut habeas, quod illis tribuas: quin etiam tibi tradam claves meorum granariorum, ut ijs tuâ manu prospicias. Homines isti erant, meâ opinione, omnes horum Regnorum Fideles, & reliqui Catholici, qui versantur inter infideles, præsertim verò mei noti & benefactores.

Feriâ secundâ, vigesimâ secundâ Junij, vidi Dominum, qui mihi volebat quædam ostendere. Restiti, prout soleo, dum id possum facere, rogando Deum, ut mihi largiretur lumen, ad assequendam ipsius voluntatem. Abstraxi me pro viribus, donec non valens amplius reniti, vidi Sacratissimam Personam JESU CHRISTI Domini nostri, qui mihi dixit: Ago tandem, Soror, quia te expecto. Fui induta veste referente speciem ejus, quæ in sacris dicitur dalmatica, & Divina Majestas me secum duxit per quasdam angustas vias, usquedum me constitueret in vertice altissimi montis, unde magna terræ pars apparerebat. Eam ego contemplantur, & vide-

batur mihi esse tota deserta, oppida conspiciebantur vacua, ac desituta incolis: nemo ultrò citròque coimneabat, neque ullum erat commercium. Videns tantam solitudinem dicebam: Quid est hoc? ubi erunt isti homines? Dominus mihi graviter respondit: Hic aliquos detineo, ut illos castigem. Circumspexi, & vidi in quodam ergastulo spatiosissimo copiosam turbam, viros ac fœminas: etant, meo iudicio, circiter decem millia hominum. Universi multùm affligebantur, deplorantes suam miserandam sortem, ejulando & lamentando. Ego vices ipsorum dolens me converti ad Dominum, tam vehementibus æstuans affectibus, ut mihi videret exanimari, & rogavi illum per infinitam ipsius bonitatem, pèrque sanguinem ejus, passionem ac mortem, ut esset propitius miserabilibus illis hominibus. Dominus non fuit permotus meis precibus, nec earum habuit rationem. Convertēbam me ad Sanctissimam Virginem, rogabam illam impensè, ut intercederet pro ijs hominibus, allegans illi, quòd esset Mater misericordiæ, & Mater peccatorū, quòdque omnes spem suam in ipsa haberent collocatam. Idem petebam ab omnibus Angelis, & universis cœlitibus. Verùm tam illi, quàm Virgo Domina nostra me aspiciēbant, quandam præ se ferentes incuriam, ac si parvi facerent, quod ab ipsis tam ardentem petebam. Dum acerbo hoc dolore conficerer, insistens meis precibus, vidi repente ignem descendentem de cœlo, instar horribilium fulminum, qui corripuit illam infelicem multitudinem, ipsamque comburendo rotam redegit in cinerem, evadentibus solummodo octo vel decem personis, quæ erant matronæ ac viri graves, & quas inde pessimè constitutas Sancti Angeli eruerunt, arque ductas ad ripam latissimi & pulcherrimi fluminis laverunt, in eoque curaverunt, cum quibus per ripam sunt tam procul progressi, ut illas ultrâ non viderim. Mea anima fuit afflictissima, & vehementer timuit gravem quampiam animadversionem. Deus misereatur sui populi, per infinitam suam misericordiam.

Vita Mar. de Escob. Pars II.

Ff

Octa

Octavâ Julij, quæ fuit feria tertia, dum audirem referri, eâ die in hac Vallisoletana civitate celebrari taurilia, valde indolui, homines intentos esse oblectamenti, quando ipsis maximè incumberet agere pœnitentiam suorum peccatorum. Cùm autè id cogitarem, conspexi JE SUM Christum Dominum nostrum, qui mihi dixit: Etiam tu debes tauros spectare; quod breve dictum Divina Majestas tam gravi protulit vultu, cum tanta vocis autoritate, ut ostenderet, quis esset, quòdque non loqueretur sinè magno mysterio. Nihilominus mirata sum ea verba, quia non intelligebam, quidnam vellet. Verùm Ipsiùs Majestas, ut mihi manifestaret, cur sibi placeret, ut eos spectarem, mandavit his Dominis Angelis, ut me deferrent ad forum, à quibus collocata è regione Conventûs S. Francisci, vidi supra tectum multos dæmones, qui se mutuo instar canum mordebant, & dum rixarentur, aliqui cû ingenti impetu ruebant ad terram. Ego decumbebam in lecto, circumdata ab Angelis, assistente mihi velut virtute Dei, me tam specialiter protegentis, ut existimarem, mihi nec ab universo mundo, neque à toto inferno posse noceri. Vidi deinde prodeuntes tauros, & illorum exagitatores, atque omnia mihi videbantur lusus infantium, & qui congregiebantur cum tauris esse nani, tauri verò nihil habere virium aut generositatis, quod mihi Dominus vivacissimè repræsentabat. Tum conspexi multos homines existentes in foro, qui invadebantur à diabolis, tanquam ferocissimis tauris, licèt assumptâ specie humanâ, & corporibus altissimorum, atque crudelium gigantium. Ab his horribilem edentibus stragem impetebantur miserabiles homines, ac discerpebantur. Ego tanto cum dolore contemplantur istud lamentabile spectaculum, ut mihi cor disrumperetur: elevatis autem oculis ad cælum vidi Beatissimam Trinitatem, quæ cum imensa quiete & gaudio replebat gloriâ omnes suos Beatos Palatinos, & perinde ac si res humanæ non subsistent ipsius providentiæ, nullam earum videbatur gerere curam, neq; commoveri luctuosis casibus, qui meis oculis obversabantur.

Hæc spectabat mea afflicta anima, le nesciebat, quid aliud diceret, præterquam tantummodo: Deus meus, & magnarum miserationum! id quod sæpe ardenti affectu iterabam, ut Divina Majestas miseretur sui populi. Dum inhæterem huic affectui, qui vehemèter invalescebat, & aspicerem Deum, qui se fingebat surdum, ac simulabat me à se non audiri, prodixit quidam Sanctus Angelus, dixitque mihi graviter & indignabundè: Quare dicis: Deus meus, & magnarum miserationum! prætermitte id, atque dic: Deus justitiæ & ultionis. Audivi hæc verba, & acsi timore perculsa laterem in quopiam angulo, nihilominus ibi anxie idem dicebam: Deus meus, & magnarum miserationum! utquod Dominus me intuitus, dixit: Nomen te meus Angelus monuit, ut diceres: Deus justitiæ & ultionis? cùmque se exhiberet iratum, & ità constitutum, acsi nullo tangeretur dolore ob mala, quæ fierent in terra, repetebam, uti hæctenus, eosdem affectus & verba, ac deinde rem accuratius expendebam, & ajebam: Jesu! Jesu! èstne possibile, ut id fiat Vallisoletæ? Hinc meæ cogitationi Dominus respondit dicendo: Non percepisti visa, quod tibi ostendi, sit in foro mundi. Fuit mihi significatum, sic potissimum agi in Aula: unde se Deus monstrabat iratissimum, & munitur, se puniturum peccata, quæ contra Ejus Majestatem committebantur. Ego illum rogabam, ut cohiberet suam indignationem, allegando ipsi multa, quibus commoveretur, & postquam hac de re ita quædam locuta, subduxit se meo conspectui, significando mihi, quòd ei ligaret manus, placando justam ipsius iram, & inclinando illum ad misericordiam, atque illud spectaculum mihi disparuit. Designetur Divina Majestas propter sanctam ipsam nobis suam exhibere infinitam clementiam.

Die Dominicâ, sextâ Septembris, post præterlapsos aliquot dies, ex quo me Dominus non ducebat ad caelestem Jerusalem (quem mihi favorem sæpe ex se solet bonitate præstare) videbat mihi conspicere illam supernam civitatem

in modum, quo hic turres eminus videntur, & fastigia magni cujuspiam castelli. Interea adverti aperiri cœlum, vidi Beatos illos Palatinos, circumdantes thronum Beatissimæ Trinitatis, quæ se mihi præbuit spectandam immensâ præditam majestate, meque amantissimè invitabat (præsertim Sacratissima Persona Spiritus Sancti) dicendo: Veni amica mea, additis alijs verbis, quæ adeo ineffabilem charitatis magni Dei nostri significabant dulcedinem, ut, licet me ob meam indignitatem ea commemorare pudeat, nihilominus ex ipsis in me derivetur effectus profundissimi contemptus mei ipsius, dum expendo gravitatem, quâ proferuntur, atque tam efficacem complacentiam, ut parum, & nihil esse existimem, pati omnia imaginabilia tormenta, ac millenas sustinere mortes, quò vel minimum quid in honorem tam benigni Domini fiat. De repente me hi mei Domini Angeli erexerunt, decentissimè consvetâ ipsius celeritate ab ipsdem vestitam, dicentes: Age, Anima, DEUS nobis præcepit, ut te abducamus. Cum ascenderem ad cœlum, vidi mihi ab alijs Sanctis Angelis impediri transitum, non permittentibus me progredi. Hæc difficultas mihi accidebat gravissima, & sicut corpus, si pendens in aère ab alijs sursum, ab alijs autem traheatur deorsum, ingens sentiret tormentum; ita mea anima terribilem patiebatur dolorem, ut coacta fuerim conqueri ac dicere: Domine discerpor! Tum vidi procedentes ex pectore Divinæ Personæ Spiritus Sancti quosdam radios, instar aureorum filorum, lucidissimos, qui me undique circumsvaviter traxerunt, & perduxerunt ad cœlum, recedentes, prout ego progrediebar, intra semetipsos, donec illuc pervenirem. Dum jam fui apud thronum illius immensæ Majestatis, superior pars meæ animæ est ingressa pectus ejus Divini Domini, ubi modo mihi possibili, sed incomparabiliter clariùs, quàm si id oculis viderem corporeis, agnovi quiddam nos docet Fides de eo abscondito mysterio Trinitatis Personarum, in perfectissima Essentiæ unitate. Hæc divina unione frue-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

batur superior pars meæ animæ, quando sunt ingressæ duæ meæ amicæ, meque cœperunt alloqui, quas quidem audiebam, non tamen bene, & vix ipsis poteram respondere. Taliter fui diu constituta, quoadusque mysterium cessavit. Non est mihi tunc declaratum, qualis fuerit istius ascensus difficultas, & cur illum ij Sancti Angeli impediverint: sed modò mihi ipsâ Dominus explicuit dicendo, Sanctos illos Angelos fuisse præfides Regnorum & Provinciarum mundi, qui ignorantes, quid Deus decrevisset, timuerunt nè ibi remanerem, ac propendebant in contrarium, petentes id à Deo, propterea quòd exiguis meis precibus possem prodesse mundo, juxta ipsorum intentiones. Verecundor plurimum, & erubesco, quòd hoc dicam: Deus autem novit, non aliter se rem habuisse, & à meis Confessarijs jubeor id scribere.

Post hoc sequenti die Sabbathi, duodecimâ ejusdem mensis, cum mihi quidam servus Dei retulisset bella Germaniæ, & specialiter ea, quæ gerebat Rex Poloniæ adversus Turcas ac Tartaros, indolui magnopere, & fui contristata, propter afflictionem Catholicorum, atque persecutionem, quam sancta Fides nostra patitur à suis hostibus. Commendavi hæc negotia Deo, rogavi illum, ut prospiceret felici statui Ecclesiæ suæ. Proximâ deinde feriâ secundâ me Dominus vocavit dicendo: Veni, Anima, veni mecum. Vidi Majestatem Jesu Christi Domini nostri in eo habitu & vestitu, quem gerebat conversans in vita mortali cum hominibus: is me, apprehensâ meâ manu, ac si paucorum forem annorum puellula, secum duxit. Cœpimus progredi viâ quadam valde latâ & spatiosâ, quæ erat amœnissima, & videbatur esse purissimo auro strata. Mirabar vehementer, & respectabam meum Dominum, more infantium, dum sunt contentissimi, propterea quòd ducantur à suis parentibus, quos alloquuntur, intuendo ipsorum vultum, ac si in eo situm esset omne illorum bonum & præsidium: ita nempe ego aspiciebam Dominum, tanquam illum, quo cum mihi nihil deerat,

Ff 2 atque

atque dicebam ipsi: Quam gratiosas habes vias, mi Domine, quam pretiosas, quam jucundas! Divina Majestas autem mihi suavissimè blandiendo respondit: Anima, sic tu progredieris. Multùm ob hæc verba erubui, quæ licèt tam benignè dicantur, aded nihilominus afficiunt animam, ut tota intimè commoveatur, agnoscens suam vilitatem, propriùmque suum nihilum, atque idcirco illi respondi: Ah mi Domine, noli mihi id dicere! sed Dominus tunc tacuit.

Procedentes ulteriùs ingressi sumus ingentem campum, qui totus apparebat argenteus, & in ejusdem superficie multæ conspiciebantur inscriptiones, instar epitaphiorum. Erant præterea in varijs illius locis magni quidam pretiosi lapides, & alij minores. Hic mihi Dominus dixit, nos esse in ditione Turcarum. In confinijs, & circuitu hujus campi erant multi homines armati, qui illum custodiebant, cum magno strepitu & clamoribus, alloquentes se invicem, sibi que correspondentes, quam communicationem mutuam mihi videbatur exigere incumbens ipsis custodia. Omnis hæc turba erat profus scurrilis, quod ipsum indicabat vili ac lacero vestitu, atque ex omnibus, quæ forinsecus observari poterant, apparebat, esse homines perversos. Dum Divina Majestas hunc campum intravit, universi fuerunt turbati, seq; accinxerunt ad defensionem, multis undique accurrentibus, ad subveniendum ipsis & opitulandum. Dominus nihil fuit immutatus, sed ostendens, se omnibus dominari creaturis, summa cum majestate perambulavit totum illum campum, donec perveniret ad ejus limites: & postquam hos attigit, tantus exarsit ignis, ut in momento universum combusserit campum, & omne argentum, lapides pretiosos, omnemque ipsius ornatum converterit in miserabilem lacunam abominabilem, & malè olentium aquarum, unaque omnes illos hominum exercitus consumpsit.

Subitò conspexi pulcherrimam scalam, valde latam, affabreque constructam, & in ea infinitam Angelorum multitudinè,

quos hætenus non videram, licèt millei Dominum comitarentur. Per hanc incipimus ascendere ad coelum, & postquam pervenimus ad thronum Sanctissimæ Trinitatis, omnes nos prostravimus, ipse quoque Christus Dominus ut homo, qui Patri suo æterno dixit: Domine Omnipotens, feci judicium & justitiam, castigando illam infernalem turbam: hanc autè creaturam tibi adduco, ut illi nova conferas dona & gratias, utque solatium capiat ex dolore, quo illam bella infidelium affecerunt. Pater æternus me est incuitus, sicut aliàs, exhibens serenitatem & benignitatem illorum divinatorum oculatorum, cuiusque mihi suâ benedictione me univit cum suo Divino Esse, ubi inter altissimas notitias se mea anima penitus perdidit, donec mihi restituta me repeti in meo angulo: quanquam superior pars ejusdem meæ animæ, quasi esset aliquid à me distinctum, videatur remansisse apud suum Deum.

Mense Octobri, quintâ ejusdem, quæ fuit feria secunda, postquam totâ nocte læto affixa, graves perpessa sum dolores, contracto per eos corpore, & animâ fatigatâ (quanvis semper, quæ Dei est bonitas, retinerem consuetum mihi modum divinæ presentie) vidi Divinam Majestatem, quæ conversa ad meos Dominos Angelos, ipsis dixit: Accipite istam creaturam, & ducite illam, quò vobis dicam. Relegiebat id natura, unde dixi Domino: Mi Deus, quomodo hoc fieri potest, cum iam ita conquassata, ut mihi videar, ubi dicitur mota, expiratura. Interea Dominus dedit executionem sui mandati, post unam autem horâ denuò id ipsum Angelis precepit, atque ego etiam rursus simul accerpugnavi, rogans meos Dominos Angelos, ut me relinquerent in meo loco, si Deo placeret. At ipsi responderunt: Permisi fieri, quod vult Deus, quia exceperunt ejus mandatum suavissimè, & absque tua molestia. Apprehenderunt me libenter, quàm circumspèctissimè, & collocaverunt in quodam velut pulvinari, atque operetam tulerunt ad litus amplè & vastè maris. Omne illud spatium exiguum habebat lucem, qualis est in crepusculo liberrimo.

ortum solis, & albescente die. Iussu fui perlustrare oculis illud mare, vidique in eo vehementem fluctuum commotionem: & quamvis alicubi quædã apparetur malitia, alibi tamen omni ex parte immanes furere procëllas ac tempeitates, & naves confringi, alias verò demergi, alias huc & illuc appellere convulsas.

Dum hos tam luctuosos considerarem casus, moverunt me Angeli, atque tulerunt ad medium maris, ubi super aquas constituta audivi magnos ejulatus & lamentabiles multorum hominum clamores, qui vehementer anxij ac afflicti vociferabantur, tanquam proximi submersioni. Ego invocabam summo affectu Deum, dicebamque illi: Expecta, Domine, expecta. Tandem vidi fuisse submersos ac mortuos in aquis, & plerasque defunctorum animas ivisse ad Purgatorium, alias verò his pauciores ad Infernum, atque pauculas quasdam evolavisse ad Cælum. Hæc omnia anima mea spectavit magna cum admiratione, & aspectu meum Dominum tanquam attonita, etiam idcirco, quòd mihi Divina Majestas diceret, multis ex ijs animabus, quæ iverant ad Purgatoriu, obtigisse eam bonam sortem, propter meam intercessionem (quamvis illas non noverim, neque sciverim quænam essent) illas autem, quæ descenderant ad Infernum, se noluisse disponere, ideòque in æternum perijisse. Subjuxit quoque Dominus: Noli cogitare, id esse signum, quòd plures salventur, siquidem plures damnantur. Unde intellexi, specialem aliquem fuisse illum eventum, licet aliam magis individuum ejusdem notitiam non habuerim: cognovi nihilominus, per mare à me visum, & ipsius tempeitates significari hunc mundum ac tentationes, & varia, in quibus anima versantur, pericula interitus. Post hoc me Angeli retulerunt ad meum locum.

Denique decimã nonã Decembris, postquam aliquot diebus multum fui vexata, ac defatigata occurrentibus quibusdam proximorum meorum negotijs, dum maximo affectu commendarem, & exponerem ipsorum necessitates DEO (quem nunc semper specialius præsentem

sentiebam, quàm communiter convenerim) dixit mihi Eiusdem Majestas: Anima, veni mecum, & quiesces in me. Nequaquam, nequaquam, mi Domine, non est nunc tempus quiescendi. Cùm mea, & vicinorum meorum domus ardet, non bene fieret, si quærerem solatia, sed necesse est, ut juvem extinguere ignem, non subterfugiendo laborẽ. Itã loquebar, quia graves erant calamitates publicæ, de quibus mihi constabat, & afflictiones meorum proximorum torquentes cor meum. Bene est, respondit Dominus; verum si illos itã desereres ac aufugeres, ut quæreres fontem, unde haurires aquam, ad extinguendum ignem, jam id non male, sed bene fieret. Sic fui denuò relicta à Domino duabus circiter horis, & postea mihi secundo dixit: Modò veni mecum, Anima, & quiesces. Tum vidi quosdam S. Angelos, qui subito fabricaverunt inter quatuor columnas, & exornaverunt magnificum thronum, in cujus medio collocaverunt sellam. Quatuor deinde eorum innitebantur columnis, ac si illas sustentarent, cantantibus tam his, quàm reliquis dulcissime: cùmque me posuissent in ea sella throni, dixerunt: Divinus Sponsus venit. Quotiescunque ab Angelis audio proferri hoc nomen sponsi, notabiliter verecundor, & pudeo, ideòque ipsis dixi, sicut aliàs: Mei Domini nolite taliter loqui, quia ego sum vilis ancilla Domini, & serva inutilis. Itã prorsus est, responderunt illi: quod si tamen aliquis Rex sibi desponsset ancillam, eamque exornet, ac ditet, erit utiq; ipsius Sponsa: maximè verò, si ejus sit potentia, ut naturalem illius nigredinem vario cooperiat ornatu ac decore auri, quod est charitas. Id verò in te est operatus Omnipotens. Itã me sedentem tulerunt ad cœlestem Jerosolymam, præsentantes me Majestati Triunius Dei, qui sit benedictus. Amen.

Prostravi me coram hoc magno Domino, & manifestavit se mihi singulariter Sacratissima Persona Spiritus Sancti, qui arrepto cum ingenti majestate meo brachio, imposuit meis digitis elegantissimos anulos, in aures auribus, speciosissimũ monile collo,

collo, & pretiosam coronam capiti. Postquam fui exornata, iterum prostrata sum coram Sanctissima Trinitate, ubi, uti alijs vicibus, deposui coronam cum cæteris cimelijs, eidemque magno affectu obtuli, existimans absque omni dubio, quòd, si mea esset universa hujus mundi, & illius cœli gloria, eadē promptitudine ipsam illi offerrem, meque rebus omnibus privarem, ut Deus omnibus frueretur. Divina Majestas acceptavit oblationem, ostendens, sibi eam plurimum placere, & mandavit, ut mihi rependeretur vestis, quæ speciem habebat Dalmaticæ, defluens usque ad pedes; manicæ quoque illius erant longæ, pertingentes ad manus. Indicatum mihi est, Deum per eam gratiam significare, quòd mihi jam conferat possessionem gloriæ, quâ suo tempore essem fruitura. Dum hac pretiosâ Dalmaticâ fui vestita, Dominus mihi restituit omnia illa cimelia, quæ ei obtuleram, sed longè, quàm antea fuerint, meliora. Cum omni autem isto ornatu me duxit ad quoddam elegans palatium, in quo erat aula inaurata, pretiosissimis exornata gemmis, ex quarum singulis milleni gloriæ splendorès prodibant. Hic ingressa in abyssum Divini Essè, secundum meam capacitatem, sum fruita immensis bonis. Deinde me Divina Majestas elevavit ad magnam altitudinem pul-

cherrimæ turris, ibique mihi existenti dixit: Age Anima, perlustra hinc totum mundum. Aspexi, & vidi omnia Regna, terras, maria, & eorum divitias, atque omnia mihi apparebant instar puncti, comparata immensitati illorum, quæ videram. Subjunxit continuo Dominus: Anima pece, quidquid volueris, non decet erari, ut revertaris vacua. Rogavi Divinam Majestatem, ut propitius esset suo populo Christiano, & omnibus Regnis, utque ea liberaret ab hostibus Fidei, & quandam personam ægrotam restitueret sanitati, quam ego illi exoptabam, ut lucraret ipsius animam, in magna constitutam necessitate, id quod Dominus omnino dixit futurum, sicut re ipsâ fuit factum. Petivi deinde ab illo, ut appelleret classis, atque ut cuidam Domino impertiretur filium hæredem. Non dixit mihi definitè, se id facturum, attamen quod attinet ad classem mihi dedit modo quodam, quem nescio explicare, spem certam: quod verò hæredem concernit, necdum illam perdidit, exspecto quid sit futurum. Deduxit me Dominus eadem viâ, donec me collocaret in timo, unde me abduxerat, & in eo fui à meâ Dominis Angelis delata ad meum angulum. Benedicte sit Divina Majestas in æternum. Amen.

(H)

CAPUT VI.

Gratificatur nonnullis personis, & in Catholicorum commodum castigat quosdam infideles; alijs subvenit quoad Fidem: referuntur unâ alijs admirabiles casus.

Non minùs hæc Virgo fuit sollicita de commo proximorum, anno sexcentesimo vigesimo septimo, videnturque aucta fuisse gratia, quas illi Deus prestitit, ut ipsis posset efficacius succurrere. Omnia patebunt ex actis hoc anno, quæ nobis ipsa descripsit, & sequentibus retulit verbis.

Septimâ circiter Januarij conspexi septem, aut octo homines (quos tunc non agnovi) intra quosdam transversos palos

quasi consigentes, ita ut non possent se invicem accedere. Tum adventit quidam dæmon, qui abstulit illos palos, atque quodammodo ijs hominibus, ac turribus. Mirabar hoc spectaculum, ac currendo frequentius ad Deum, cui me intimè commendabam, mansi aliquod diu in ecstasi, atque ad me revertens, quòd illi viri insistentes eidem terræ, calcabant, descenderent usque ad flum. nescio fueritne maris, an fluvij: neque enim id observavi abrepta ab hac die.

visione. Ibi illos reliqui vehementer obstupescens. Deinde postmodum vidi, quod illos duæ spectabiles personæ (videbantur esse Reges, & regia gerere in capite insignia) venientes cum suo comitatu ad illud litus, captivaverint, & abductos in suam ditionem omnes conjecerint in obscurum carcerem, præter unum, qui, nescio quam ob causam, remansit ad ejus portam. Interea non poteram hanc repræsentationem ex mea anima excutere, & alio postea die, qui jam erat tertius hujus visionis, conspexi Dominum, qui mihi dixit: Age Anima, te ire necesse est, ut educaas illos viros ex carcere, in quo detinentur. Mi Deus, & mi Domine, agebam, quomodo ego id possum præstare? tam arduum negotium superat exiguas vires meas. Noli timere, dixit Dominus: nam hi Angeli te juvabunt. Designavit Divina Majestas in hunc finem duos ex istis meis Dominis Angelis hinc præsentibus, quorum alter fuit *Fortitudo*, alter autem *Missus major*. Profectus igitur sumus ad carcerem, ubi erant ij miserabiles homines, quem ingressa omnes agnovi. Erant miseri afflictissimi, timebant ac tremebant, tanquam præstantes mortem, aut aliud grave supplicium. Sancti Angeli ipsorum Custodes, à quibus non fuerant derelicti, nobis conspectis sunt plurimum exhilarati, quibus hi mei Domini Angeli dixerunt: Debemus istos homines hinc educere; atque sine mora apprehenderunt unum ex illis, qui ei loco videbatur esse affixus perinde ac si pedes forent ejusdem materiæ, cum ea, in qua stabant; quasi vellent avellere statuam à suppedaneo elaborato ex eodem trunco. Consideravimus, in quo sita esset illa difficultas, & vidimus, quod infelix ille homo imposuerit, ac demerferit unum pedem intra viscera terræ, ut videretur pertingere usque ad infernum. Sancti Angeli omnem adhibebant conatum, ut ipsum extraherent, & acsi essent corporei, ostendebant se fatigari, atque modicum quiescere, ut restauratis viribus resumerent laborem. Denique effecerunt tantum, ut illum hominem inde extraherent, quem eductum ex carcere, ibi reliquimus

vehementer fessum. Reversi sumus, ut educeremus cæteros, & summam sumus experti difficultatem in ijs avellendis, tantæ non tantam, quantam in avellendo priore. Tandem ipsos extraximus, & postquam omnes jam liberos constituimus extra portam, quilibet Sanctus Angelus Custos ad se spectantem duxit ad ipsius domum.

Notandum est, auditos fuisse, dum eos educeremus, super illum carcerem magnos clamores, quos edebat hospes domus, cui fuerant committi: advertebat enim, quid ageretur, ac demonstrabat gravem dolorem & afflictionem, quod tibi auferrentur sui captivi, & advocabat suam familiam, ut id impediret. Verum disponente ita rem Deo, nemo audivit clamores, vel accurrit ad defensionem, usquedum captivi essent restituti libertati, & educti è carcere. Postea vidi concurrisse multos homines, famulos illius Heri, qui vehementer dolentes tremendum in modum vociferabantur, & altercabantur, quod ij captivi evasisent. His omnibus peractis, fui à meis Dominis Angelis reducta ad meum angulum.

Ibi aliquantum à Deo illuminata, ut intelligerem, quid hæc historia significaret, quodque Divina Majestas quampiam adhuc vellent infligere pœnam his hominibus (quos optimè novi) converti me ingenti animo ad Deum, & ex toto affectu meæ animæ illi dixi: Nequaquam, Domine, nullâ ratione ipsos debes castigare, neque hac de te sermo habendus est: sed ne te quidquam in hoc proposito ultra agere oportet. Audivit me Deus cum magna gravitate, eademq; me interrogavit: Quis verò erit adeo potens, qui impediatur, ut non faciam, quod voluero? Ego cum ea fiducia, quam ipsemet Dominus tum inspirat (quod quidem clarissimè advertitur, & nequit explicari, quomodo non excludat summam reverentiam, quâ ipsum anima tunc adorat) illi respondi: Domine, ego te impediam. Et quæ es tu? reddidit Divina Majestas. Nonne scis nullam reperiri seu in cælo, seu in terra potestatem, quæ meæ resistat voluntati & potentia?

tit. V
Marinæ de Escobar
RV
15

tia? Jam id scio, mi Domine, dixi, & bene novi, me esse formicam, verum constat mihi etiam, quod te ex mera tua bonitate, charitate, & misericordia, finas vinci precibus servorum tuorum, cujus rei ex tua scriptura audivi exempla de tuis servis Abrahamo & Moyse. Ideoque, Domine, quamvis ego nihil sim, propter tuam tamen bonitatem te patieris vinci meis precibus, ne punias istos homines. Auscultavit me Dominus, exhibendo mihi singularem amorem, & cum eodem mihi dixit: Bene locuta es, Anima, optima est tua allegatio, ut, quod tibi proposuisti, obtineas. Et hoc dicto mihi disparuit. Vehementer optabam, ut Deus abstinere à vindicandis, quibus fuerat affectus, injurijs, & illuminaret eos homines, ut, si rei sunt peccatorum, agant poenitentiam, quod ipsorum multum interest. Deus illos adjuvet, quemadmodum potest.

Die Sabbathi, vigesimâ septimâ Januarij, invocabam instanter Deum, dicebamque illi: Mi Domine, nihilne mihi mandas? obsecro te, jube me aliquid facere, quod ad tuum cedat honorem. Conspexi subito Majestatem Jesu Christi Domini nostri, qui mihi dixit: Sit ita, volo tibi aliquid injungere, quod præstes in meum honorem. Præstabisne id autem? Omnino, mi Domine, respondi, quam libentissimè: statimque provoluta in genua junxi manus, attentissimè intuendo Dominum meum, ut accuratissimè audirem, quid mihi vellent præcipere; & aspexi meos Angelos, desiderans, ut ipsi quoque diligentissimè attenderent. Cùm ita penderem à vultu mei Domini, dixit mihi Eiusdem Majestas: Proficisceris, comite solo tuo Angelo Custode, relictis hic cæteris, ad maria, quod dicis te solitam à me duci, ibique facies, quod tibi dicam. Fui continuò à meo Sancto Angelo Custode ducta ad litus maris, quod non novi, neque existimo, me aliàs in ea regione fuisse, ideoque dixi Domino. Istud, mi Domine, licet sit mare, non est tamen, quod unquam pertransiverim. Erant ibi quinque naves, seu triremes, quibus vehebantur homines, meâ opinione omnes pessimi. Hærebant

hæc navigia quasi in arena, quia nonnulli modicam sub se habebant aquam. Sanctus Angelus me collocavit ad restra unius ex illis navibus, dixitque mihi: Hic ingredere deorsum. Ego timui, & non nihil sum reluctata. Noli timere, ajebat ipse, intra, ego enim te sequor. Intravi, non ad infimam partem, quam dicunt vocari carinam, sed infra latus, cui applicui humerum, & connitendo velut ad impetendum impetum, illam propuli intra mare. Mirata tui valde meum factum. Similiter me Sanctus Angelus jussit subire, consequenter alias, donec omnes proterederemus ad mare. Vidi de repente turbati aquas, tantamque excitati tempestatem, ut omnes fuerint submersæ, unâ cum hominibus, qui ijs vehebantur. Tum aspexi Dominum, qui mihi egit gratias, ac ego id præstitissem. Erubui, & dixi illi: Quid verò, mi Domine, ego hic præstivi, aut quid nunc feci? Multum fecisti, respondit Divina Majestas, isti enim hinc orant accincti ad inferendum damnationis filijs meæ Ecclesiæ, quod intulissent gravissimum, nisi tu illos submersisses. Hoc vidi, & hoc mihi dixit Dominus, cui sit laus pro beneficijs, quæ nobis confert.

Primâ Martij, quæ feria fuit secunda, vidi in cælo infinitos Angelos splendidè vestitos, bene armatos, & speciosissimos. Explodebant suos sclopos, quorum hinc laudes erant Dei. Tum non observavi quæ esset illorum dux: sed eùm inciperent proficisci, vidi, quod egredientes ex cælo antecederet Jesus Christus Dominus vester. Circumiverunt sequentes Eiusdem Majestatem totum hunc inferiorem mundum, ostentando magnam generositatem & potentiam. Vidi daemones tremebundos, qui erant in terra, ac terrefactos ab illo grandi exercitu, fugientes, seque intra aquas, in earundem abyssu, abscondentes. Postea tota illa sacra cohors cum suo Rege vino duce, eodem ordine quo prodierat, rediit ad cælum.

Post quatuor abhinc, vel quinque dies, cùm meam Deo offerrem voluntatem, ipsumque rogarem, ut meâ dignaretur operari, quomocumque illi placeret, quæ

meum cor tum, præ fervore affectûs, nè minimam ulla in re sentiebat difficultatē) conspexi ipsummet Dominum nostrum JESUM Christum, qui mihi dixit: Veni huc, Anima, necesse enim est, ut te eò conferas, quo à me mitteris: facies autem, quod tibi dicam. Eram contentissima, quòd mihi Ipsius Majestas aliquid dignaretur mandare, & attentissimè audiebam illius verba. Descendes, ajebat, per has scalas (repræsentabat verò mihi Dominus omnes earum circumstantias, de quibus mihi loquebatur) & procedes usque ad infimum illarum terminum, ubi deprehendes homines, quos interrogabis, qui sunt, & qualem se quantur legem: atque si bene responderint, bene cum ijs agetur; quod si non, præcipita illos in infernum, ad cuius fauces ipsos reperies. Comitabitur te tuus Angelus Custos. Noli verò exhorrescere, aut metuere obstacula, quæ tibi occurrent in via; siquidem tibi nihil poterunt obesse. Auditis his Domini verbis, me prostravi coram Ejus Majestate, & osculata sum terram. Mox ab illo digressa cœpi descendere per scalas: comitabatur me Sanctus Angelus, non descendebat tamen per illas, sicut ego, sed propriâ se sustentando virtute ibat velut per aërem ad latus meum dextrum. A latere sinistro prodibant multa fera animalia, quæ me terrefaciebant, & conabantur remorari. Erant quasi leones ac tygrides, & alia diversæ speciei, quæ non novi, neque unquam vidi: arripiebant suis ungvibus ac dentibus meum brachium, sed ita debilitate, ac si nihil haberent virum, & virtus divina me ita confortabat, ut illa non timuerim, neque me ullatenus impedirent. Prodibant quoque alij miserrimè vestiti hostes, hominum gerentes figuram, verum deformem & horribilem. Explodebant suos sclopos, quorû globi prætervolabant meos oculos: sed nec istorum furiam, aut rabiem, quam præ se ferebant, neque terrores, quos mihi incutiebant, curabam, quia me Deus animabat, omnibusq; reddebat superiorem.

Tandem perveni usque ad infimum gradum illarum scalarum, sub quibus e-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

rat ingens hiatus, intra quem, quasi in bathro, audiebatur maximus confusarum vocum tumultus, atque miserabilium ejulatum, blasphemiarum, lamentationum, & gemituum, quibus millena possent dirumpi corda: eratq; tantus horror, quem hæc omnia afferebant, ut mihi abundè manifestaret locum æternorum tormentorum. Prope hunc hiatus, atque apud postremum dictarum scalarum gradum, erant quatuor viri, qui omnes videbantur esse Reges: unus tamen magis conspicuus habebat in capite quandam præaltam quasi tiaram. Postquam ad ipsos perveni, interrogavi illos perquam imperiosè: Qui estis vos? qualem observatis legem? & quid hic agitis? Tres tacuerunt, ille autem spectabilior, quasi iracundè mihi respondit, dicendo: Quæ verò est tu, quòd ista ex nobis scisciteris, & quid hic quæris? His dictis varios edebat gestus, jam unum brachium attollendo ad cælum, jam utrumque decussando supra pectus. Ego instabam, urgebámque illos, ut mihi responderent, qualem legem observarent, & quem Deum adorarent. Cùm autem mihi prior responderet: Nos habemus legem, & adoramus deos majorum nostrorum, atque in hac lege salvandi sumus; non salvabimini, ajebam ego, nisi adoretis DEUM Triunum, quem adoramus, & cui servimus fideles servi ejusdem magni Domini; & peribitis in æternum, nisi habueritis fidem ipsius, ac per baptismum & pœnitentiam fiat illius servi. Non intelligimus hæc, subjecit ille, neq; scimus aliud, quàm quod à nostris antecessoribus docti sumus. Rogate igitur, dixi, lego, ex toto corde DEUM verum, ut vos illuminet, doceatque viam salutis vestræ id quod ipse faciet.

Omnes audiverunt ista verba, & tres mihi nihil videbantur posse respondere, præterquam quòd mihi denique tantum dixerint, se facturos, quod faciet is Rex, qui, ut dixi, erat spectabilior. Tam hunc, quàm cæteros complectebantur medios quidam terribiles dæmones, cùmque illos ab istis viderem impediri, nè bene responderent, magno ipsis animo no-

Gg mine

mine DEI præcepi, ut dimitterent eos miserabiles homines, & inde facerent, quod dæmones, tametsi acti in rabiem, fecerunt: & subito conspexi juxta singulos hos quatuor viros Sanctum Angelum cujusque Custodem, quos hæcenus non videram. Liber jam ab impedimento ille Rex, qui me loco omnium alloquebatur, mansuetè mihi & pacatè dixit: Dic illi DEO & Domino, quem tu adoras, ut nobis mittat magistros, qui nos verà ipsius imbuant doctrinâ, & admitemus illam quàm libentissimè, observantes ejus legem & præcepta, ut consequamur salutem, quod nobis polliceris. Fui plurimum exhilarata audito hoc responso, quia metuebam, nè, si inurbanè & malè responderent, mandaretur executioni in miseris ijs hominibus pœna, quam illis DEUS fuerat comminatus, præcipitando ipsos per illum horribilem hiatus intra eam abyssum, ubi damnati ad deò terribiliter furentes cruciabantur: ideoque vehementer gaudens ijs respondi, & promisi, DEUM satisfacturum ipsorum desiderijs, miserumque illis Concionatores ac Doctores, à quibus instruerentur. Fuerunt recreati, & animati hoc promisso. Ego redivi latura responsum Domino, cujus Majestas me ità auscultavit, ac si ista non vidisset, aut audisset, gratiasque mihi egit pro eo, quod præstiteram. Venit mihi in mentem, an fortasse isti Reges essent Turcæ, vel Mauri; & Dominus respondens meo dubio mihi dixit, non esse, sed Reges aliarum Provinciarum, tametsi non expresserit, quales eæ forent.

Mense Julio, in festo Visitationis Beatissimæ Virginis, mea anima invocabat Dominum cum ingenti fervore ac desiderio, quo tenebar, ut, libera tandem à carcere, & compedibus hujus mortalis vitæ, pervenirem ad ipsius conspectum. Dicebam illi sæpius: Mi Deus, vides hîc exulem, pauperem, miserabilem, & peregrinam. Dominus audivit meos clamores, dixitque: Esne peregrina? Ducatur igitur eò, quò tendit in sua peregrinatione, & visitet more peregrinorum loca sancta. De-

prehendi me subito indutam habitu, quæ tales gerere solent, & mei Domini Angeli me duxerunt versùs celestem Patriam: ducebant me tamen per longissimos anfractus, inter prærupta saxa, & semitas inusitatas. Ostenderunt mihi in hoc itinere vastos campos, in quibus erant quædam urbes, exiguum habentes populum. Hæc amplum aliquod conspiciebatur palatium, ibi aliud. Videbantur mihi esse homines pauperes & Pagani: erant autem Turcæ, vel Mauri. Et dicebam intra me: Hi tam pauperes parum possunt Christianis nocere. Verùm deinde vidi, quòd illæ domus & urbes, adeò parum populosæ, circumdare essent ab aureis & gemmeis montibus, unde multum indolui, siquidem mihi jam videbantur posse tantis divitijs in gens Christianitati inferre damnum. Tandem pervenimus ad cælum, & postquam illuc summus ingressi, præsentaverunt me Angeli Deo, dicentes: Domine Majestatis, hîc adducimus ex mandato tuo istam peregrinam. Vide Domine, quàm adit pulchre ornata cimelijs, quæ illi dedit Divinus Sponsus Spiritus S. Ostendebant monile, quod gerebam, armillas, cingulum, & reliqua. Ad hæc omnia respondit Dominus: Benedicitis, pulcherrimè profectò est exornata: sed non est mirum, cum tam Divinam habeat Sponsum. Summè vere cundabat coram Majestate hujus magni Dei, sentiens de me, quòd est verum, me vilissimam esse creaturam, & foetidum sterquilinum.

Interea vidi comparentes coram Majestate ejusdem magni Dei quatuor Angelos ornatissimos: singuli ferebant in manu suum flagellum, & brachia habebant succincta. Videbantur mihi adesse, ut me, quòd quidem magnopere mereor, castigarent, & revera timebam, dicebantque intra me: Etiàmne hîc in cælo reperiuntur flagelli? Etiàmne Angeli castigant? Mei Angeli me aspiciebant, dicebantque mihi distimulenter: Soror, Angeli flagellaverunt S. Hieronymum. quo audito magis metuebam. Quando advenerunt, adoraverunt Deum, ac dixerunt: Domine Majestatis, ad istum parati, ut faciamus, quòd nobis mandabitis. Ite, dixit Dominus, & castigavit.

prout vobis commisi, illas creaturas. Sancti ij quatuor Angeli statim abiverunt, qui mihi videbantur esse tam agiles ac fortes, ut possent totum mundum destruere. Per venerunt autem ad illam regionem Infidelium, quam videram in itinere, quos inceperunt flagellare, adeoque malè tractare, ut eorum fuerim misera: ac tandem descendit ignis de cœlo, qui illos, & ipsorum thesauros combossit. Post hoc mei Domini egerunt de me reducenda ad meum angulum, & Divina Majestas illis dixit: Expectate, non decet peregrinam reverti absque aliquo munere, cum inviserit meam domum: quamvis autem videatur peregrina, non est tamen prorsus talis. Vide, Anima, habitationem, quam habes in æternum paratam. Et ostendit mihi locum, quem mihi ex mera sua bonitate præparavit. Dedit mihi deinde quoddam cimelium singularis splendoris & candoris, imponensque illud meo pectori super eor, dixit, eo significari donum puritatis & castitatis communicabilis, quodque omnes, qui me intuituri essent ac visuri, liberandi essent à tentationibus, quas paterentur adversus castitatem. Ità me Domini mei Angeli duxerunt ad meum angulum.

Aliam singularem gratiam mihi Deus ante aliquot dies præstiterat. Intenta meæ solite orationi audivi Divinam Majestatem mihi dicentem: Anima, gratificabor tibi. Fui multùm turbata, & quamvis peterem à Deo lumen, nè deciperer, adeò tamen mei timores creverunt, & eousq; sunt progressi, ut illi dixerim. Mi Deus, per temetipsum te rogo, nè mihi loquaris. Sed Dominus me pacavit, & postea mihi dixit: Pone hîc istam corollam precatori- am. Tenebam unam in manu, quæ est facta ex lapide referente marmor. Obedivi Domino, qui illam benedixit, ac subjunxit dicens, quemlibet, qui oraret, adhibito qualicumque grano, vel quavis partium, ex quibus crux dictæ corollæ componebatur, præter multas gratias, obtenturum ab Ejus Majestate magna & specialia auxilia, ad consequendam suam salutem, & orationem dicendam posse esse,

Vita Mar. de Escob. Pars II.

quæ cuivis placeret. Istam corollam (dixit præterea Dominus) nemini da, quamdiu vixeris, neq; imminue: moritura ipsam dabis tuo Confessario, quam ille ijs dispersietur, quibus ipsi videbitur. Post hæc à Domino dicta, mei Domini Angeli acceperunt corollam ad suas manus, osculati sunt illam, & admoverunt suis oculis, atque resposuerunt ad priorem locum, super meum lectum. Mirabat hujus Domini bonitatem, dicebámque illi: Mi Deus, quomodo ità profundis tuas divitias? Et respondit mihi: Nónne scis, me esse omnipotentem, ut faciam, quidquid voluero? Si meorum thesaurorū reddo participem, quem volo, quid miraris? Benedicte sit misericordia hujus magni Dei.

Vigesimã octavã Augusti manè sum profecta, comitantibus me Dominis Angelis, ad quoddam mare, in quo erat classis Infidelium. Objiciebant se meis oculis multa navigia, & ibam ferens manu gladium instar lænæ. Ingressa sum mare, & visa mihi sum dissipare classem, ut una hîc navis mergeretur, ibi alia. Conabantur me trajicere, & præ turbatione aberrabant. Ego invadebam hostes, interficiebam multos; alij semivivi absorbebantur ab aquis: apparebat mihi mare secutum ab hostibus. Hoc peracto fui ducta ad meum angulum.

Feriã quartã, sextã Octobris, agens cum Deo, mihi videbar illum videre vehementer offensum & iratum, propter gravia peccata, quæ contra ipsum in hoc Regno committebantur: non cognovi peccata ullius personæ singillatim, sed genericè. Fui plurimùm afflicta, invocavi Dominum, implorans ipsius misericordiam magnis meæ animæ affectibus, & conficiebar rogando illum, ut propitius esset suo populo Christiano. Tum mihi Divina Majestas dixit: Veni mecum, Anima. Feci quod soleo, quando me timores mei reddunt pusillanimum, à quibus tunc coarctabar: sed obsequendum erat Deo, sicut ipse constituerat. Posuit me Divina Majestas intra quandam rotam verticillatam instar iridis, & solâ hujus Domini potentiam (neque enim vidi, quòd me comi-

Gg 2

tate-

taretur ullus Angelus) fui translata ad vastum mare, quod nescio in qua mundi parte fuerit. Ferebat me Divina Majestas huc atque illuc per istud mare affluentem solatio, non tamen absque modico timore, quamvis me Dominus redderet securam. Fui demersa, ignoro quomodo, vel à quo, in medio illius maris, & statim extracta, quod est factum absq; mea molestia, quin imò cum consolatione, pace, & voluptate. Intellexi à Deo, id fieri ad sedandum mare, & componendum pro malatia, ut navigantes evitarent tempestatem, quam sine hoc remedio passuri erant gravissimã. Audiui subitò Angelos magnis vocibus ex alto instantes, ut me ducerent ad cœlestē Patriam, quibus auditis timebam: sed placaverunt me, ducendò me & præsentando Dei Majestati.

Contepxi illum in specie humana summe iratum: videbatur mihi evibrare ex oculis scintillas. Habebat in manu gladium, ac si minaretur, destructum à se, ac perditum iri mundum. Significavit mihi, citò admodum adfuturum finem mundi (sed breves Dei moræ, etiam in rebus modicis, sunt longissimæ) prostravi me coram Divina hac Majestate; rogavi illam, ut misereretur sui populi, eisq; nobis propitia, quod instantissimè petebam affecti-

bus quàm potui vehementissimis. Exultimo, quòd me velut interposuerim inter Deum & mundum, ut justam suam indignationem contra me exereret, paratam ad omnem rigorem tolerandum, quem in me Deus vellet exercere. Tum Deus eiecit gladium ex sua manu, vibravitque illum prope meum pectus, quem ego sum arctissimè complexa, & audiui dicentem Divinam Majestatem: Ligas mihi manus, Anima, placavisti me, & superavisti: coram te depono arma, atque tanquam victus tibi jam gladium trado. Repleta fui gaudio & solatio, auditis benignissimis verbis immensæ illius Bonitatis, agnosceres suavissima viscera hujus potentissimi Dei nostri. Postea me Divina Majestas contempit quodam quasi somno spirituali, quo mihi videbar velut obdormivisse in brachijs ejusdem Domini, meque somnare, quòd jam migravisset ex hoc mundo, essemque in cœlo. Videbam me, quodammodo unitam cuidam Soli immensâ luce fulgenti, abundare omnibus bonis. Non constat mihi, quanto id tempore duraverit, scio autem, quòd finita hac visione, quando sum ad me reveria, me repererim in meo angulo. Benedicteus sit milles, iterumque milles DEUS.

Amen, amen.

CAPUT VII.

Prosequitur idem argumentum.



Primus è sequentibus eventibus pertinet ad vigesimam quartam Augusti, anni sexcentissimi vigesimi octavi. Quartus indicat tantummodo mensem & annum, qui est sexcentissimus trigessimus. In reliquis nihil quoad tempus invenio expressum. Ex omni tamen ordine, quo charta sunt computata, colligitur, secundum accidisse anno sexcentesimo vigesimo nono, tertium verò paulo post. Describit omnes Venerabilis Marina subsequenter verbis.

Vigesimã quartã hujus, postquam affectus meæ animæ vehementer fuissent

commoti, dum memoriæ meæ obventarentur calamitates & afflictiones, quas patitur Respublica, atque ardentè optarem, ut ab ijs liberaretur, invocabam eundem Deum magno spiritus clamore, & verbis, quæ in hujusmodi occasione magis oriuntur ex fervore affectus, quam directione rationis. Dicebam itaque illi: Mi Deus, extatne aliqua elemosina pro hac paupere, mendica, importuna, delicta, vulnerata, ac desolata? quibus alijs nominibus anima explicabat malas, & miseras temporales, & spirituales, quas reputat tanquam proprias, eò quòd illa videat tolerari à suis proximis, quarum

medium unicè desiderat. Hæc dicens me deprehendi ad portam cœli, ubi Dominus est egressus, magnam demonstrando charitatem & clementiam, mihi que dixit: Quid vis Anima? quid habes? cur clamas? Respondi Ejus Majestati eadem verba, supra à me exposita, quorum sensum reconditum, & intentionem Deus optimè novit, utpote provenientium ex affectu, què Ejusdem Majestas exsuscitat, & commovent penitissimè intra animam, ideòque mihi respondit. Fiat ità, mittam elemosynarium. Et statim intuens unum Sanctorum Angelorum, qui aderant, illi dixit: Da huic Animæ, quidquid petiverit, atque his dictis videri desijt. Mansit ibi ille Sanctus Angelus cum aliquot ex ijs, qui mihi assistunt, & dixit mihi: Age nunc Anima, quid vis? quid petis? Mi Domine Angele, respondi, misericordiam Dei. Et quid amplius? subjunxit ipse. Pero lumen, ajebam, ut agnoscam sanctam ipsius voluntatem, & ejusdem veritates. Optimè omnia hæc petis, dixit ille, sed quid præterea? Tum ego animata respondi: Puritatem divinam, munditiam cordis & intentionis, ut amem Deum, ipsumque solum in omnibus rebus quæram. Multum petivisti, dixit Sanctus Angelus, idque etiam optimè. Habesne autem, in quo hæc auferas? adfersne aliquid hujusmodi? tum ego latè exporrigens brachia: Hic, inqueiebam, omnia feram. Et quomodo? subjecit Sanctus Angelus, nõne scis, misericordiam Dei, & ejus clementiam esse ipsummet Deum? quomodo illum vis complecti, cum sit incomprehensibilis? Ità est, Domine Angele, respondi: verum Divina Majestas talem condidit meam animam, ut sit ipsius capax, & pro modo capacitatis, quam ei contulit, illum feram. Bene dixisti, ajebat Angelus: necesse tamen idcirco est, ipsam emundare, & evacuare. Quo audito cœpi sollicitissimè scrutari meam animam, & acsi haberet plicas, imponebam manum in sinum, quærens celerimè ac diligentissimè, quid intra illam lateret, & nihil inveniebam, quod impediret, vel occuparet locum, ubi latura essem meam elemosynam. Interea conspexi tur-

sus Dominum, qui se totum videbatur transformavisse in illum Sanctum Angelum, adeò ut istum non viderim amplius, remanente loco illius ipsomet Domino, quamvis subito iterum ibi conspexerim Angelum aliquantum distantem. Allocuta me est Divina Majestas amantissimè, & dixit mihi: Nunc, Anima, jam aufer, quòd desiderabas: revertere ad tuum angulum, nè natura deficiat. Rapta deinde sum in profundam ecstasim, & postquam ad me redivi, sensi me plurimum immutatam, non sinè speciali voluptate, & solatio, quod mihi attulit hæc visio, ac donum Dei.

Die Incarnationis Dulcissimi Servatoris nostri, occupata meà consuetà oratione, vidi & audivi in cœlesti Jerosolyma celeberrimam solennitatem omnium illorum Beatorum Palatinorum, & innumerabilium Angelorum Dei, qui musicis instrumentis, & suavissimis vocibus laudabant, ac magnificabant Majestatem magni sui Dei & Domini, propter inestimabile beneficium Redemptionis nostræ, ponderatis divinè omnibus ipsius circumstantijs. Venerabantur deinde summo pere, & magnà demissione Sacratissimam Virginem Mariam Dominam nostram, quòd fuerit sacrarium, in quo Verbum Divinum habitaverat, carnemque induerat. Sedebat hæc Augustissima Regina in throno altissimo, & immensæ gloriæ. Quamprimum mihi ista omnia compa-ruerunt, incipiente solennitate, Dominus mihi dixit: Accede, Anima, accede propius, & videbis mysteria, quæ hodie in mea sacra aula celebrantur. Vix id dixerat Dominus, quando, non relicto mihi spatio ad aliud quidquam agendum, fui à quibusdam Angelis ducta ad cœlum. Postquam eò perveni, hæsi velut attonita ob magnificentiam Divinæ Majestatis. Anima mea defixit oculos in Beatissimam Trinitatem, & intuebatur illam quodammodo facie ad faciem, neque illos inde poterat avellere, Deo sic disponente. Vidi tres Divinas Personas divino & ineffabili modo conversantes, & quasi invicem sibi complacendo dicentes: O quàm admirabile

bile arcanum, ac divinum opus peregrinus in Verbi Incarnatione! quàm nobis dignum! quàm est inestimabilis ejus valor! Res est magna, altissima & sublimissima. Deinde Beatissima eadem Trinitas sibi plurimum complacebat in sacrario Virginali, ubi obstupescendum illud opus fuerat mandatum executioni. Quàm rudibus & paucis id refero verbis, cum omnia totius mundi non sufficiant, ad explicandam vel atomum ex multis, quæ tum anima intelligit, de altitudine hujus mysterij, eò quòd sibi Deus ineffabiliter in illo complaceat!

Passa fui quendam mentis excessum, quasi consopita, ex quo me excitavit nova & jucunda musica illorum celestium Palatinorum, honorantium & laudantium Sanctissimam Virginem, qui sese postea prosternentes illam venerabatur tanquam suam Reginam & Dominam. Vidi deinde, quòd Cellissima Virgo, cum infinitorum Angelorum comitatu, descenderit per admirandos gradus ex throno, in quo erat, seque, postquam pervenit ad Sacrosanctam Trinitatem, humillimè & reverentissimè prostraverit, agnoscens se, quidquid esset aut haberet, accepisse ex manu illius liberalissimi Domini. Complacuit sibi singulariter Divina Majestas in ijs virgineis submissionis & gratitudinis affectibus, atque magnus Deus noster, ut est Triunus, illi impertivit suam sanctissimam benedictionem, ac multa largitus est dona & gratias, ut eas nomine ipsius posset distribuere, benefaciendo creaturis. Hæ autem, subjunxit Dominus, erunt, pro quibus apud te intercedet, teque rogabit illa Anima, quæ est ibi. Et delignavit Divina Majestas me, quod me vehementer pudet referre. Surrexit tum Cellissima Domina, infinitas Deo suo gratias agens, pro præstita sibi ea misericordia, & collocans se in throno demissiore conjecit oculos in me, innuens mihi ut aliquid peterem, se enim mihi gratificationem, juxta acceptum à Domino Majestatis mandatum. Percepi specialissimum gaudium & solatium ex munificentissima hujus Præcellæ Reginæ promptitudine, & obli-

ta penitus mei, nihil petendo quod mihi ipsi prodesset, cepti celerrimè advocare omnes, qui se mihi commendaverant, & quotquot noveram: vertebam me hucusque illuc, agitando brachia, ac dicendo: Venite amici & amicæ meæ, venite festinanter, nolite vel uno momento morari.

Occupata hoc meo ferventissimo desiderio & affectu, vidi advenientes, quocumque mihi notos advocabam: erant vero omnis status & conditionis. Accedebant etiam alij ex diversis regionibus, quos Deo commendabam, tamen illos non noverim, & multi Infideles. Singulos comitabatur Angelus ipsorum Custos, sed aliqui ex Infidelibus veniebant quasi coacti; quosdam illorum Angeli adferebant impositos humeris, alios trahebant, atque pro eorum brachio; nonnulli comparebant minus inviti. Omnis hæc hominum multitudo remansit velut circa celestem eam civitatem, & extra ipsam, quantum esset quodammodo in illorum conspectu. Postea cum summo meo solatio ingerebantur mirabili ordine Sancti Angeli Custodes horum hominum, & procumbentes coram hac Sacratissima Virgine, Angeli accipiebant ex manu ejusdem Cellissimæ Domine donum, impertientium gratiæ sibi commendatæ. Sic omnibus his hominibus fuerunt distributa convenientia dona & gratiæ, quæ ipsis concedebantur per meritum Jesu Christi Domini nostri, & intercessionem Sanctissimæ quæ Matris. Mox Angeli reduxerunt illas animas ad suum locum, quæ mihi accedendo modo fuerant representatæ.

Hac visione summè exultata, & exultans ex toto corde meo gratias Deo, pro tantis beneficijs, & paulatim inter aliorum rationes, gaudia, & gratiarum actionem sum abrepta in ecstasim, meque ipsam perdidi. Hunc in modum, nescio quantum, fui constituta. Quando ex hoc raptu ad me redivi, agens Deo gratias pro magnitudine incomparabilium ipsius benedictionum, vidi Sacratissimam Virginem, circumstantibus illam innumeris Angelis, venientem ad me, quæ mihi appropinquans me multum erubescens ac admirans

Marina
de
Escobar
RV
16

tem salutavit, dicendo: Deus sit tecum, Anima, Deus sit tecum. Magna profectò fuit tua charitas, Anima, erga proximos: siquidem tui ipsius es oblita in mysterio, quod tibi Deus ostendit, omnisque tua sollicitudo, & affectus primariò tendebat in bonum & commodum eorum, pro quibus intercedebas, & perorabas. Esto nihilominus certa, te hac ratione non perdituram quidquam, aut perdidisse: venio enim ad te nomine Dei, ut tibi dem meam benedictionem, & per illam applicem gratiam, virtutem, & auxilia Domini Dei tui. Atque hoc dictò Celsissima illa Regina mihi suam dedit sanctissimam benedictionem, & omnibus rebus, quæ erant in meo cubiculo. Subitò autem duo Angeli parvi mihi assistentes, assumptis suavissimis instrumentis, cœperunt simul celestis melodiam, quamvis tono demisso, canere laudes Domini Majestatis, & Sanctissimæ Matris ipsius. Hi duo Angeli canebant seorsim, & omnes reliqui ibi præsentibus illis respondebant alternatim. Etiam tunc summa cum suavitate mihi sui profluentis erepta, & quando ad me sum reversa, finita erat visio: colliquefcebam tamen tota, agens gratias tam benigno & clementi Deo.

Aliâ vice, dum me pro more, sed ferventer, commendarem Divinæ Majestati, conspexi, quasi tempore alieno, JESUM Christum Dominum nostrum affixum cruci. Mea anima id valde mirabatur, abstrahensque se quantum poterat, conabatur mentem aliò avocare, prosequendo suam consuetam orationem coram Deo, & se resignando in sanctissimas ipsius manus, ut in hac ancilla sua operaretur quidquid vellet. Non diu id egi, quando se mihi subitò rursus spectandam præbuit Majestas JESU Christi Domini nostri, sicut antea. Ego verò denuò ob meos timores sum conata avertere imaginationem, & redire ad Deum viâ ordinariâ, usquedum se mihi idem Dominus tertio manifestavit eodem modo in cruce. Et vidi, quòd modo spiritualissimo & arcanissimo (quem mea anima nesciet explicare, quamvis illum clarissimè spectaverit) hic Dominus

taliter affixus cruci sese inclinaverit, & facro suo capite attigerit meum, indignum tantâ gratiâ & misericordiâ. Similiter attigit meum pectus, manus, & pedes. Dum autem deinde reversus esset ad priorem situm, interposuit se inter eundem Dominum, & meam animam quædam velut aurea, & lucidissima nubecula, ideòque ipsum ultrâ non vidi. Obstupui plurimum ob admirabile mysterium, non intelligens illius significationem, & dixi Deo: Mi Domine, quid vis operari in hac miserabili creatura? quid illam taliter vis docere? Hoc perpendebam, donec mea anima, infundente ipsi Divinâ Majestate ingens & internum lumen, ut se (longè clariùs quàm oculis corporeis) videret, animadvertit, quòd in se haberet impressam & insculptam imaginem illius Crucifixi Domini eo modo, quo ipsum viderat, ac si re ipsâ foret transformata in eundem suum Crucifixum Dominum, & quodammodo participaret Divinam ipsius virtutem.

Ex ista cognitione fuit orta admiratio, humiliatio, & verecundia meæ animæ, incomparabiliter major eâ, quam habuerat initio, quanquam conjuncta magno solatio. Et revera me sentiebam adeò immutatam, ac tam diversam, non in potentijs tantum internis, sed in exterioribus etiam sensibus, ut me vix agnoverim, visâque mihi fuerim ignorare, an essem ego, quæ externè operabar & loquebar. Itâ transegi complures dies. Dum igitur hunc in modum essem abrepta, dixit mihi aliquando Divina Majestas quàm benignissimè, & amantissimè: Quid habes Anima? quare tantopere miraris? cur nunc ob humiles tuos affectus, & agnitionem tuæ propriæ vilitatis vexas adeò caput, ac times, cogitando, quomodo sit possibile, ut in te similes operer gratias? Ecce scias, quòd, prout audiveris, per Moysem in deserto exaltaverim illum serpentem æneû, figuram Crucifixi JESU Christi, proptereaque talem ipsi contulerim virtutem, ut quicumque eum aspicerent, sanarentur à moribus serpentium. Si ergo nunc propter incomprehensibilia mea judicia, &

infi-

infinitam meam misericordiam, in anima meæ creaturæ, quam condidi ad imaginē & similitudinem meam, volo effigiem Crucifixi Filij mei, & ejusdem virtutem ponere, atque ita operari tam mira, ut quicumque ipsam aspexerint, obtineant auxilium & gratiam meam, quod curentur à moribus serpentis infernalis, etiãque, si fuerit expediens, sanentur à morbis naturalibus: si, inquam, id operari volo in mea creatura propter meam misericordiam, & bonam dispositionem, quam in illa reperio, volēne tu fortè meam misericordiam nimijs tuis timoribus coarctare? Noli hoc facere, Anima mea, sed confide in me, quod te sim illuminaturus & instructurus, ac adjuturus, & nunquam tibi defuturus, quemadmodum tibi sum pollicitus. Modò vale. Id mihi dixit Dominus, & revera intra brevissimum tempus sum experta hujusmodi quædam Dei beneficia, proficua meis proximis. Ipse sit millies iterumque millies benedictus, ob id quod est in semetipso, & quod præstat suis pauperibus creaturis, dum semper varios indagat modos, ut illis opituletur in via salutis.

Accidit mihi aliã vice, ut, cum haberem miserabile meum corpus vehementer oppressum, tam gravis ac diuturnæ ægritudinis doloribus, atque nihilominus animam conservarem attentam suo Deo, & consuetã suã occupatam oratione, audiverim Dominum, qui mihi, ac si me prope rantissimè vocaret, dixit: Veni huc, Anima, veni, accede. Ego, quia ita eram constituta sicut dico, & notabiliter habebam fractas naturæ vires, respondi: Non possum, Domine, quia magna hujus miseri corporis debilitas non patitur, ut possim surgere. Veni Anima, subjunxit Dominus: juvaberis enim, ut possis. Surrexi ad iuta à meo Sancto Angelo Custode, & innixa baculo sum progressa ad paucos passus, atque accessi, non sinè aliqua difficultate, ad quendam parietem: acclinavi me ad illum, ignorans qualenam hoc esse posset mysterium, & vellētne me Deus propter peccata mea castigare, molestum enim mihi accidebat ibi manere. Tum mihi Dominus dixit: Noli timere, Anima, expecta modi-

cum. Venit interea quidam Angelus, & aperuit fenestram, quæ erat in eo pariete. Rursus mihi deinde dixit Dominus: Specta, Anima, quæ ibi videbis, noli timere. Spectavi, sed cum ingenti metu, quia vidi abominabiles quasdam & feras bestias, ut leones, urfos, & alias hujusmodi, clausas in obscurissimo conclavi, quæ se mutuo mordebant, cum extraordinario strepitu ac tumultu. Intravit subito quidam Angelus Dei in illum locum, torvo & irato vultu, atque incepit baculo, quem in manu ferebat, illas terrefacere, & quasi verberando pellere, ut per exiguum quandã portam egrederentur ex eo conclavi, præcipiens ipsis, ut abirent ad abyssum infernalem, nullo ullibi cuiquam creaturæ damnino illato. Ità fecerunt, & ingressi sunt rugientes in barathrum.

Dum viderem hoc spectaculum, valde trepidabam, & conversã ad Deum, dixi illi: Deus mi, & Domine mi, quid mihi hac ratione voluisti indicare? statim id scies, Anima, dixit Dominus: nunc revertere ad tuum pauperculum lectum. Clausa fuit continuo illa fenestra, & Sanctus meus Angelus Custos, apprehenso meo brachio, me cum magna mea difficultate, & naturali virium defectu, reduxit ad meum locum. Respiravi tantillũ à me gravi molestia, ac tum mihi Dominus dixit: Anima bene scis, quod à me admodum ardentem atque instantem petiveris, ut possumdatem præcipuos, magisq; noxios demones, à quibus suscitabantur incantata bellorum, quæ exarserant inter Principes Christianos, & Infideles, quod ego propter occulta judicia mea fieri permittebam, & quia mihi ad id fuerat permissa causa. Itã, ac tam efficaciter me rogasti, toties me sollicitando ad illos inde regendos, ut tibi id non potuerim negare, fecerimq; ut adducerentur ad tuum meum spectaculum, & meo jussu concluderentur à meo Angelo in inferno, nè ulli possent accedere; utque tu, videns satisfactum esse desiderio, quiescas, & capias inde salutem. Mea anima mirata fuit quæ videret multò magis quæ audivit à Domino, & noscens infinitam illius bonitatem &

fericordiam, exaudientis preces tam indignæ & miserabilis creaturæ. Ipse sit in æternum benedictus propter omnia opera sua. Amen, amen. Hoc mihi evenit initio Martij, anno sexcentesimo trigésimo.

CAPUT VIII.

Concluditur materia concernens beneficia, quæ universim præstitit proximis.



Esse visiones, quas capite hoc referam, nullum indicent certum tempus, quo evenerunt, colligere nihilominus est, quod illas habuerit ab anno sexcentesimo trigésimo, usque ad postremum sua felicitatis vita, qui fuit sexcentissimus trigésimus tertius. Siquidem juxta supputationem chartarum, quam in hujusmodi subijs observo, omnes istæ ponuntur post ultimam, quæ conclusi præcedens caput. Venerabilis Marina ita scribit.

Quotidianum per hos dies meum exercitium est, ut me magis ac magis immergam in propriam meæ vilitatis cognitionem, quæ plerumque mea anima libenter occupatur. Dum ergo aliquando magno fervore tali essem intenta orationi, dixit mihi Dominus: Veni mecum, Anima, & ducam te ad cælestem Jerosolimam. Modus, quo Deus hæc verba protulit, fuit admirabilis, & singulari me affecit solatio: quia tamen mea anima tum eliciebat illos affectus, & sequi eo solabatur, quod se adverteret esse tanquam in proprio loco, in fimo suæ vilitatis, existimans se indignam, prout est, tanto favore, respondi humili affectu, sed prompto ad exequendam Divinam voluntatem: Bene hic maneo, mi Domine & Deus mi, bene hic maneo, quia est proprius meus locus: quorsum me vis ire? quomodo me vis ducere ad locum, quem minimè mereor. Bene, Anima, aiebat Dominus, bene dicis: sed nunc veni mecum, & noli tergiversari. Ecce me indignam ancillam tuam, mi Deus, respondi; fiat in me tua sanctissima voluntas. Subito me Dominus duxit suâ manu, solâque suâ propriâ virtute, ad immensam altitudinem illius cælestis Civitatis, ubi me deprehendi in quadam quietissima Divina solitudine, quin ullam viderem creaturam,

Visa Mar. de Escob. Pars II.

sive Angelum, sive animam beatam, sed tantum immensam gloriam illius Divinæ Majestatis, adeo ut mihi nihil aliud ibi esse videretur præter Deum ac me, qui soli eramus in eo felicissimo loco.

In hoc profundissimo silentio, & in ista quodammodo statione solitaria Dominus ad me quàm vicinissimè accessit, & acsi secretissimè solus in aurem animæ loqui vellet, eidemque, gravem indicando dolorè, suas manifestare querelas, mihi dixit: Ecce, Anima mea, scias, meum populû Christianum; illum, quem specialiter sanguine meo redemi; illum, cui quotidie tot ac tanta confero beneficia, esse quasi perditum, nihil propè in eo reperiri præter mendacia, fraudes, peccata, abominationes, incredulitates, & exiguam mearum veritatum cognitionem, ac eorû, quæ ipsi meo nomine dicuntur, eò quod habentes obscuratam rationem sint cæci, & errent. Anima, vehementissimè hæc sentio, tantumque non decerno mundare triticum, & congregatum recondere in meo horreo, paleas autem succendere & comburere. Quid tibi, Anima, hac de re videtur? animadvertetiam, quæ habeam causam id faciendi, cum tibi eam manifestaverim, quando intuendo clarissimum speculum mei Divini Esse, unâ vidisti omnem hanc perversitatem, quæ adversus me perpetratur, ac de qua tam justè queror. Audiebam plurimum dolens & obstupescens, quod mihi à Domino dicebatur; conabar nonnulla ex ijs excusare, quæ mihi videbantur aliquando posse excusari à culpa, ut quod non adhiberetur fides privatis revelationibus, & similia. Dominus autem volebat admittere excusationes, dicendo mihi, se sufficientia illis dedisse fundamenta, & lumen, ad eas credendas, sed ab ipsis id lumen vitijs ac defectibus naturalibus obscurari atque extingvi; & hoc

H h Divi.

Divina Majestas dicebat modo usque adeo sublimi, & tam immensum habente pondus, ut à nullo possit intellectu comprehendi. Deinde verò pro infinita sua bonitate, quasi ostendens, se vices dolere sui populi, sibi que difficile accidere, quod ipsi Divina ejus dictabat Justitia, mihi dixit: Nunc Anima vale, & ora, atque intercede pro omnibus. Sit Ipsius Majestas in æternum benedicta. Amen.

Derepente fui rapta in ecstasim, & adverti me subito occupatam somno quodam spirituali, arctissimèq; unitam huic magno Deo & Domino, ubi cognovi ineffabiles ejusdem perfectiones. Ex hoc suavissimo somno me expergefecit (non absq; magna difficultate, & velut repugnantia mea) cœlestis Angelorum musica. Tum Div: Maj: ex ejus dispositione id fuerat factum, præcepit S. meo Angelo Cust: & cæteris meis Dominis Angelis, qui ibi comparuerant, ut me cum magna sollicitudine ac attentione reducerent ad meum locum: quod ipsi fecerunt, sicut jussi erant à Domino.

Magnam sum experta difficultatem in redeundo, semper tamen fui resignata in voluntatem hujus magni Dei. Ex quo hic raptus fuit finitus, nō cessavi sentire quandam dolorem compassionem (nescio, quomodo illum appellare debeam) ob tam justas querelas Dei, ac si affligeretur nostrā ingratitudine, sumèq; desideraret, ut implorare ipsius misericordiam pro me, & pro universo populo Christiano. Ipsi sit laus. Amen.

Paucis deinde diebus elapsis mihi Deus præstitit gratiam, quam alibi recensui, & unā horā post, dum illi pro prædicta gratias agerem, me rursus Eiusdem Majestas vocavit quasi festinanter, sed gravissimè, dicendo: Veni huc, Anima, veni mecum, & videbis, quod tibi ostendam; atq; sinè mora me duxit ad cœlestem Jerosolymam. Vidi ibi magnam copiam Angelorum, qui jam erant velut accincti ad abeundum, ut exquererentur quodpiam mandatum Dei, videbanturq; jam accepisse Divinam ipsius benedictionem. Tunc mihi Eiusdem Majestas dixit: Anima, præpara te ac dispone, quia accepta pariter meā benedictione te eò proficisci oportet cum his meis Angelis, quò illos mitto. Prostravi me subito coram

eo magno Domino, & protestans, me esse indignā ipsius ancillam, promptam me exhibui ad omnia cōformia sancti: ejus voluntati Surge, dixit Dominus, & abi statim cum istis Angelis. Accepta verò sanctissimi ipsius benedictione, conspexi derepente S. Angelum meum Cust:, & alios meos Dominos ac socios, à quibus ducta ad numerosissimum agmen illorum SS. Angelorum, de quibus sum locuta, fui collocata in medio (aut paulò inferius) intra eas cœlestes cohortes. Hoc ordine sumus egressi ex illa superna civitate, & adverti ipsos constituisse, ut circumirent totum mundum, quod existimo fuisse factum. Licet autem ego initio aliquantum timerem, videns me in tam ignotis regionibus, tamen animata à meo S. Ang: Cust:, & alijs meis Dominis mihi jam notis, prosequerbar iter in trepidè. Circumivimus quædam vastissima coarctata, & latissimè patentes terras, ubi votivè à Deo illuminata cognovi diversissimas Provincias & Regna, atque in his infinitos homines variorum statuum, morum, legum, & sectarum, quæ omnia me Deus docebat per meos S. Angelos. Tandem, postquam perambulavimus universum mundum, ingressi iterum sumus eodem coarctatam cœlestem Jerosolymam, ubi prostrationem Beatiss: Trinitate, quasi in præsentem, quòd bene fuisset executi ipsius mandatum, denuò accepimus sanctam quædam benedictionem.

Paupercula mea anima vehementer mirabatur, dicam melius, erat confusa perplexa, dicebatque intra se ipsam. Deus bone! quid magnus iste Dominus voluit significare, & indicare per hoc mysterium què in finem mihi monstraverit tot homines in toto mundo, cum illo peragratum, nihil videatur esse præstitum, quod cedat nisi ad salutem animarum, sive ad gloriam ipsius met Dei? Quid prodest, quòd viderentur creaturas, quas Deus suā potentia condidit, suaque providentiā gubernat, dimittere in tam multiplices sectas? Non potui non perire, ubi in meo dubio securè figere pedem. Dum id expendere, vidi, quomodo magnus ille Deus ac Dominus vocaverit eam multitudinem Angelorum, cum quibus profecta fueram, dicendo: Veni

huc Angeli mei, & dicite mihi, quid egeritis in hoc itinere & expeditione, ad quã vos misi: retulistisne aliquem fructum, & estisne affecti aliquid boni pro salute animarum, ad gloriam meam? Sancti Angeli velut obmutescerent siluerunt, & hæserunt attoniti. Tum Divina Majestas, quæ videlicet intimè penetrabat mysticũ illud silentium, ijs dixit: Itã est, Angeli mei, itã est, sicut vidistis; tot sunt impedimenta, quæ homines ex parte sua obijunt acceptando meo lumini ac doctrinæ; tanta sunt ipsorum tenebræ, & cæcitas, ut, licet profecti sitis, ad illos permovendos & illuminandos, nec vos viderint, neque agnoverint: quin etiam vobis ipsis, propter eorundem malam dispositionem, lumen vestræ facis, ad præluendum illis, est quodammodo extinctum, & apparet, quod eos videndo non videritis, atque agnoscendo non agnoveritis.

Deinde Divina Majestas ad me conversa mihi dixit: Veni huc, Anima, & dic mihi, quid egeris in ista expeditione, ad quam te cum Sanctis meis Angelis misi, quem fructum feceris in animabus: quomodo te erga illas gessisti? quid ipsis dixisti? quid tibi responderunt? Mirata tui interrogationem illius magni Dei, & pudefacta respondi: Mi Deus & Domine mi, nihil dixi, neque scivi aut intellexi, quid facere possem, quia nihil sum, nihil valeo, & nihil possum sine te. Bene est, Anima, dixit Dominus, causa hujus facti est mihi soli reservata, ad te non pertinet. Quod tibi nunc faciendum incumbit, & à me injungitur ac præcipitur, est, ut me instanter, & eo affectu, quem ego tibi suggeram, invoces, implorésque meam misericordiam: siquidem propter infinitam meam bonitatem, & immensam clementiam, ac dispositionem, quam tibi ad id dabo, remedium & salus illarum animarum, quas vidisti, in hoc versatur: atque idcirco tibi fuerunt ostensa. Vade nunc in pace, & quiesce in me. Dedit mihi Divina Majestas suam sanctam benedictionem, & mei Domini Angeli me duxerunt ad meum angellum, ubi, ex quo hæc visio fuit finita, non cesso pro illis animabus, quæ

michi videbantur esse plurimæ, invocare magnum Deum nostrum. Ipse me exaudiat per viscera misericordie sue, cum id tam parum merear, & sit benedictus in æternum Amen.

Anima advertendum est, non dicere Venerabilem Marinam, quod, licet peragraverit totum mundum, viderit omnes animas in eo existentes, sed phrasi, quæ communiter uti solemus, vocaverit infinitos homines, quos postea vocavit plurimos. Quia verò hæc Virgo ardens amore Dei & suorum proximorum, desiderabat conversionem totius mundi, tam Provinciarum Catholicarum ad penitentiam, quam earum, quæ tales non sunt, ad fidem; ostendit ipsi Deus dispersam, per totum orbem, magnam hominum multitudinem, quorum salutem æternam, per ipsius preces obtinendam, Divina Majestas, ex mera sua bonitate & misericordia, decreverat: quod ingens est privilegium, liberalius tamen, aut parcius multis Sanctis concessum, quos merita & gratia, per Christum redemptorem nostrum, ad tantam perfectionis provexerunt sublimitatem, ut non solum ipsimet salutem superabundanter consequerentur, verum etiam suis precibus cooperarentur ad salutem alienam. In alia charta, quæ paulo post sequitur eam, quam modo retuli, sic Venerabilis Marina loquitur.

Fui quadam vice, post prolixam orationem, arctissimè unita meo Deo & Domino. Hæc unio erat tam vehemens, ut existimarem esse impossibile, unquam ab ea dissolvi. Erumpebant ex anima, quasi cum impetu ebullientes, multi & ferventissimi affectus, licetque essent tot ac tales, nescio quã ratione omnes in unum solum videntur coaluisse, cum in modum, ut sic dicam, quo hinc ex multis diversis floribus, vi ignis, prodit distillata unica compositio fragrantissimæ aquæ. Tum anima, velut ebria divino amore, revera non advertibat, quid diceret: videtur tamen explicuisse affectum, de quo loquor, profertendo, & sæpe iterando hæc verba: Mi Deus & Domine, nequit amplius id tolerari, nihil ultra fieri potest: ignosce Dilecte mi, nequit amplius id tolerari. Paupercola anima non potest à te separari, ignosce, nequit amplius id tolerari. Dominus Ma-

jestatis audivit, quod illi mea anima, ex ipsiusmet instinctu, dicebat, & singulari benignitate ac affabilitate me interrogavit: Quid loqueris Anima, quid significant tua dicta? explica te, & expone mihi, quid velis dicere, dum ais: Nequit amplius id tolerari. Non, mi Domine & mi Deus, respondi ego, non potest amplius tolerari. Bene est, dixit Dominus, optimè te intelligo: mane modò in me, & quiesce. His à Divina Majestate dictis, me adverti quasi profundissimè immerfam in Divinum Esse, cum summa pace, & quiete. Fui velut circumdata ab ea Divina magnitudine, tanquam intra quoddam palatium gloriæ, ubi nulla ad exitum patebat porta aut apertura. Ità mea anima diu fruebatur ineffabilibus bonis, quamvis inter illa revivisceret quidam sanctus timor, affectus amanter humilis, & carens turbatione, qui æstimabiliores ipsi & venerabiliores reddebat gratias, quas à suo Domino consequebatur.

Præterlapso hoc tempore me Divina Majestas denuò est allocuta, dicendo: Quid agis Anima? dormisne, & quiescis in tuo Deo? Expergiscere jam, atq; egredere modicum, & ascendes ad hanc immensam altitudinem, conferesque te ad altam speculam, & ex ea videbis, quod tibi ostendetur. Audiebam quidem Dominum, sed videbatur mihi quasi impossibile inde egredi, ac tam altè ascendere, ideòq; Eiusdem Majestati respondi: quomodo fieri potest, quod dicis mi Deus, & mi Domine? sum debilis, miserabilis, pauper, & creatura indigna tantis beneficijs tuis: sum pulvis & cinis, sum nihil: quomodo me vis exire extra tam arctam unionem, atque tam altè ascendere? quomodo id potero facere? Poteris, Anima, dixit Dominus, me adjuvante. Tum ego magis me humiliando, penitus me submissi Divinæ voluntati, protestando, me esse indignam ipsius ancillam. Venit ad me subito quidam gravissimus ac superior Angelus, & mirabiliter attingens plantam mei dextri pedis, me svavi violentiâ, & expeditissimè elevavit ad quandam quasi speculam illius immense altitudinis. Inde

videbam universum mundum, qui tamen mihi totus videbatur vix exiguum esse punctum. Hic mihi Divina Majestas per altius lumen manifestavit suam infinitam potentiam, quâ cuncta creavit, & quomodo omnia in ipsius conspectu sint atomus. Cognovi, quòd facile alios millesies posset denuò condere mundos, cum intreris alijs creaturis, & qualiter omnium creaturarum esse dependeat ab infinita ipsius bonitate & providentia.

Omnia ista intelligebam, dum contemplerer mundum, & magnus ille Angelus, qui me elevaverat, erat juxta me velut innixus eidem speculæ. Videns autem mihi nihil aliud præter dicta ostendi, converti me ad illum dicendo: Domine Angele Majestatis, quid vis mihi significare, dum mihi ostendis hunc mundum, qui mihi non apparet major unco puncto? Respondit mihi, se id facere, ut hæc visione, & lumine habito, quod mihi à Deo communicabatur, ascenderem ad cognitionem Divinorum attributorum, abjecitque deinde: Prospice bene, Anima, ex hac speculæ, in qua es, & videbis distinctius atque clariùs hunc mundum, qui apparebat instar unius atomi. Feci id, ac vidi mundum clariùs & distinctius, videbaturque mihi non posse comprehendere totam ipsius magnitudinem. Quod videbam, & poteram assequi, erant infinita mala peccata, abominationes, errores, nequitie, mendacia, fraudes, ac deceptio. Videbam hæc non singula seorsum, sed confusè, & ac si viderem apicem montium simul, eorumque innumerabilium montium. Indolui propterea vehementer, & fui summè afflicta, neq; scivi, quid illud dicerem, quod etiam sæpe repetebam, quàm tantummodo: Mi Domine, & mi Deus, miserere, ac propitius esto populo tuo Christiano. Hæc me cura ad magnam defatigationem diu angebat.

Prædictus Sanctus Angelus me continuo duxit ad thronum Beatissimæ Trinitatis, ubi me humiliter prostravi. Ibi me magnus iste Dominus surgere, ac deorsum me nonne vidisti, quæ sit mundi corruptio, abominatio, & perversitas? quid tibi

detur? Respondi tota tremens: Mi Domine & mi Deus, miserere & propitius esto populo tuo Christiano. Bene est, dixit Divina Majestas, tanquam irascendo; & convertens se ad illum superiorem Angelum, qui me adduxerat, dixit illi cum magna autoritate: Apprehende arcum, & perge ad illam speculam, atque ejaculare inde sagittam ignis fortis & comburentis in mundum, ut ipsum destruas, disperdas, & consumas. Audiens id ille magnus Angelus (qui mihi semper ab initio videbatur esse amplius quam Angelus, ut, nescio quomodo, suspicarer, adesse ibi personatum Christum Dominum) prostravit se coram Divino conspectu, ac deinde provolutum in genua, & manifestantem se mihi, quis esset, ostentis vulneribus suorū factorum pedum, manuum ac lateris, vidi eundem Redemptorem, & dulcissimum Dominum nostrum, tanquam Hominem, exhibentem ea vulnera suo aeterno Patri, egisse advocatum nostrum, & instantissimè ac efficacissimè petisse ab illo magno Deo, ut per infinitam suam bonitatem, & per mortem, quam ipse pro genere humano fuerat passus, propitius esset populo Christiano, ejusdemque miseretur. Allegabat præterea incomparabilia merita suæ Sanctissimæ Matris (quam eo momento conspexi præsentem, quo illam nominavit) quasi illam monstrando suo Patri aeterno: & observavi, quòd ipsam ineffabili teneritudine, & gravitate attigerit suā sacrosanctā manu. Hæc Celsissima Dominā etiam suas agens partes, pati humilitate & efficaciā instantè implorabat misericordiam.

Dominus Majestatis audiebat preces sui Sacratissimi Filij, & benedictæ ipsius Matris, atque ostendens divinam suam indignationem aliquantum mitigari, permisit, ut interim suspenderetur pœna, quæ per illam sagittam destructricem erat executioni mandanda, & alloquens me de nuò mihi dixit: Quid tibi, Anima, de his omnibus videtur? dic mihi, quid tibi videtur. Ego rursus tremens, & profundè penetrans meam vilitatem, dixi: Mi Deus, & mi Domine, nihil aliud possum re-

spondere, quàm, conformando me cum petitione mei Domini Jesu Christi, & Sanctissimæ ipsius Matris, ut sis propitius populo tuo Christiano, secundum magnitudinem miserationum tuarum. Veni huc, respondit ille magnus Dominus, videorū tibi bene facturum, si nullam haberem rationem justitiæ, & eam non excerem? Ecce scias, quòd ira mea suum obtineat locum, non secus ac misericordia; & jam appropinquet tempus, quò purum & mundum triticum congregari oportet in horreum, atque paleæ sunt comburendæ, & in ignem projiciendæ. Cùm tamen tantā commiseratione tangaris, ob castigandum à me mundum, esto generosa, cordata, & animosa, ad dicendum Gubernatoribus Reipublicæ, ut pro viribus corrigant errores à se in eo commissos, de quo ipsos aliàs per te commonefeci. His Domini verbis fui turbata, atque expavi vehementer, & prout potui, dixi: Mi Deus, & mi Domine, quomodo id vis ac jubes à me dici, cùm scias, quòd ob animas illorum, qui præsumunt Reipublicæ, malè dispositas, nihil fuerit curatum, aut præstitum eorum, quæ ipsis tuo nomine sunt insinuatæ, imò facta fuerint omnia contraria? Idè nunc absque dubio credo eventurum, & fieri poterit, ut quæ ijs dicam, existiment imprudenter ac ineptè dicta, quod nescio an ipsis etiam prodesset, & an non occasionem præberet magis irritandæ tuæ justitiæ. Sed neque, mi Deus, insuper video convenire tuæ gloriæ, & venerationi debitæ tuis veritatibus, ut despectui habeantur. Obsecro autem te & rogo, quàm humillimè ac enixissimè possum, per te metipsam, & per tuam infinitam bonitatem, ut tu illis id inspires, loquarisque ijs ad cor, quò faciant, quod dicis, ut ego ipsis intinem, & omnia dirigant ad tuam sanctissimam voluntatem, atque ad bonam gubernationem Reipublicæ Christianæ.

Tum Dominus Deus summā majestatem & autoritatem mihi dixit: Adverte Anima, non decet te mihi dare consilia, vel dicere, quid mihi sit agendum, quidve melius fiet: sed promptissimè obediendo

exequi ea, quæ tibi mandavero, & injunxero. Audivi objurgationem magni Domini nostri; deprehendi me ream; prostravi me coram Divino ipsius conspectu; rogavi illum, ut mihi ignosceret, dicendo: Mi Domine, ecce me indignam ancillam tuam, fiat in me tua sanctissima voluntas, & præcipe mihi quidquid volueris. Bene est, dixit Dominus, & non urfit me denuò ad intimandam, quæ mihi injunxerat. Interea fui modicum abalienata à sensibus, & ad me reversa me inveni in ea cœlesti Patria, ubi videbam ineffabilia bona gloriæ, defixis oculis animæ in illud Divinum Esse, quod me subito abripuit, sibi que tam arctè univit, ut penitus perdita nihil amplius de me sciverim. Ibi remansit pars mea superior, & inferiorem, dum tota mihi mirum in modum in anima & corpore videret splendere, duxerunt Sancti ipsius Angeli ad suum angellum. Hic ad me rediens ex isto raptu, sum mirata opera & misericordias indicibiles Dei: natura verò fuit usqueadeo prostrata ac debilis, ut mihi tunc fuerit impossibile referre meo Confessario mysterium, quod mihi evenerat. Divina Majestas illuminet hanc miserabilem creaturam, ut assequatur ipsius veritates in via tam extraordinaria, quæ me ducere dignata est à primis annis meæ infantia. Deo gratias, qui in æternum sit benedictus. Amen.

Vix quidquam in via, quæ Deus duxit Venerabilem Marinam, ac etiamnum similes animas ducit, & ab exordio suæ Ecclesiæ ducebat, difficilius illis accidit & molestius, quam dum se vident obligatas, ad commonefaciendos nomine Dei cæli Dominos, & Moderatores terræ. Occurrentibus primis occasionibus oritur difficultas ex eo, quod, cum omnis bonus spiritus singularem ingeneret animabus contemplativis circumspersionem, & specialissimum affectum, ut mundus ipsarum obliviscatur, nullamque habeat notitiam, quam ob causam rigidissimas sibi imponunt leges silentij, ne alijs manifestent divinos favores, quos consequuntur; quod, inquam, postea videntes se ab ipso met Deo obligari, ad procedendum velut in publicum, ut ejusdem nomine agant internuntias, tanquam cælo familiares, terribilem pa-

tiantur confusionem, in superabilem tumultum, ac discrepantiam suarum rationum, quam experiuntur in intellectu, & intellectionem conflictum, atque perplexitatem suorum affectuum. Quævis natura sancte metucosa repugnans illas excruciat, ac si ea foret libera rebellio adversus mandatum illius Domini, cui satisfactura mille prodigerent vitas. Aliunde vero qualemcumque promptitudinem, quam hac in re sentiunt ad obtemperandum, judicant esse perversam propensionem, ad captandum vanum honorem, & conciliandum sibi opinionem sanctitatis. Tremunt, si obsequantur, & extremè affliguntur, si secus faciant. Atque hic magis quam aliquam diem demon suas agit partes, excitat ipsi debili, prætereaque diffidentiam de bono, quo arguitur, spiritu. Si credunt, persuadet illis, quod sint faciles ad credendum, & perpetuis excogitatione deceptionibus: sint autem proterva, & regent manus Divinæ misericordia, si fidem non adhibeant: adde ut, que audientes divinum vocem fuerunt certissima de infallibili veritate eius, qui ipsas alloquebatur, dum exequi volunt mandatum, sui tracto illo claro lumine, se in profundo interdum deprehendant pelagi tenebrarum.

Iste ex parte (omnia namque dici nequeunt) est hujusmodi animarum status, in primis occurrentibus, seu primis occasionibus, quibus illas Deus suas facit internuntias. Non invenitur afflictio, quin imò magis ac magis arguetur, dum ipsis talia à Deo per decursum via præcipiuntur. Singula, ad qua detestanda denuò obligantur, omnium præteritorum non complectuntur difficultatem: quandoque autem, etiamsi prædicta confusio (eo quod magis adsit lumen, & præsentius) cesset, dupliciter tamen difficultas in executione. Jam non minus timor illis negotium facit, sed magis in super experientia, quam parum suis præcipiant admonitionibus, & parè prætereque adhibent fides earum revelationibus, quas, qui hanc minor est, & civilior, vocat bonos affectus, & zelum sanctum, destitutum nihilominus veritatis negotiorum, quæ à Proceribus & Calumnatoribus intimis perspicuntur: alij autem tantum appellant timores multibres: his dicuntur se somnia, ac debilius caput exercere, quod illi sive animarum delosarum fictions, præ-

lusiones diaboli, optantis hac viâ impedire, quæ ad præcipuam DEI gloriam, & Reipublicæ Christianæ emolumentum Gubernatores, adhibitis ex singularis prudentiæ dictamine medijs, neque sine sapienter iteratis consultationibus, decernunt. Omnes autem (etiam viri Religiosi, ac timentes Deum) denique concludunt, regimen publicum instituendum esse juxta modos, & regulas ordinarias, nobis à Deo relictas, non quasitis extraordinarijs vix privatarum revelationum, quæ sunt plurimum obnoxia deceptioni illius, à quo examinantur, & aptæ ad precipiandum unâ illum, qui eas sequitur. Hac igitur experientia, quod videant fieri injuriam Divinæ veritati, summopere has animas remoratur, quæ submississimè venerantur suum Dominum. Accedit, propter ardentem amorem, quo feruntur erga suos proximos, ingens timor, nè si Gubernatores multiplicent contemptum similium admonitionum, multiplicentur tantum æquissima cause Divina indignationis, & nè, dum ipsa optant, intimando quod illis fuit injunctum, videre, ut, ad placandum & exarmandum Deum, admittatur, si id annuntietur, propterea tamen quod spernatur, occasionaliter accelerent pericula divina vindictæ. Istam existimo fuisse unam ex majoribus, & gravioribus crucibus, quas Venerabilis Marina sustinuerit, quod colligitur ex aliquot epistolis, quas scripsit ad suum Confessarium, & penes me habeo.

Non est hujus seu loci, seu argumenti, ostendere Consiliarijs, & Præsidijs Rerumpublicarum, quomodo se in hac materia gerere debeant: non satisfacere tamen muneri meo, nisi ad prædicta intelligenda, & ea quæ deinceps dicentur, breviter indicarem periculum, quod in ejus usu incurri potest. Adverto in primis, æquè secundum se malum esse & noxium regimen, quando mendacia, ac doli fraudulentarum personarum, vel illusarum, admittuntur pro divinis revelationibus, atque est, dum spernuntur veritates Dei, manifestatae personis verè sanctis, & missis ab eodem magno Domino, ac essent somnia, vel fabule. In primum abripiuntur quidam Gubernatores præditi genio facili & indiscreto, quamvis adducto pietati, tantoque violentius, quanto tam illi, quam ipsorum Confessarij, quibuscum consulant de revelatione, sunt magis, prout vo-

cantur à mundo, devoti, quam prudentes ac docti, multumque habent simplicis cujusdam pietatis, & propè nihil doctrinæ, atque experientia. Qui sunt hujusmodi, omnia mirantur, credunt omnia, & omnia approbant. In alterum se Gubernatores, qui sunt duri ingenij, nimium astuti, & modicè propensi in pietatem, precipitant eò confidentius ruentes, quò eorum Confessarij, & in similibus materijs consiliarij, fuerint doctiores viri, & qui ordinariâ duntaxat præditi virtute, vitamque agentes Christianam, toti sunt in evolvendis Authoribus, perlustrandis, & conscribendis libris, expertes autem orationis solitarie, ac diuturnæ cum Deo conversationis. Tales sua studia solent comprobare, vertendo in jocum divinas admonitiones: appellant beatos, qui eas approbant, non tamen credunt, nisi quod experiuntur, fortasse quia non possunt tolerare, quod ipsis, quamvis, opinione suâ, vitam ducant probam, tot in obsequium Ecclesiæ, ut illi ajunt, exantlando studia ac labores, non manifestentur, quæ Deus docet quempiam clausum & ignotum Religiosum, aut aliquam latentem in angulo anciam.

Adverto secundo, Dominum Deum non minus nunc esse liberalem erga suam Ecclesiam (imò tanto munificentior, quanto illam magis amat) quam fuerit olim erga synagogam: atque cum in hac præter publicos Prophetas (quibus modo opus non est) habuerit quasdam personas privatas, uti constat ex sacro textu, intimè charas, per quas pro sui populi solatio aliqua proficua dabat monita, æquè esse, ut credamus, quod in lege gratia animas habeat dilectissimas, quibus se communicet, & per quas populo, quem longè ampliore profequitur amore, necessarias interdum submittat admonitiones. Tales fuerunt nonnulli sancti, & Sancta præterlapsis temporibus, etiamque nostris, quorum revelationes hodieque veneramur impletas, tamen, dum viverent, non caruerint molestiâ, oriâ ex obmurmurationibus, quibus vexabantur.

Supposito, rem istam & materiam tanti esse momenti, bene considerent Gubernatores, quomodo se gerant in ea examinanda. Nam, ex quo meo iudicio, licet tales persone tantam sentiant difficultatem, ut dixi, in dandis his monitijs, & patefacienda sua revelatione, non minor

minor est illa, qua cuilibet se offert Gubernatori (præsertim ab initio, priusquam exploratus habeatur nuntius) ut prudenter possit ac debeat admittere, vel rejicere hac monita. Nec video, quid amplius indigeat cælesti lumine, quod instanter à Deo petendum est & implorandum, cum sincerissimo desiderio debite exequendi injuncti officij, ad majorem gloriam ejusdem magni Domini. Id solum dicere possum, revelationes, que prætulerint nomen Venerabilis Marinae, prudenter esse admittendas. Erant personæ notorie sanctæ certitudine morali, que in hoc genere potest haberi; sunt approbata & examinata à viro, qui fuit unus ex doctissimis, peritissimis, & sanctissimis,

quos nostra ætas viderit, Venerabilis, inquam, Patre Ludovico de Ponte. Erant, ut pote profecta à Deo, admonitiones adaptatae temporis, supra modum seria, profusè à privato commendo immunes, prudentissima secundum honestam rationem quoad præsentia, que compledebantur; comprobata quoad futura, quæ promittebant, aut comminabantur. Novit enim universa Hispania, eas, que data in gravissimis casibus ab hac Virgine, sunt acceptatae, exactissime fuisse impletas. Deus largitur gratiam Magistratibus, nè in ejusmodi visionibus errent: nos autem revertamur ad nostram historiam.

(H)

CAPUT IX.

Charitas, quâ Venerabilis Marina oravit, ac laboravit pro fortunato Hispaniæ statu.

Qui ab hujus libri principio legit sanctos affectus, quibus venerandum & capacissimum cor istius Virginis, omnes mundi compledebatur, tam Catholicorum, quam Infidelium nationes, ut instanter orando divinum ipsis imploraret auxilium, applicatis in hunc finem afflictionibus, & cruciatibus, quibus à Deo exercebatur; non poterit mirari quòd se perquam sollicitam exhibuerit erga Hispaniam suam patriam, magnamque ejusdem gesserit curam. Sanctitatem Justorum mirè exornat grati animi significatio, dum præcipuam debite gratitudinis obligationem agnoscunt esse eam, quam contraxerunt erga natale solum, ubi primum sunt in lucem editi, tanto magis solliciti, ut illi satisfaciant, quanto melius intelligunt, quòd Divina Majestas speciali providentiâ, per omnes Orbis Provincias diriserit origines & incunabula suorum amicorum, ut in singulis reperiret pignus sui amoris, à quo alliceretur & inclinaretur, ad profundendas suas gratias in multos, propter paucos ibi à se electos. Benedictus sit in æternum hic magnus Dominus, qui adeo liberaliter tot per Hispaniam distribuit insignes virtute viros, tot heroicâ conspicuas sanctitate feminas, ut vix in ea sit Regnum, quod non

in cælo præclarissimos numeret filios, qui sub ætate firmissima fuerunt columna Ecclesiæ. Referemus igitur deinceps per aliquot capitula, quid Hispania debeas huic suæ prodigiosa filie, gratias, quas per ipsam à magno Deo nostro & Domino obtinuit. Insistendo autem, quoad fieri poterit, ordini temporis, præsentis capite comprehendam, quacumque evenerunt anno sexcentesimo vigesimo quinto. Venerabilis Marina sic incipit.

Præterlapsâ die Sabbathi, quæ festiva Martij, dicata Angelo Custodi, mihi prodeuntè ex munitissimo castello (quod uti mihi fuit indicatum, erat symbolum immensi Esse, & Omnipotentie Dei) numerabilem Angelorum multitudinem deputatam ad custodiam hominum, hinc ordine geminato, & unius ducentum egredietur Sanctus Archangelus Michael, alterius vero Sanctus Archangelus Gabriel. Ornatè elegantissime armati explodebant per intervalla quoddam genus scloporum, quorum sonus non offendit, sicut ille qui auditur, imò, quod aliàs dixi, est fructus, & gratissimus auditui animarum, quæ eo non solum agnoscit harmoniam celestem, verùm etiam laudes Dei. Hanc tuam clauderat pulcherrimus, ornatissimus superior Angelus: & significatum mihi

fuit, advenire in ea specie summum Angelum magni consilij, Christum Dominum nostrum. Commeabant ultra citroque, acsi lustrarentur & recenserentur, rursumque consistentes ad portam illius magni Castellii, omnes se ibi prostraverunt, etiam Christus Delicium nostrum, tanquam Homo, ad suscipiendam Divinam benedictionem: qua accepta surrexerunt, progressique sunt terram versus, ad exequendam voluntatem Dei. Tum ego ipsos ardentissimis cordis mei affectibus rogavi, ut descenderent ad eas regiones, & contra illos populos infideles, qui conjurabant in perniciem Hispaniae. Annuerunt meis precibus, cumque illuc descenderent, vidi, quod ij Spiritus Angelici processerint instar militum obviam hostibus, & in illos jaculando alios peremerint, alios autem fugaverint, atque alios quasi perturbaverint, & reddiderint attonitos. Repleta sum maximo solatio, quia vidi per Dei misericordiam ijs regionibus restitutam fuisse pacem. Deus sit benedictus. Amen.

Pater Michaël de Orenja, ipsius Confessorus, in fine hujus scripti sua manu addit, id evenisse, quando Dominus Fredericus de Toledo est profectus in Brasiliam, & expectabatur successus. Quam certa fuerit visio, probat insignis victoria, quam ibi tum Hispania facillime & felicissime revulit de tam obstinatis hostibus. Tergit porro Venerabilis Marina.

Feria secundā, duodecimā Maij, mihi fuit dictum, tristia advenisse nuntia ex Italia, de statu bellorum, quibus nonnulli Principes adoriebantur Regem Hispaniae, & postquam statim sequenti feriā tertiā, cum hac, de prospero statu Ecclesiae, atque augmento Catholicae fidei, sollicitudine oravissem, coepi dicere Litanias Sanctorum, quas non potui finire, seu propter naturalem gravem debilitatem, quam his diebus sentio, seu ob vehementiam ferventium affectuum, qui tum in me fuerunt excitati: & aliquantum abrepta in Deum vidi, quod Sancti Angeli, quorum statio est ad duo latera mei cubiculi, se moverint, & convenientes in medio fuerint collocuti, acsi de re aliqua magni momenti consul-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

tarent. Videbantur mihi velle aliquod abire, & incepti ob illorum absentiam affligi, interrogando ipsos, quorsum vellent proficisci? Conspexi autem subito Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui mihi dixit, ut non affligerer, indicando mihi, Sanctos Angelos a me non discessuros, quod etiam fuit factum: quia illis ad caelum ascendentibus, seque coram Sanctissima Trinitate prosternentibus, eodem tempore ibi cum ipsis comparui. Obtulerunt hi mei Domini Divinae Majestati meam orationem, & Litanias a me dictas, pro felici horum bellorum exitu. Dominus dixit vultu placido, non aliter futurum, & conversus ad alios Angelos, iussit illos ferre auxilium, quod ab eo petebam. Vidi continuo cohortem speciosissimorum Angelorum Sanctorum, qui tamen erant accincti & armati, tanquam inituri pugnam, atque proficiscentes direxerunt gressus illuc versus, ubi gerebatur bellum. Licet vetò mihi ea regiones essent ignotae, significatum mihi tamen fuit, esse ditionem Sabaudiae. Erat ibi grandis exercitus diabolorum, contra quos Sancti Angeli coeperunt pugnare. Horum conspectu fuerunt turbati illi infelices spiritus, & incepterunt fugere, quorum aliqui se sustulerunt in auras, quam statim deciderent in terram, & ab ea absorberentur; alij ingrediebantur aquas, ubi mergebantur. Omnes fuerunt victi, & Angelica illa cohors, obtenta victoria redijt ad caelum. Post hoc ego sollicitabam meos Dominos Angelos, ut rediremus ad meum angulum: licet enim mihi multò melius esset in ea caelesti patria, nescio tamen, quomodo timuerim, nè ipsi, me dimissa, ibi remanerent. Sed Divina Majestas me tum abripuit in magnam ecclesiam, & quando ex ea sum reversa, inveni me in meo cubiculo, unā cum his meis Dominis.

In Augusto, eo circiter die, quo celebratur festum Transfigurationis Jesu Christi Domini nostri, me vocavit Divina Majestas praeproperè dicendo: Veni, veni, & videbis quoddam praelium. Fui repente ducta ad locum, in quo confligebant duo exercitus, alter Catholicorum, & alter infide-

I i fide-

fideliū. Videbatur mihi pugna esse in mari, ibiq; illum conflictum fieri. Vidi, à nostratibus, licet viribus essent inferiores, vinci hostes. Multum mirabar hanc victoriam: nostrates enim mihi apparebant instar puerorum, & pauci numero, hostes autem tanquam viri robusti, ac valde multi. Tum Dominus, quasi respondens dubio ac admirationi meæ, mihi dixit: Convertite huc oculos, & videbis causam istius victoriæ. Aspexi, quod eram iussu à Domino, & vidi tres fœminas provectæ ætatis, ac pauperulas, magno affectu & devotione orantes, quæ rogabant Deum, ut concederet Catholicis victoriam adversus hæreticos, & hostes nostræ sanctæ fidei. Non agnovi illas fœminas. Dominus tamen mihi pro sua bonitate postea dixit, ad magnum meū ruborem, me esse unam ex ipsis. Deus sit benedictus propter tot beneficia.

Primâ Decembris mihi Deus, modo quodam sublimissimo, ostendit in se ipso quædam concernentia gubernationē horum Regnorum, quæ secus aguntur ac Divina Majestas vellet, quodq; nonnulla fiant indebitè, licet absq; mala intentione; perpetrentur peccata publica, quæ essent emendanda, & committantur prælia, quæ nunc meliùs differrentur; exigua sit gratitudo, pro acceptis ab ipsius manu miraculose beneficijs; quod bene fieret, si populus relevaretur à tributis, & minùs expendere- tur in superflua, atq; alia hujus generis. Invocabam Div. Majestatem, petendo horum malorum remedium, & veniam istorum peccatorum. Dominus ostendebat se tædio affici ob meos clamores, & vultu vehementer irato mihi dixit: Apage, & relinque me. Fui plurimum afflicta, quod ipsū viderem adeo iratum, & summus animam occupavit dolor propter proximos meos, siquidem timebam, nè punirentur, atq; nè quædam evenirent contrà quàm hinc existimaretur. Misertus est nonnihil Dominus meorum gemituum, dixitq; mihi: Verè tibi dico, quæcumq; evenerint, cessura in bonum meorum electorum. Hoc responsum mihi non attulit solatium, quia judicabam, ita procul dubio futurum, sed responsum esse generale. Rursus commendavi Deo

maximo affectu meæ animæ prosperum statum horum Regnorum, rogando illum, ut placaretur, qui mihi tandem dixit: Noli cruciari, Soror, quamdiu namque in hoc mundo vixeris, non te contristabo, neque exequar, quod te affligat. Hinc me (cōtra omnem meam solitam propensionem) ingens quædam cepit cupiditas vivendi, pro bono communi istorum Regnorum, & rogo Deum, ut mihi prolonget vitam, quod quidem nunquam aliàs feceram. Laudent illum Angeli ipsius. Amen.

Notetur hic, qualis fuerit istius Virginitas charitas erga Hispaniam. Cum enim antea unice desideraret mori, ut fruere- tur conspectu sui Dei, jam cum dilatione celestis gloriæ, præbat diuturniorem vitam, ut removeret pœnas imminentes suis proximi. Advertendum quoq; est, nonnullas calamitates, quas jamus communes & speciales perpe- sisse in obitum. Recenset Virgo vitæ alias di- siones, quas eodem mense habuit, sic ajens.

Feriâ tertiâ, & die sextâ ejusdem mensis, cum affectus meæ animæ fuissent commoti, ob vivacem apprehensionē propriæ meæ miseræ, & internarum necessitatum hujus vitæ, semper indigentium Divino auxilio, perseveravi sic aliquamdiu in præsentia Div. Majestatis, conquerendo intè- nè, atq; etiam externè de me ipsa. Interca comparuit quidam S. Angelus pulcherrimus, meq; interrogavit, quid vellem, dicens se mitti à Deo, ut mihi nomine ipsius offerret, quidquid ab illo peterem. Ego- cecit tum fuerim imemor necessitatum His- panix, & præsentium bellorum (quæ tunc eram immersa, sicut dixi, consideratione mearum miseriarum) dixi nihilominus illi inimicos S. Ecclesiæ humiliate digneris, ut d- gibus & Principibus Christianis pacem & unitatē largiri digneris. Et convertita ad bonos Dom: Angelos, rogavi illos, ut me pararent, qui subito adjuvantes meâ petitione dixerunt: Te Rogamus, audi nos. Tum S. Angelus, qui mecum loquebatur: Bona, inquit, est hæc petitio: quid aliud vis? quando mihi id dixit, observavi, quod haberet in brachio gratiosissimam aviculam, cuius collum aureis erat variegatum coloribus.

movebat se huc atque illuc, & quodam modo blandiebatur eidem Sancto Angelo. Declaravit mihi deinde, illam esse symbolum affectuum meæ animæ.

Post prolata quædam alia dixit, se nomine Dei velle inferere in digitum meæ manûs annulum, quem gerebat in sua, quod fecit, & annulus mihi detrepente visus est eundem digitum penetravisse, adeo ut illi fuerit incorporatus. Hoc facto Sanctus iste Angelus disparuit. Mox vidi descendentes ex cælo alios Angelos, adferentes speciosam coronam, qui consistentes coram me gratias mihi egerunt, quod orarem pro commissis curæ & custodiæ ipsorum Provincijs, atque pro felici exitu, quem Deo largiente erant sortitæ meæ preces. Fui vehementer pudefacta, & nunc id refero cum ingenti mea verecundia, agnoscens quàm sim indigna, ut Deus suis Divinis oculis meas respiciat preces: quanquam ita magis manifestet magnitudinem suæ misericordiæ. Illi Sancti Angeli imposuerunt coronam meo capiti, quam ubi aliquamdiu retinuissem, Sanctus meus Angelus Custos eam deposuit, servaturus, licet non viderim, quò illam tulerit, quidque cum ipsa egerit.

Die sequenti, quæ erat feria quarta, decima septima dicti mensis, sum ducta ad cælestem Jerosolimam, & præsentata Beatissimæ Trinitati, quæ mihi dedit suam sanctissimam benedictionem. Inde fui

ducta ad quendam altum locum, plenum inestimabili gloriâ, ubi mihi, quidquid videbam & agnoscebam, apparebat esse mera æternitas, vita perpetua, gaudium perpetuum, beatitudo perpetua, non absque inexplicabili animæ voluptate & suavitate. Hinc, jubente Deo, inclusa in quandam velut nubeculam auream sum translata ad longè distitum locum, qui habebat speciem commodi oppidi, seu parvæ urbis. Ibi vidi castellum munitum, quod obsidebatur ab hostibus, non circumquaque, sed ab una parte, & quasi ex adverso. Pugnabatur utrinque, & aggressoribus fortuna minùs favebat: ex nube autem, in qua ego eram, emicabant quidam radij luminis, quibus excæcati hostes, aliqui præfocabantur calore, & alij despondebant animos. Conabantur nihilominus iterare oppugnationem, ut de novo invaderent possessos, qui erant Catholici, & Hispani. In hoc statu illos reliqui, sperans tamen forte, ut Divina Majestas concederet victoriam nostris. Locus, quantum ex indicijs mihi datis collegi, est Portus dives. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Legatur, quod hac de re in quadam sua epistola Joannes de Flavo, qui tum Gubernatorem agebat Portus divitis, scribit ad Venerabilem Marinam, cujus precibus victoriam attribuit. Epistola, cum reliquis hoc factum concernentibus, reperitur in fine Capituli XXXVI. Lib. I. hujus II. Partis, ubi id recensui.

CAPUT X.

Referuntur varia, quæ ipsi, agenti patronam Hispaniæ, cum Deo evenerunt.

A Nno sexcentesimo vigesimo sexto, multa huc spectantia fuerunt à Venerabili Mari-na acta cum Divina Majestate, ut necessario plura nobis capita sint occupatura: exequemur omnia secundum ordinem temporum & mensum, quibus contigerunt. Calamitosissimum fuit hujus anni principium quibusdam regionibus Hispaniæ, præsertim verò Castella, propter subitas fluviorum exundatio-

Vita Mar. de Escobar Paris II.

nes, qua luctuosam intulerunt stragem. Huc alludit Virgo ita exordiendo.

Decimâ nonâ Februarij fui vehementer fatigata, & oppressa doloribus, neque minùs afflictione ortâ ex calamitatibus meorum proximorum. Tunc mihi Dominus dixit: Soror, es valde fatigata, quiesce in me, ac dormi tantillum. Anima fuit unita Deo, & corpus occupatum brevi, sed svavi somno naturali, quo suas vires modicum refocillavit. Quando ex eo evigilavi,

112

visus

visus mihi est Jesus Christus Dominus noster præ se ferre, acsi eò tenderet, ubi ego eram. Volui illi procedere obviam, ad ipsum excipiendum, & quasi alloquerer sociam, quæ mihi tum aderat, dixi intra me: Eamus. Vidi autem tunc Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte mihi dicentem: Paulatim Soror, quid vis facere? Expecta Dominum, quia ipse ad te veniet. Ità conquievi, & expectavi. Advenit Ejus Majestas cum comitatu multorum Angelorum, eò habitu & modo, quo versatus fuit in mundo: superinduerat tamē quandam elegantem vestem, & habebat pretiosissimum diadema in suo sacro capite, vultum exhibendo gravissimum, & magnæ autoritatis, ut se ostenderet summum esse Regem. Latus ipsius stipabat, ad unius passus distantiam subsequens, sublimissimus Angelus, qui auream in manu ferebat campanulam, cujus sonus videbatur esse vox Angelica, intimans attentionem. Eo audito cæteri Angeli se prostraverunt humi, & Dominus stando suam ipsis dedit sanctissimam benedictionem, quā acceptā surrexerunt, & Christus Dominus magna cum majestate sic illos est allocutus: Angeli mei, ibitis ad omnes illas regiones, in quibus per hos dies fuit exercita mea Justitia, atque in nomine Patris, & meo, ac Spiritus Sancti, & in virtute sanguinis, quem profudi in cruce, perambulabitis terram (tum Ejusdem Majestas elevavit brachium, & gravissimo gestu indicavit illius circuitum) dicetisque mortalibus, qualiter mea Clementia ipsorum fuerit miserta; inspirabitis illis, ut agant pœnitentiam pro suis peccatis, atque ut vias suas, opera, & corda dirigant ad consequendam salutem; ut fructuosè audiant, & custodiant verbum Dei. Quod attinet ad temporalia, restaurabitis collapsa, corroborabitis debilia, & reparabitis minùs perfecta. Deinde idem Dominus ad me conversus mihi dixit: Tu verò ora Deum pro hoc populo, ut se disponat ad suscipiendam Divinam misericordiam.

Fui afflicta, dum audirem dicentem Divinam Majestatem, ut orarem, quò se ipsi disponerent: voluissem enim, ut omnia

faceret Ejusdem Clementia, statimque illos disponeret. Intuitus me est Dominus, & dixit mihi: Ego ità res disposui, ut homo ex parte sua præsteret, quod debet. Quamvis namque sim omnipotens, hoc tamen svavi meæ convenit dispositioni. Angeli se obtulerunt cum magna promptitudine & hilaritate, ad omnia exequenda, quæ ipsis mandabantur. Postea Dominus cœpit mecum sermocinari dicendo: Accede nunc, quid tibi de hoc Justitiæ meæ opere videtur? Ego verecundè, pro ut par erat, respondi: Mi Domine, sufficit quòd tu id sis executus, ut profusus bene factum fuerit. Bene est, reposuit Dominus, quid tamen tibi videtur? melius fuisset, si mea Clementia fuisset miserta hujus populi; an verò quòd exercuerim meam Justitiam? Mi Domine, ajebam, tu semper facis, quod est melius, & operaris, quod est convenientius: ac proinde quòd factum fuit est melius, quia tu id fecisti. Accessit Ipsius Majestas ad me, quæ proci ad ejus pedes, & impetrens tribu suam sanctam benedictionem, imposuit unam è suis sacris manibus meo capiti, alteram autem potui exosculari. Tum agnovi, quòd revera, qui me alloquebatur ac tangebatur, esset ipsemet Jesus Christus Dominus noster in sua propria persona, ità ut de hoc non possem ambigere. Meus Spiritus se fortiter univit eidem Domino, & quando deinde ad me redivi, fuerat secretum mysterium.

Alià vice, cum essem afflictißima, propter multas adversitates & calamitates, quæ his diebus, ut mihi referebatur, obruerant hæc Regna, quantum cunctante resignarem in Divinam voluntatem, non poteram me tamen componere. Tum mihi Dominus dixit: Conquiesce, Anima, quoniam enim fieri conveniebat, ut punirentur, qui sunt mortui, & superstites emendarentur. Adverte, nonne vidisti magistrum aliquem puerorum, dum hi sunt negligentes in obediendo, & garrunt, surgentem ex se illud duorum triumve ex ipsis capita ac scutica aliquoties verberantem, atque in terrefacientem omnes, qui metu perterriti se applicant lectioni? ità verò ego nunc

Alio die, postquam mihi Divina Majestas ostendit, quid supra dicti Angeli profecerint, exequentes quod fuerant iussi, vidi Angelos Custodes earum animarum, quibus dictata sibi à Deo inspiraverant. Veniebant apertis & semiextensis brachijs, dependentibus inde instar spirarum multis catenis ex purissimo auro, quæ erant pretiosissimis intertinctæ lapidibus. Progrediebantur hi Beati Spiritus longo ordine, & videbantur mihi, licet essent lætissimi, incedere multum fessi, ut indicarent non tam pretium & quasi pondus illius thesauri, quem ferebant, quam curam ac diligentiam impensam lucrands animabus. Ascenderunt per pulcherrimos gradus ad cælum, & obtulerunt illa cimelia Majestati Triunius Dei, qui ostendens, sibi ea plurimum placere, mandavit, ut servarentur in cœlesti quodam castello munitissimo, suo gazophylacio. Significatum mihi fuit, cimelia mystica, quæ ibi ostendebantur, ideo fuisse catenas, ut mihi indicaretur, animas illas jam quasi fuisse in Domino ab Angelis in perpetuum captas, & non perdendas, neque recessuras ab amore debito tam bono Deo. Ipse sit in æternum benedictus propter suas misericordias. Amen.

Quadam feriâ tertiâ, decimâ sextâ Martij, dignata est me invisere Sacratissima Persona Spiritus Sancti. Venit iste Dominus cum consveta pompa & majestate, quanquam absque prævio illo strepitu & motu, de quo aliàs dixi. Ducta sui ab Eiusdem Majestate ad valde remotum mare, ubi vidi tria oppida seu castella muro cincta, & turrata, atque duo ex ijs intra mare in insula, & aliud in litore. Ignoravi Provinciam, in qua essent, scivi tamen esse Catholica. Dominus mihi dixit: Considera accuratè hæc duo castella. Consideravi illa diligenter omni ex parte, vidi esse penitus destituta omni apparatu necessario ad defensionem, & militibus, unde afflictâ dixi Deo: Ah mi Deus! valdè malè hoc loco agitur, summa est hîc debilitas, & maximum periculum, ut destruantur ab hostibus, si adveniant. Quid igitur est faciendum, ajebat Dominus.

Obsecro Tuam Majestatem, respondi ego, ut jubeas ista castella custodiri à tuis Angelis. Fiat licet ità, dixit Dominus, & mandavit sex Angelis, ut custodirent ea castella. Vidi, quòd se assumptâ specie humanâ collocaverint infra, quasi ad angulos illorum castellorum. Sic acquievi, & egi gratias Deo pro præstito mihi beneficio. Vidi ramen deinde, illos Angelos relictis angulis, quos occupaverant, ascendisse ad turres castellorum, ità ut inferior pars esset velut indefensa ac deserta, quando ego fui quodammodo absorpta in Domino.

Octiduo post, sequenti nempe feriâ tertiâ, manè me Dominus valde properanter vocavit, dicendo: Veni, veni Anima, & videbis. Gyraui oculos animæ, & vidi eadem ista castella quasi nudata præsidio, eò quòd Angeli ascendissent, sicut dixi. Rogavi rursum Divinam Majestatem, ut dignaretur illi necessitati succurrere: & Deus videtur voluisse rogari, qui mihi denique dixit: Bene est. Derepente sui ducta ad cœlestem Jerosolymam, in cujus spatio foro, ubi eram, vidi multos Angelos Sanctos velut expectantes, ut illis Deus quidpiam mandaret, cessurum in ipsius honorem, eum in modum, quo per fora hujus mundi est reperire operarios expectantes aliquem, à quo conducantur ad laborandum. Erant speciosissimi & comptissimi, quos tum interrogavi: Domini, quid hîc agitis? Expectamus, responderunt, ut Deus nobis aliquid imperet, in quo illi exhibeamus obsequium. Voletisne verò, mei Domini, subjunxi ego, vos conferre ad protegenda & custodienda quædam munimenta Catholica, quæ summè indigent defensione? Faciemus id omnino, reposuerunt ipsi, verùm oportet te hanc rem petere à Deo, atque de ea cum Eiusdem Majestate agere, ut nobis id mandet. Adivi Dominum cum magna confidentia, & dixi illi: Mi Domine, isti tui Sancti Angeli se offerunt, ad succurrendû ijs castellis, modò tu ipsis id mandes. Obsecro te per te metipsum, ut mihi gratificeris, mandando hoc illis. Ità faciam, dixit Dominus: quid autem habes, quod mihi rependas? Mi Domine, respondi, cur

id dicis? quomodo sic loqueris? quid sum ego, aut quid habeo, quod tibi dem, cum sim pauper & miserabilis creatura, ut proinde si aliquid habeo, totum sit tuum?

Taliter velut pendebam à Deo, expectans quid mihi diceret, sed nihil audivi, quia eo ipso momento me rursus adverti esse in meo angulo. Tum ad me venerunt omnes hi mei Domini Angeli, qui hinc affutunt, & attingentes me spiritualissimè, atque illâ sibi consuetâ decentiâ Angelicâ, dis cooperuerunt meos pedes, manus & latus, quas partes Divina Majestas signavit suis sacris insignibus. Unumquodque horum membrorum erat transfixum durissimo clavo, unde unus è Sanctis Angelis singulos clavos extrahebat, tanto meo cum dolore ac sensu, ut tota contremiscerem, ac si mihi evelleretur anima, & videbatur mihi copiosus ex vulneribus sanguis effluere. Positis quinque clavis in quadam patina, dixit mihi Angelus meus Custos. Age, Soror, mitte Domino istos clavos, hoc enim sibi à te vult dari. Mi Domine Angele, dicebam ego, quid itâ dono Divinæ Majestati? Multum, respondit ille, quia ipsi donas desideria, & voluntatem, ut, quotiescunque Dominus voluerit iisdem istis clavis iterare in his membris vulnera, id faciat juxta suum divinum beneplacitum: das illi promptitudinem & patientiam in vehementibus doloribus, qui hinc in te derivantur. Nonne es prompta, & vis hæc omnia, soror, prout Dominus voluerit? itâ profectò quàm libentissimè, respondi. Oblati fuerunt clavi Majestati magni Dei nostri, qui accepto munere, ostendens sibi illud valde placere, statim jussit suos Angelos abire, & custodire ea castella.

Post paucissimos dies, nihil ejusmodi cogitans, fui ex paupere meo lecto abrepta (non vidi tum, à quo, etsi deinde resciverim, fuisse bonum spiritum) atque ut eram nudipes educa sum ex cubicello, & è mea domo. Ambulavi per plateolam angustam, tendentem ad Cantaranas: ingressa sum plateam aurifabrorum, forum, plateam Sancti Jacobi, portam campi, donec pervenirem ad Conventum Monialium Recolletarum Sancti Bernardi. Ibi

fui elevata in altum, itâ ut optimè potuerim discernere ex anteriore pontis parte fluvium. Vidi turbari, & commotam à dæmonibus crescere aquam, atque fluvius vehementer intumescere, quâ dæmones illi infernales spiritus volebant omnia in ea vicinia destruere & inundare. Incepi id videndo exclamare ac dicere. Adjuro vos mali spiritus in nomine Dei, ut relinquatis has aquas, & non conturbetis, neque damnum Fidelibus inferatis. Ipsi quasi exasperati agebantur in majorem rabiem, sed ego tantò magis attollebam vocem, & dicebam instantius: Adverte, quòd vobis imperem nomine Omnipotentis Dei, nè cuiquam noceatis, quod sollicitè & frequenter iterabam. Tandem coacti ac fruentes abiverunt, & aquæ conquieverunt. Fui continuo à Sanctis Angelis, qui se mihi tum exhibuerunt spectandos, ducta ad meum angulum. Restituta mihi agebam: Bone Deus! qualis est mea phantasia! quantum potest hæc facultas! Licet verò mihi aliunde satis clarum videretur, non esse imaginationem, quod mihi acciderat ex alia tamen parte mei consueti timore me adigebant ad existimandum, me non intelligere, quid vidissem. Quapropter in quæta mecum ipsa disceptabam, quoad usque me Dominus pacavit, dicendo mihi: Non fuit tua imaginatio, sed veritas. Cur verò, mi Domine, dixi ego, sic fecisti? Bene tu potuisti imperare dæmonibus, & aquis, atque omnia fuissent lecta, quin ego illuc irem, quemadmodum in Verum quidem est, respondit Dominus, me id facillimè potuisse, non volui autem sed mittere te nomine meo, ut hoc tu quereris. Ecce nunquid non vidisti, quòd dum aliquis manet in cubiculo, & ante subitè excitari tumultum in gallinæ, quia ibi infra comparet rapax quæpiam avis, advocet puerum, illique dicat: Cur deorsum, & incute illi avi timorem. Ita verò ego nunc feci, & videns dæmones illi licentiâ, quam à me his diebus habebam, facile conturbare fluvium, ac nocere illi citati, præ commiseratione, quâ mea Clementia fuit permota, mihi te, ut iras ad illos terrendos, & uolvi id ipse facere, non

quam pertaxus vestrarum negligentiarum, atque exiguae emendationis vitae, post tot beneficia, quae accepistis. Haec omnia mihi dixit Dominus. Ob hunc itum debile meum corpus fuit occupatum à gravi catarrho, & praeter meam ordinariam infirmitatem pessimè valui, patièdo aliquot noctibus terribiles pectoris angustias. Et quia ego non possum dicere causam, atque meae loci statim ex magna sua charitate advocant Medicos, sustineo quod Deo placet. Isti me tum repererunt valde debilem, & fractam viribus.

Alio die mihi Deum pro his praesentibus, & totius Regni necessitatibus oranti, ut nostri miseretur, dixit Div: Majestas: Penes te sit arbitrium pacis & belli, tu esto iudex inter me, & populum meum. Quid

vis amplius à me fieri? Deus sit illis propter suas misericordias benedictus. Amen.

Comparatio rapacis avis, invadentis gallinarium, nihil continet, quod non sit dignissimum ore Dei, cum sciamus, quòd Christus amabilissimus Dominus noster se ipsum comparaverit gallinae, qui suos ingratos filios, tanquam pullos protegere cupiebat. Aliunde etiam est aptissima, atque demonstrans majestatem ejusdem magni Dei, qui potest per imbecillum & pauperulam Virginem terrefacere & fugare demonum turmam. Per occasionem praeterea declaratur horum vilitas & vacorata: non enim assimilantur cuicumque avi rapaci, sed ijs, quae sunt spuria & abjecta, qualis est milvus, tantum audentes infestare gallinarium, quas minimus in domo puer repellit ac fugat.

CAPUT XI.

Continuatur idem argumentum, enarratione aliorum ejusdem anni eventuum.

Praeterlapsa die Dominica, decimà septimà Maij, me Deus vocavit dicendo: Veni Anima, & videbis, quod tibi volo ostendere. Fui subito ducta in spiritu ad litus maris Anglici, ubi vidi multos artifices haereticos fabricantes navigia, & ijs immixtos nonnullos daemones, à quibus juvabantur. Observavi nihilominus, quòd, etli cum ipsis viderentur in construendis & reparandis navibus laborare, id tamen agerent fraudulenter, ita omnia instruendo, ut naves redderent debiles, & fabricam periculosam. Inde me Dominus transtulit, & collocavit in litore Catholicorum maris Hispanici. Ibi conspexi multos Angelos in specie fabrorum lignariorum, qui suis ascijs, & reliquis instrumentis construebant nescio quales fabricas: videbantur autem mihi esse domus. Alij tanquam lapidariae restaurabant muros; alij ex ipsis fabricabant naves. Alij instar provisorum praeparabant armamenta navium, tormenta bellica, & annonam. Nonnulli conscendebant praetexas turres,

quasi speculatores, ad explorandum inde hostem, ac denique non pauci instar navitarum permeabant mare, exercentes naviculariam. Hoc tempore vidi venientem ex Anglia potentem classem, cum ingenti apparatu, optimèque instructam rebus necessarijs ad pugnandum, & spectatà potentià ac viribus, quas praese ferebat, videbatur submersura omnes naves, quae se illi opponerent, atque appellens ad portum subrutura mœnia, & prostratura castella, quae in continente sita aggrederebatur. Vidi deinde prodeuntes illi obviam ex Hispania paucas quasdam naves, easque debiles, & non tam bene instructas tormentis bellicis, quam erant hostiles. Angli ceperunt invadere nostrates cum magno tumultu, ac adeò vehementibus explosionibus, ut omnes primo impetu ab illis viderentur submergendae. Notavi, quòd, licet tantus esset fragor, perexiguus tamen sequeretur effectus, quia globi appellebant tam languidi, ut nostris navibus vix nocerent. Haec quoque sua explodebant tormenta, ejaculando pilas, uti apparebat, parvas, & modicum edentes strepitum: sed

sed effectus & conflictus fuit tam magnus, ut validissimè dissiparent classem hostilè, quam tandem tam malè tractaverunt, ut demersâ hîc aliâ, alibi aliâ navi, hostes ad fatis parvum numerum redegerint: & quanquam isti cum ingenti pugnarent furia ac indignatione, videntes quòd tam pauci resisterent tam multis, fuerunt nihilominus victi, atque nostri retulerunt victoriam. Mirata sum hoc spectaculum, quòd bene agnoscebam esse symbolicum, nesciebam tamen, quid mihi Deus per illud vellet indicare. Postea intellexi ex Divina Majestate, expedire Hispaniæ, ut non inquirat suos hostes, sed ipsos expectet, restaurando & communiendo suas naves, castella, & confinia, sic enim fore victicem; si autem illos inquisiverit, non futurum hujusmodi successum. Deus sit benedictus, & misereatur sui populi. Amen, amen.

Refero hoc loco gratiam, quam Deus huic Virgini prastitit, in utilitatem proximorum: etsi namque fuerit communis nonnullis extraneis, qui ad ipsam recurrerunt, ut cum ea conferrent dubia sum spiritum concernentia; specialiter tamen illi fuit concessa in commodum innumerabilium animarum Hispanarum, qua sequentes consilia, doctrinam ac directionem hujus Virginis, reppererunt modum prudenter expediendi negotia intricata, præsertim verò in materijs spiritualibus, ubi fuerunt animadversa mutationes vite, & specialissimi in perfectione progressus. Istud fuit donum linguarum, quod in simili alio eventu explicui libro primo. Postquam igitur Virgo recensisset quandam sibi à Deo, secundâ Junij hujus anni (qua fuit ultima dies Pentecostes) præstitam gratiam, de qua alibi loquar, sic ad præsens propositum pergit.

Eodem die audivi alium strepitum longè majorem, quàm fuerit prior, eratque tantus, ut cæli viderentur contremiscere, & universa mundi machina commoveri. Multùm me reddidit perplexam, permovîtque ad singularem venerationem, & reverentialem timorem. Quocirca hi mei Domini Angeli accedentes me animabant. Conspexi subitò grandem scalam,

per quam citatis passibus ascendebant & descendebant Angeli Dei, significantes mihi diligentiam & fervorem, quo se Divini obsequij impendunt operibus. Descendit deinde per eandem Sacratissima Persona Jesu Christi Domini nostri cum magna majestate, cujus vestitus erat regius, & in capite gerebat pretiosissimam coronam. Quando pervenit ad meum cubiculum, dixit mihi magna exhibendo amoris indicia; Anima, veni mecum ad celum, & non concessio mihi spatium ad quicquam proponendum, statim fui ducta cum eodem magno Domino. Post ingressum in illam supernam Curiam, & paulo antè quàm pertingerem ad locum, in quo se Divina Majestas manifestabat, nescio quis meam animam timor invaserit, ut aliquantum subliterim. Christus Dominus autem ad me conversus mihi dixit: Progredere, mecum enim bene accedere potes. Intravi quasi quoddam spatiosum conclave, ubi vidi Personam Spiritus Sancti, instat magni & pulcherrimi Solis, cujus radij desinebant in lingulas aureas, immittentes universæ illi cœlesti Societati: aet totus referebat speciem aurei splendoris, nihilque ibi erat aliud quàm gloria. Tum idem Jesus Christus Dominus nollet, qui me adduxerat, alloquens totam Sanctissimam Trinitatem (quamvis ego singulariter tertiam tantummodo viderem Sacrosanctam Personam Spiritus Sancti) dixit: Hic adduco istam Animam, ut in ea exquiras opus, quod à tua aternitate decessisti, cujus operis magnitudinem Dominus multùm expendebat. Proderunt autem ex Divino Sole multi prædictorum radiorum, qui penetraverunt omnes meos sensus. Indicatum mihi fuit, communcatum mihi esse donum variarum linguarum, quod mihi aliàs quoque Dominus significaverat: verùm nec tunc, nequid modo intellexi materialiter linguas diversas, quibus in terra loquimur, sed spiritualitè ut hoc donum sit facultas operandi quacunque viâ in animabus. Sancti Angeli me duxerunt ad omnes Apostolos, & reliquos prædictos Sanctos, qui me omnia magnâ excipiebant charitate; præterea

Celsissima Regina cœli, quæ imposuit suam benedictam manum meo humero, mihi quæ promisit, se futuram semper meam Dominam & adjutricem. Benedictus sit Deus propter suas misericordias. Amen.

Progreditur Venerabilis Marina recensendo alia acta, quorum effectus innotuerunt palpabilius, & sic ait.

Feriâ secundâ, vigesimâ septimâ Julij, conspexi Deum vehementer iratum, præfertim nonnullis Madritensibus, quibus ipsum aliàs videram offensum, præbitis signis gravis indignationis: præter ceteras verò causas eam specialiter manifestabat, quòd non crediderint quædam, de quibus pro suarum animarum, & Regni bono fuerant admoniti, atque ita impediverint alia, de quibus erant commonefaciendi. Rogavi Divinam Majestatem, ut eorum misereretur, & nè ipsos puniret. Inter reliqua mihi respondit, designando mihi quendam: Nónne sufficit, quòd ipsi non abstulerim filiam? Neq; Deus quidquam ampliùs dixit, iudicio autem meo non ostendit, se decrevisse, quòd ipsam illi non esset ablaturus. Institi denuò, dixi; ipsi: Domine, indulge mihi, ut ego ijs loquat. Prorsus per me licet, dixit Divina Majestas. Comparui subitò Madriti in spiritu, atque apud dictas personas. Cœpi illas compellere, exhortando ipsas, ut se converterent ad Deum, utque agnoscentes ipsius indignationem, illum conarentur sanctis operibus placare. Audiebant me, & possum dicerè, me ab ipsis non fuisse auditam. Sicut enim præcone quidpiam promulgante aliqui ex commeantibus per plateam prætereunt, nõ attendentes quid dicatur, alij tantillùm subsistendo statim revertuntur ad sua negotia; ita fecerunt omnes illi, quos alloquebar. Fui postea ob id in meo angulo sollicita. Deus medeatur nostris malis, non enim sunt exigua, quæ nobis impendent.

Feriâ quintâ deinde, diè trigesimâ ejusdem mensis, mihi Dominus spectandam exhibuit classem Hispanicam, quæ advehit argentum. Videbatur mihi solvens ex quodam portu incidere in naves hostiles,

Vita Mar. de Escob. Pars II.

& inter configendum utraque classis versari in periculo naufragij. Tam repentino spectaculo fui usque adeo afflictâ, ut elevatis oculis ad Deum, cum magno ipsi clamore, & ardenti affectu dixerim: Expecta, mi Domine, expecta. Tum Divina Majestas, velut suspendendo executionem, permittens illas naves fluctuare, ita ut nec interirent, neque penitus evaderent discrimen, mihi respondit: Quid vis Anima? Mi Domine, aiebam tota turbata, ut modicum expectes, nè ita festines ad infligendam hanc pœnam. Bene, dixit Dominus, & cui bono id fiet, aut quid hinc sequetur? Nemo vestrum reperitur, qui istis (& designavit personas) dicat in faciem, quòd illos audire convenit. Non, mi Domine, respondi, non reperitur, qui ipsis id dicat, nolunt enim audire: sed, si tibi placet, ibo ego, ac dicam illis. Dominus mihi ad hoc nihil respondit, dixit tamen: Polliceor tibi, quòd ipsos tum castigaturus, & si quid thesauri, quem expectant, vindicabitur ab interitu, nullum inde percipient emolumentum. Hoc audivi à Domino. Quamvis autem sciam, Divinam Majestatem graviter indignari, ac timeam, nè suas minas exequatur, revera tamen ignoro, neque hæcenus intellexi, quid sit futurum; magna siquidem est ipsius misericordia. Ipse sit in æternum benedictus.

Decimâ tertiam Augusti, postquam in cœlo magnam spectavi solennitatem, celebratam in honorem Virginis Domine nostræ, quam alibi recensui, cum jam essem in meo angulo, habui visionem hujusmodi. Vidi multos homines, cum magna festinatione supra mare, quasi longo ordine, procedentes. Tanta erat ipsorum agilitas, ut se invicem prosternerent, donec superatis omnibus ijs aquis pervenirent ad terram, & conscenderent quosdam asperos montes, unde postea ex adversa parte descendentes inciderunt in aliud mare, ubi ambulaverunt, ac si quidpiam attentissimè quærerent, quo non reperto singularem præ se ferebant dolorem.

Continuò me Dominus constituit in conspectu classis, quæ advehatur argentum:

K k

tum:

tum: vidi nostros valde properantes, ut se inde proriperent, sive ob metum hostium, sive alia ex causa, quam ego non intellexi; audiui tamen vehementes & luctuosas vociferationes, atque tanta ipsis incumbere vis, ut mali navium viderentur disrumpi, atque naves diffringi, & aliquæ submergi, cæteræ verò huc & illuc dispergi, quædam autem malè habitæ, plurimùmque afflictæ appellere ad portum. Metuo magnopere, ut classis non adveniat tam integra, quàm desideratur. Deus nobis per suam misericordiam sit propitius, & subveniat tot necessitatibus. Amen.

Omnia ista erant indicia Divina Justitia, unaque occulta, sed efficaces dispositiones Divina misericordia, qua hac viâ conabatur augere fervorem precum Venerabilis Marina, atque per illas, & industriam ardentis charitatis ipsius, quædam suaviter emendare, quibus multùm impediatur obsequium Divinum, & bonum regimen Hispania. Ex inspiratione igitur hujus magni Dei Venerabilis Marina instituit, ut ejus Confessarius Pater Michaël de Orenja hoc tempore adiret Aulam (quam ob rem nonnullè vulgo, qui omnia spiritalia lippis intuentur oculis, vehementer murmuraverunt) atque de hoc ageret, qui singulari suâ religiositate ac prudentiâ, multòque magis adjuvante divinâ gratiâ, alloquendo & exhortando præcipuos Aula Magnates, obtinuit, ut decerneretur de gravioribus quibusdam negotijs, & obviaretur aliquibus majoris momenti damnis, quod tum Deus fieri volebat. Habeo penes me epistolam quinque paginarum in folio integro; totam manu propriâ scriptam, in qua nonnemo è summis Proceribus ejus ætatis gratias agit Venerabili Marina, implorat plures preces, & pollicetur, se pro viribus suis facturum, quicquid fuerit possibile. Ità fuit placata Divina Majestas, & dilecta sua famula adeò afflictæ, quod videret, quantopere augeverunt publicæ proximorum ipsius necessitates, nisi subveniretur classi, manifestavit modum, quo illam provehebat. Id ipsa his verbis in quadam scheda describit.

Vidi initio Septembris, à quibusdam dæmonibus perturbari mare, non in eoductu & via, quibus solent appellere clas-

ses Indicæ, sed ubi erat quodammodo diverticulum. Post paucos deinde dies conplexi aliquos Angelos DEI, qui precabant illam fluctuum turbationem, quos dæmones excitaverant. Solverunt tum ex portu paucæ quædam naves, sed præceperunt progredi, quando turbato mari aliæ fuerunt submersæ, aliæ ad diversos appulerunt portus, & aliquæ se receperunt in eundem portum, ex quo solverant. Conspexi postea magnam & pulcherrimam cohortem Angelorum, descendendum ex cælo ad quandam portum: omnes videbantur fortissimi & potentissimi, atque inde dispositi in ordinem perambulaverunt totum illud mare. Paucis rursus elapsis diebus vidi ex eodem portu, unde processerant Angeli ad perambulandum mare, solventes pulchro ordine, personante musicâ, & exhibitis indicijs gaudij, multas naves: videbantur mihi esse circiter triginta, etiamque plures, quæ tranquillo mari appulerunt ad optatum portum, & fuerunt cum summa voluptate exceptæ. Post complures dies mihi fuit ostensum, quòd ex dicto portu solverint alia navigia, non tot, meâ opinione, quot fruerent priora. Vidi, antequam omnia egredere, excitatam fuisse tempestatem, ut nec possent ulterius procedere, neque reverti (existimo, eâ occasione interisse aliquod navigium) verùm vectores animando se, & confidendo in Deo connitebantur prosequi suum iter. Dum verarentur in hoc discrimine, advenit ille Angelus Dei, qui appellatur Fortitudo, & sufficiens humeris secundam navim exijs, quæ præcedebant, duxit omnes secundis ventis, donec pervenirent ad securam stationem, ubi erant exonerandæ. Admoneo, quòd mihi spectanti deambulationem illius pulcherrimæ Angelicæ, visum fuerit, velut ab eodem delignatam fuisse novam illam viam ac diverticulum. Idem hi Angeli die Subbathi, quintâ Septembris, favorabile præbuerunt auxilium magno cuidam navigio, quod vidi circumdatum à multis navibus: quamvis autem se conaretur defendere, parum tamen poterat præstare.

Verum Angeli illud cinxerunt, atque ex-
cæcatis, & in fugam actis hostibus, conser-
vaverunt.

Initio Novembris, dum Deo commen-
darem adventum classis, & magnis affe-
ctibus instarem, ut ipsam Dominus addu-
ceret salvam, dixit mihi Divina Majestas:
Expecta Anima, & videbis aliquid. Osten-
dit mihi Dominus quandam aulam, & in
ea quatuor homines, qui omni diligentia
& corâ erant intenti cuidam operi, quo
Deus graviter offendebar. Vidi præte-
rea alium, qui adstabat, illôsq; aspicie-
bat, & quasi melancholicus, propterea
quod ipsos videret, optabat eosdem ad-
monere & redarguere, sed non audebat.
Tres ex ijs novi, non verò reliquos duos.
Tum mihi Dominus dixit: Vide Anima,
quid agatur: quomodo vis, ut ipsis gratifi-
cer, meamque his exhibeam misericordi-
am? Fui vehementer afflictâ, videns De-
um denuò iratum; continuavi meas mise-
rabiles preces, ut implorarem Divinam
ipsius clementiam. Præterlapsi sunt pau-
cissimi dies, & cum quadam nocte ora-
rem, vidi repente in meo cubiculo mon-
strum serpentem, alatum, & vultu præ-
ditum in speciem humano, qui, postquam
alia quædam fuisset molitus, avolavit ad
mare Anglicum, ibique se immergens il-
lud conturbavit. Volavit postea ad locû,
quem pertransibat quædam classis Angli-
ca, seque sub ipsam svaviter demersit, ac-
cedendo ad naves, quasi svafurus earun-
dem gubernatoribus, quid illis esset agen-
dum, & quomodo deberent nocere classi,
atque exercitui Hispanico. Inde avolavit
eò, ubi nostra classis navigabat, & tertio se
mergens suscitavit fluctus, conando com-
movere aliquam tempestatem. Tum est
pervagatus totum illud mare, quod inter-
cedebat inter duas classes, inferendo da-
mna, quæcunque poterat.

Ego constituta coram Deo, spectabam
quæ fiebant, & Divina Majestas mihi di-
xit: Anima, vidésne quid agatur? Itâ, mi
Domine, respondi, non intelligo tamen,
quid sit. Scito, dixit Dominus, diabolum
moti: quidquid potest, ut destruat clas-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

sem Catholicorum: audebísne te conferre
ad illud mare? Vehementer expavi, ac di-
xi: Omnino faciam, Domine, quidquid
volueris. Jam est bene, dixit Dominus,
consulta hac de re cum tuis Angelis, & vi-
de, quid tibi svadeant. Converti me ad
meos Dominos, & dixi ipsis: Mei Domini,
Dominus Deus me remittit ad vestrum
consilium, ut mihi dicatis, quid mihi sit
agendum. Intuiti sunt se invicem, velut
deliberabundi, & meus Sanctus Angelus
Custos mihi nomine omnium respondit:
Soror, resigna te in voluntatem Dei, &
roga illum, ut tibi concedat aliquem San-
ctum Angelum ex potentibus, qui te co-
mitetur atque ducat. Tum, acsi foret ne-
cessarium, ut cum meo responso reverte-
rer ad illum magnum Deum omnia viden-
tes, dixi illi: Mi Domine & mi Deus, jam
de hoc negotio consultavi: svadent mihi,
ut me resignem in tuam sanctissimam vo-
luntatem, id quod libentissimè facio; di-
cunt mihi, ut à te petam Sanctum Ange-
lum, qui me ducat, atque ut iste sit ex ijs,
qui magnâ sunt præditi potestate. Fiar itâ,
dixit Dominus. Conspexi me subito indu-
tum albâ togâ, & quidam Sanctus Ange-
lus, apprehenso meo brachio, me duxit ad
illud mare, quod permeabat serpens (qui
me eminus aspiciebat actus in rabiem) ibi
me demersit, quò etiam ipse est ingressus
sub classem hostilem, & significatum mi-
hi fuit, per illum contactum evanescere,
atq; effectu frustrari stratagemata & con-
silia, quæ diabolus nostris adversarijs inspi-
raverat. Duxit me postea ad illum tractû,
in quo nostra classis vela faciebat, ubi nos
pariter immerimus, fuitque totum mare
pacatum ad malatiam, & aversum nocu-
mentum à diabolo illatum. Itâ serpens
disparuit, & Sanctus Angelus me duxit ad
meum angulum. Misera mea natura fuit
passa magnam debilitatem, & sensibiles ha-
rum immersionum effectus. Deus sit in
æternum benedictus. Amen.

*Bene quispiam curiosus posset revolvere
diarium hujus anni sexcentissimi vigesima
sexti, atque ex relationibus tam Indicis, quam
Hispanicis, missis ad Majestatem Catholicam,*

kk 2

& ipsius Ministros, videre, an hac symbola, deant veritati eorum, que isti classi evenerunt ostensa Venerabili Marina, exactè responderunt. Nos prosequamur nostram historiam.

CAPUT XII.

Recensetur, quod sequentibus annis pro Hispania egit.



Non minus hac fidelissima famula Dei, & amantissima sue charæ patriæ filia, se eidem faventem sequentibus annis exhibuit, quam prioribus, sicut vidimus. Id clarè patebit ex scriptis, quæ suo ordine connectemus. Anno sexcentesimo vigesimo nono ita ait.

Die Sabbathi, duodecimâ Junij, me Dominus vocavit dicendo: Anima veni mecum, & quiesces. Ego ob meos timores aliquantum reluctabar, sed mei Domini Angeli me duxerunt per quosdam amœnissimos ac deliciosissimos campos ad cœlestem patriam, comitante me Divinâ Majestate. Perambulavi, non procul progrediendo, ter quâterve cœlum, ac tandem cœpi destitui viribus, & visa mihi sum corruere instar mortuæ. Resurre vites, Anima, dixit tum Dominus, & esto bono animo. Accesserunt ad me Angeli, multumque me confortaverunt, unde mihi fui restituta, & cum ab ipsis ducerer per eam cœlestem civitatem, quæ plena erat gloriâ, ac beatis Palatinis, Divina Majestas mihi dixit: Anima, conscende hos gradus. Postquam autem ascendi ad immensam quandam altitudinem, deprehendi me in altissimo castello, ubi mihi rursum dixit Dominus: Age Anima, aspice hinc, quid fiat, propterea namque te huc adduxi. Aspexi, & vidi quandam nostram classem Catholicam navigantem in mari, atque eminus prodeuntem aliam classem hæreticorum copiosiore, & munitiorem nostrate, quam cepit insequi. Quia erat multò potentior, incussit nostris timorem. Conspexi verò statim multos Angelos Dei, constituentes se inter duas classes, & objurgatis nostratibus, eò quòd se exhiberent pusillanimes, ipsæ dicentes: Quare

modicam habetis fidem in Deum, qui vos juvabit? Adversarij inceptorum nostram classem impetere tormentis, sed nihil perficiebant, ideòque agebantur in magnam rabiem. Increpabantur, & urgebantur à suo Archithalasso, & illi respondebant: Domine jaculamur frustra, & perditum apparatus tormentarium, nullum operæ pretium referentes. Interea fuit excitata grandis tempestas, & nostri se receperunt ad quandam portum, ubi effugerunt periculum. Hostes se, ob hanc tempestatem, commiserunt alto mari, quæ illos tamen insequēbatur, donec ipsos dissiparet. Multæ eorum naves naufragium passæ interierunt, aliæ contractæ aliò declinaverunt, seque separaverunt, ut illas amplius non viderim. Nostri omnes lætissimi evaserunt salvi. Deus sit benedictus. Amen.

Ad finem hujus scripti addit P. Michael de Orenja hæc verba: Classis hæc infidelium fuit Anglica, quando prodivit ad interceptam nostram classem venientem ex Indijs, & postea est dispersa, quod constabat universæ Hispaniæ. Pergit Venerabilis Marina, & respondens ad annum millesimum sexcentimum vigesimum octavum sic inquit.

Dum orarem primâ hujus mensis februarii, petendo à Deo magnis affectibus remedium temporalium hujus Regni necessitarum, quæ mihi dicebantur esse mortuæ, dixit mihi Divina Majestas: Veni mecum, Anima, veni, & videbis, in quibus sit perditio Hispaniæ, & unde orientur calamitates, quas mihi recenseres. Duxit me Dominus ad quoddam mare, & vidi venientes parvas naves, onustas pecuniâ præpæ. Trahebant alligatas funibus alie naves grandiores quasi actuaras, & erant satis procul remotæ à portu, expectantes veluti clanculum, ut incolæ contingerent venirent accepturi eam moneram. Tam

mihî Dominus dixit: Vide Anima, quid fiat: hoc esset emendandum, quia hinc oritur perditio Hispaniæ. Visne, ut hos omnes nunc submergam? Consideravi id, atque dixi: Nequaquam, mi Domine, verum submerge hanc monetam, quam advehunt, & in qua damnum consistit. Nullâ ratione, sed etiam illos omnes, subjunxit Dominus: nunquid non vides esse hæreticos? Subito exclamaverunt duo Sancti Angeli, ibi præsentés, dicendo: Noli, noli Domine, per tuam misericordiam, noli ipsos submergere: poterit namque fieri, ut convertantur. Ego quoque dixi: Noli, mi Domine, es enim potens, ut illos ad te convertas. Exorta fuit continuo ingens tempestas, & naves sunt ingressæ quoddam quasi ostium fluminis, ubi omnia, quæ advehébant, fuerunt submersa, & homines salvi evaserunt. Deus sit benedictus.

Feriâ sextâ, octavâ Septembris, hoc eodem anno sexcentesimo vigesimo octavo, hinc interfui ijs, quæ agebantur in cælo, ubi vidi Beatissimam Trinitatem, & quodammodo impressum in Divina ipsius mente æternum illud decretum, de creanda in tempore Virgine Maria, ut esset Mater Redemptoris generis humani. Vidi præterea, quòd, postquam illam creavit exemptam à peccato originali, cujus reliqui omnes filij Adam sumus rei, eadem Beatissima Trinitas præ se tulerit indicia lætitiæ, visâ pulchritudine & perfectione illius operis, quo absolutius eoufque non prodiderat ex Divinis ipsius manibus. Atque ut etiam ejus progenitores, præter naturale gaudium, quo affluebant, propter fructum sibi à Deo concessum, quando illum minùs poterant ob senectutem sperare, speciali fruerentur jubilo spiritus, misit ad ipsos Dominus aliquos Angelos, qui ijs gratularentur natiuitatem magnæ illius Domini, cui Deus multos attribuit Angelos, qui ipsi in hac vita mortali assisterent, & inservirent. Ut verò beneficium, quod hac ratione conferebatur hominibus, & hierarchijs Angelicis, celebraretur in cælo, ubi magis agnoscebatur, mandavit idem Dominus, ut ibi singularis insti-

tueretur solennitas, in signum novi gaudij, quam peregerunt omnes illi Spiritus Angelici canentes, & jubilantes, ornati (prout id tum à Domino representabatur) novis festivis vestimentis quàm elegantissimè.

Mea anima occupabatur spectaculo horum mysteriorum cum magno solatio, quando mihi Deus ex sua misericordia dignatus est aliam gratiam præstare, ut meo modo fierem particeps illarum gratiarum, quibus fruebantur Cœlites. Dixit enim more humano Dominus, alloquens eam multitudinem Angelorum, qui in Divina ipsius versabantur præsentia: Quando celebratur magna solennitas, in eaque apparatur splendidum convivium, solet amico mitti quoddam ferculum, qui illi adesse nequit: æquum proinde est, ut aliquid feratis ei Animæ, reddendo ipsam participem vestræ lætitiæ. Statim duo speciales Angeli Dei, cum comitatu aliorum, ferentes in manibus canistellum rectum linteum, abiverunt ex cælo, concinendo suavissimè Divinas laudes, & postquam pervenerunt ad meum cubiculum, deposito canistello, omnes se cum magna reverentia prostraverunt. Hujus facti novitas me obtupefecit; vidi autem, eò versùs respiciendo, ad latus meum dextrum Christum JE SUM Dominum nostrum affixum cruci, quod tantò amplius sum mirata, quanto magis mysterium erat ab eo die alienum. Dixit mihi hæc tantummodo verba: Anima amplectere meam crucem, quibus auditis vivacissimè mihi in momento fuerunt representati cruciatus, qui in ea sustinentur. Natura non defuit suo officio, aliquantum timendo, & eos averfando: considerando tamen, quid mihi esset agendum, & adhibendo conatum, ut me, opitulante Divinâ gratiâ, resignarem in voluntatem illius Domini, qui me alloquebatur, amplexata sum illam crucem, stringendo eam partem, quæ ab ipsius pedibus protendebatur ad terram. Tum mihi dixit: Audi, & attende, quid tibi velim dicere. Ecce Anima, licet in cælo non sim crucifixus, exhibeo me tamen tibi in hac specie videndum, ut melius intelligas, quomodo

K k ; offe-

offeram Patri meo tormenta, quæ pro humano genere sum perpeſſus in cruce, rogando illum, ut miſereatur hominum, præſertim populi Chriſtiani. Nunc te oportet eundem in finem offerre quidquid egeris, vel paſſa fueris, pro ſalute & auxilio Chriſtianitatis, donec tibi aliud dicatur. Mea anima fuit velut abſorpta, dum audiret hæc verba, atque ille Dominus cœpit aſcendere, donec te ſubduceret meo conſpectui, quanquam relictiſ profundè cordi meo impreſſis, quæ mihi dixerat.

Tum ij Sancti Angeli ſurrexerunt ex loco, in quo erant proſtrati, & extendentes in meo paupere lecto illud cœleſte linteum, quo tegebatur caniſtellum, exemerunt quæ intra idem erant, & poſuerunt ſuper linteum. Fuit verò catena aurea ex cœleſtibus aurifodiis, contexta ex elegantibus annulis, non tamen magna, & falſis precatoriarum corollarum, quæ fuerunt pretioſiſſimæ, nec non alia cimelia. Acceſſit deinde meus Sanctus Angelus Cuſtos, & complicato ſecundùm quatuor angulos eo linteo, abſtulit illud cum omnibus, quæ erant intus: alij autem Sancti Angeli abeunt aſcenderunt ad cœlum. Converti me ad Sanctum Angelum meum Cuſtodem, dixique illi: Mi Domine Angele, quod cimelum ex his, quæ Deus mihi ſpectat ad me? Nullum, reſpondit ipſe, & ſine mora mihi ibi oſtendit, ac repræſentavit illos, ad quos pertinerent. Vidi verò, quòd illam catenam auream imponeret Regi Philippo Quarto Domino noſtro, quòdque, dum ea ipſi imponeretur, Divina virtus cordi illius communicaverit ſpeciale affectum, ad protegendam noſtram ſanctam fidem. Ex corollis precatorijs dedit unam cuidam, qui eſt inter ſummos Regiæ Majeſtatis Miniſtros, & quamvis illum optimè noverim, non vidi tamen, quid in ipſo operaretur. Poſtea diſtribuit omnes eas corollas, & reliqua alijs Miniſtris Regijs mihi notis. Bene nihilominus intellexi, dona ideo fuiſſe eum in modum collata, quòd Deus ab illis expoſcat vigilantiam in regimine, & purum gloriæ ipſius, ac ſanctæ fidei zelum, atque à me, ut idcirco ipſum invocarem, eidem-

que eam ipſam ob cauſam offerrem, quòd mihi Divina Majeſtas injunxerit agendū, & patiendum. Ipſe me dignetur juvare, ut in omnibus exequar ſanctiſſimam ejus voluntatem. Amen.

Quantopere in Catholico Philippo Quarto Regis & Domini noſtri, pectore, ab ipſa ſanctia reſplendeat affectus protegendæ fidei, cuius à ſuis Majoribus eſt factus hæres, novit univerſus mundus: fueritne is audivit ex eo die, quem hic Venerabilis Marina deſignat, pro-voco ad illos, quibus ſunt magis explorata ejus temporis acta, & perſpecta res Aula, atque ad ipſam experientiam Regiæ Catholice Majeſtatis, quam Deus conſervet. Certum eſt, hæc iſta nequeant deſiniri, quòd adeo manifeſtus, adeoque frequentes Regij ipſius animi votamus effectus, quoad fidei deſenſionem, venerationem Eccleſiæ Romanæ, & omnia concernentia pietatem, ac Divinum cultum, ut non poſſit dubitari, quin illi ſpecialiſſima liberaliſſimus DEUS hujusmodi dona contulerit. Redeo ad hiftoriam, ubi anno ſexcenteſimo trigefimo ita hæc Virgo, ſollicitiſſima ob amiſſum Buſcoducum, loquitur.

Matutino quodam tempore, die vigefimâ quartâ hujus anni ſexteſcentefimi trigefimi, cum miſerabile meum corpus ſumme eſſet debilitatum, propter acerrimos dolores ingreſcentes ex diuturno meo morbo, & mea anima conſuetæ ſuz vacaret orationi, Deus in me excitavit inſolitos quofdam affectus, eâ vehementia, ut incumbente meâ imbecilli naturâ, mihi ab illis videret veluti exanimari. Oriebantur ex afflictione ac dolore, qui ab aliquot diebus inhæret quaſi fundo animæ, eò quòd occulta magni Dei judicia permiſerant, ut Hollandi hæretici occuparent urbem Buſcoducenſem, & graviffimâ afficerent contumeliâ quandam ſacram imaginem ſanctiſſimæ Virginis, plurimùmque inſolenter, & ſuperbirent ob hanc, & alias viſtorias relatas de Catholicis. Augebat meum dolorem notitia bellorum, quæ moliantur Principes Chriſtiani, & quædam adverſus Hiſpaniam, unaque illam quam habeo de communibus Regni neceſſitatibus, & particularibus pauperum præ vehementia ergo quaſi violenta hujus-

afflictionis, & præ æstu horum affectuum, cepi exclamare, dicendo: Non quiescam, ô Beatissima Trinitas, non dabo somnum oculis meis, aut quietem diebus vitæ meæ, donec me vindices de his hæreticis, vel ipsos, si non sunt convertendi, pessumdes ac destruas, ad solatium tuorum Catholicorum, atque ad gloriam nominis tui. Et cum eodem fervore subungebam: Putasne fortasse, mi Domine & mi Deus, parum à nobis hîc amari, & æstimari tuam Sanctissimam Matrem, atq; non honorari toto animarum nostrarum affectu, ut possimus tolerare contumelias, quæ ipsi inferuntur? Profectò, Domine, necesse est ut id facias, neque ullatenus fieri aliter debet, atque oportet te providere his necessitatibus, & componere ista bella: neque ulterius, propter tuam bonitatē & misericordiam, ac amorem unigeniti Filij tui, nec non Sacratissimæ ipsius Matris, debes irasci. Hoc dicebam, & clausis aliquamdiu oculis instar mortuæ elangvescebam: Dominus autem ista dissimulabat, non alloquendo me, nec ullum mihi verbum respondendo.

Mea anima volebat rursus clamare, cum autem natura esset tantopere exhausta, non poterat. Quia tamen eadem affectus perseverabat vehementia, denuò me animavi, ac dixi: Noli cogitare, mi Deus & mi Domine, licet me privis viribus ad clamandum & vociferandum, quòd idcirco sim tacitura: corde namque, & desiderio, quod huic animæ intimè inhæret, te invocabo usq; ad mortem, & nisi me audiveris, mihiq; responderis, quaram te: jam enim novi viam, & scio, quâ mihi sit eundum, quia tu mihi id ostendisti. Ad hæc omnia Divina Majestas silebat, nihil respondendo, sed nec ideo ego tacebam, aut diffidebam, nam dixi illi: Quid est hoc, mi Deus, & mi Domine? cur mihi auferis vires ad invocandum te? cur id facis, infinitum Bonum meum, ut mihi videar à te repelli? quomodo, mi Domine, permisisti, ut perderetur illa civitas? tunc mihi modo gravissimo, & cum magna indignatione Dominus Majestatis dixit: Apage Anima, noli mihi hæc de re loqui, nec sis importu-

na in petendo, quia te quoq; tollam è medio, nè mihi de hujusmodi rebus loquaris, sicuti sustuli nubes, nè plueret. Audiebat id mea anima, & quamvis timeret ac tremere, nescio tamen, quid secretissimè viderit, ac adverterit in eo magno Domino, ut existimarem, ab illo hac ratione potius incuti metum, quàm quòd vellet mandare executioni majores justitiæ suæ plagas: unde quantumcunque metuerem, non despondebam tamen penitus animum. Subjuxit Dominus eadem autoritate, quâ prius: Misi ad eos, qui illis meo nomine loqueretur, ipsos illuminaret, diceretque ijs veritates, & declararet meam voluntatem: atque cum sufficientes haberent causas ad credendum, quod ipsis fuit dictum, nihil id cura verunt, & processerunt vijs prudentiæ humanæ, ubi occultissimi admittentur errores, non confidendo in te. Bene est, mi Domine, ajebam ego, optimè dicis: sed quid superest remedij? Mi Domine, quod factum est, infectum fieri nequit: noli hujus rei meminisse, per te metipsum te obsecro, noli, noli mi Deus, per misericordiam tuam. Anima, dixit Dominus, remediū est, quod jam sciunt, ut agnoscant errores, atq; de ijs doleant, & emendent futura, jam verò facta corrigant, quantum poterunt. Da ipsis itaque, respondi ego, mi Deus lumen, & necessariam dispositionem ad illud acceprandum: siquidem scis, quæ sit nostra miseria, & quàm parum possimus ac valeamus absq; te. Bene est, dixit Dominus eadem sumâ gravitate, bene est Anima, quiesce modò, quiesce modicum in me, quia es fatigata. Absorpta fui in Domino per ecstasim, inter fiduciam & timorem, quamvis magis propenderem ad existimandū, nobis taliter minas tantum interminari, pro nostra emendatione. Intra paucos dies mihi fuit nuntiatum, bella, & alia esse in meliore statu. Deus omnibus medcatur, prout potest. Amen.

Multa alia Venerabilis Marina prestitit in commune Hispaniæ emolumentum, quæ, quia diversius spectant ad alias materias, fuerunt supra in alijs tractatibus relata, & referentur infra suis locis.

CAPUT

CAPUT XIII.

Tenerrima hujus Virginis charitas, erga
Anglos Catholicos.

Omnes mundi nationes, quemadmodum ab initio hujus libri patuit, Venerabilis Marina intimè diligebat, ut earum ageret advocatam apud Deum; specialissima tamen fuit cura, & ardentissimus affectus, quem ipsi idem Dominus invidit, ut subveniret Anglis Catholicis, sive quia inter nationes septentrionales hæresis infectas plurimum patiuntur, sive quòd illis minus liberè debitum, ac necessarium præbere possint auxiliùm Evangelicæ Ecclesiæ Romanæ operarij. Unde voluit Deus per preces Venerabilis Marinæ spiritualium supplere defectum subsidiorum, qua alijs vijs non poterant obtinere. Certum est, ab hac purissima Virgine, que omnes mundi homines respiciebat tanquam proximos, præcipuè solos Anglos Catholicos vocatos fuisse filios; atque cum instar sororis tot alijs opitularetur, hos tenerrimo suavissima matris affectu protexisse. Aliquid hac de re suprâ dictum fuit, rursumque alijs locis infrâ attingetur: speciales huc spectantes successus modo complectemur. Supersedebò verò adnotatione annorum, quibus evenerunt (præterquam interdum, ubi videbitur necessarium) plerumque enim id existimo, quoad præsens propositum, posse prætermitti. Venerabilis Marina sic exorditur.

In festo Corporis Christi, quo fui abrepta in cælum, ut ad eam solennitati, quæ illic peragebatur in honorem Sanctissimi Sacramenti, post alia singularia, & mysteria, quæ alibi recensui, vidi ibidem exoriri suavissimum quendam turbinem sacrorum tonitruorum, & fulgetrorum, quæ audita ac visa exhilarabant animam. Pluebat ignis Divini amoris, qui inflammabat cælestes illos Palatinos; grandinabat, & cadebant Divini thesauri in specie pretiosorum lapidum. Hos ego, cupidissima obtinendæ pro meis filijs Anglis Catholicis elemosynæ, cœpi colligere, sed non habebam quòd eos ponerem. Aspexi meos Do-

minos Angelos, qui mihi amanter dixerunt: Anima, collige diligenter, nos tibi servabimus, quicquid collegeris. Neque aliter faciebam, & porrigebam ipsis, quòd colligebam. Postquam cessaveram, optabam abire ad distribuendam meam elemosynam. Tunc mihi Dominus dixit: Marina, non poteris tam longum iter conficere, quia tua naturalis dispositio id nunc non patitur. Tui Angeli illam ipsis adferent. Subitò hos vidi abeuntes, ad eam spiritualem Divinarum gratiarum elemosynam ijs ferendam, quam illis Dominus mittebat. Solus meus Sanctus Angelus Custos apud me mansit, qui me, cum satis diu fuissem fructa bonis illius supernæ Civitatis, reduxit ad meum angulum.

Aliâ vice vidi in meo cubiculo pestilentem catervam rabidorum canum, terribiliter latrantium & ululantium. Agnovi esse diabolos, conquecentes coram Deo. Tenebat illos Divina Majestas ligatos, & ipsi optabant se expedire vinculis, ad nocendum Fidelibus. Conabantur quoque intervertere opera, quibus me Deus per hos dies occupat, & impedire, nè converteret cum proximis. Tandem, cum hic nihil possent efficere, disperferunt se per varias orbis partes. Vidi mox intrantes multos viros & fœminas, quibus omnibus aderant Angeli Custodes, recurrentes ad me tanquam ad matrem, ac petentes à me elemosynam, specialiter verò panem. Sancti ipsorum Angeli Custodes me etiam jubebant opem ferre illi egenæ turbæ. Contingit ad Deum, dicendo illi: Mi Deus, da mihi pro hac turba Divinum panem, & lumen tuarum miserationum. Divina Majestas, simulando, à se quasi non percipi meos preces, mihi dixit: Quid à me peris? quid vis Anima? Ego reperebam idem, & Dominus rursus dissimulabat. Ità affectus meæ commiserationis multò magis exardescibat, & invocabam Dominum: Mi Deus, da mihi Divinum panem, & lumen tuarum

rationum. Sit ita, dixit tum Eiusdem Majestas, habes clavim mearum miserationū, dispensa illas pro tuo arbitrio. Omnes isti erant Angli & Hybemi Catholici, præter quos adveniebant etiam nonnulli hæretici, quorum Angeli mihi dicebant: Da & nobis aliquid, roga quoque pro his. Nequam, mei Domini, respondebam ego, pacem filiorum non oportet dare canibus. Sic est, reponabant ipsi, sed canes edunt de micis, quæ cadunt ex mensa. Dum hoc modo colloquerer, fui in spiritu ducta ad insulas Hybernæ & Angliæ, quarum regionum Catholici mihi videbantur lachrymantibus oculis dicere: Mater & refugium nostrum, noli nos derelinquere, mane nobiscum. Solabar ipsos quantum poteram, animando illos ad perferendas patienter suas afflictiones, blandiebar ijs dicendo: Filij mei, si me possem dividere, & manere vobiscum, facerem id absque dubio quam promptissimè: cum autem hoc fieri nequeat, nunquam vestri coram Deo obliviscar. Valde dixi ipsis, & finitâ visione me reperi in meo cubiculo.

Quod mihi Deus dixit de clavi suarum miserationū, manifestavit mihi paulò amplius quam post unum mensem, per aliam visionem, quæ fuit hujusmodi. Fui in illis regionibus, ubi est sepulchrum Christi Domini Redemptoris nostri, & vidi quosdam Cœnobitas sese lavantes in eo mystico flumine sanguinis & aquæ, de quo sum aliâ occasione locuta. Spectabant ipsos multi Infideles, dicebantque sibi invicem: Videte quam sint sordidi & fœdi illi Monachelli, qui se lavant sanguine. Alij ex iisdem Infidelibus agebant: Non sunt profectò, quin imò prodeunt ex balneo mundissimi: nonne videtis, quomodo resplendeant? Hi continuo ad me conversi mihi vociferando dicebant: Mater adjuva nos. Ego eram tenerè commota, & recurrens ad Deum, invocabam illum instantissimè. Quid vis Anima? dixit Divina Majestas. Mi Deus, respondi, ascendere ad cœlum, ubi degis, & ingredi tuam cellam penariam. Nescio, quomodo tanta fuerit mea audacia, ut subjunxerim: En, mi Domine, jam illuc proficiscor. Veni Anima, dixit tum beni-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

gnissimus Dominus. Hoc eodem momento comparui in cœlesti Jerosolyma coram Beatissima Trinitate, quasi in conspectu immensæ gloriæ. Erat ibi ingens, pulcherrima, & supra modum elegans arca clausa tribus feris, atque cum viderem esse tres realiter distinctas, videbatur mihi esse unica. Idem mysterium notavi in clavi, quæ licet esset tantum una, aliunde tamen mihi apparbat triplex. Accede, dixit tum Dominus, & resera hanc arcam. Accelli, & volui illam reserare clavi, quam videram, sed Divina Majestas mihi dixit: Relinque istam, hæc enim geris tuam clavim, ad arcam reserandam. Aspexi me, & vidi pendentem ex meo cingulo auream clavim, quæ conveniebat omnibus tribus feris. His apertis, erat tam grande, & adeò immensè ponderis operimentum ejus arcæ, ut illud nullo modo possem elevare.

In hac mea anxietate conspexi Sacratissimam Personam Jesu Christi Salvatoris nostri & Domini, qui infinitâ Sanctorum Angelorum multitudinem stipatus, magnū mihi exhibens amorem & affabilitatem, venit ad me, suæque benedictâ manu felicissimè elevavit operimentum arcæ, gaudente plurimum eo sacro comitatu beatorum spirituum, quod Dominus aperuisset, ac palam proposuisset illum thesaurum. Accesserunt, jussu Dei, meus S. Angelus Custos, unaque mei ceteri Domini, & imponentes in arcam manus, eximebant illas præstantissimis plenas unionibus, pretiisque ac pulchritudinis incomparabilis margaritis, & coniciebant eas in quoddam linteum, seu præcinctorium, quo me vidi circumdatam, considerando attentissimè, quomodo ab ipsis exponerentur. Erat vero ingens aviditas ac desiderium, quo tenebar, ut mihi multum darent. Tandem, postquam implevisset illud meum linteum, præ cupiditate, quâ ferebar ad succurrendum ijs, de quibus advertens, volui confestim abire, ut illis impertirer, quod acceperam. Admonuit autem me S. Angelus meus Custos, ut illi magno Domino prius deferrem honorem, & agerem gratias, qui me pro suis prædestinatis tam liberaliter

L I

locu-

locupletaverat beneficijs. Feci id, petendo veniam meæ incuriæ. Cogitabam, nos statim tendere ad eas regiones vicinas sepulchro, sed mei Domini Angeli me inprimis constituerunt in Regno Angliæ, ubi incepti meis Catholicis distribuere illas gratias ac dona cœlestia, quæ omnibus magno affectu elargiebar, & singulari cum desiderio, ut ipsis abundè satisfacere, & subvenirem omnibus illorum necessitatibus.

Hoc opere peracto, me duxerunt ad regionem, & locum S. Sepulchri, ubi eæ animæ à me petiverant auxilium, sicuti supra dixi. Et cum eadem ratione vellem distribuere illas divitias, quo ipsas distribuere meis Catholicis Anglis, mei Domini Angeli mihi dixerunt: Expecta, desiste Anima, quia hęc distributio non est pariter faciendâ ac ibi, sed profus aliter. Et continuo iisdem mei Domini Angeli, acceptis illis gemmis & margaritis, quas ferebam, cœperunt eas jactare super illos homines, dispersas per aërem, quemadmodum Agricola pugillatim spargit frumentum, ut illud seminet. Post hoc me reduxerunt ad meum cubiculum, ubi derepente rursus vidi JESUM Christum Dominum nostrum, cum comitatu multorum Angelorum. Cœperunt ex Eiusdem Majestate prodire pulcherrimi radij, qui me ferientes totam perturbaverunt, abripietes me eò, ubi erat idem Dominus, qui uniendo meam animam suo Divino spiritui, me secum abduxit ad cœlum. Ibi sum fruita, meo modo, ineffabilibus bonis, donec mihi reddita me reperi in meo angulo, admirans magnas hujus Domini misericordias, cui sit benedictio, & laus æterna. Amen.

Hęc visio est plena mysterijs, quæ vel mediocriter doctis sunt facilis intellectu. Pijs animabus, ad ipsarum instructionem, sufficit breviter intelligere, quod hic adnotabo. Clarum est, arcam tribus clausam seris, quæ omnes tres erant una, fuisse symbolum Triunitus Dei, cui eminentissimè insunt thesauri, & gratia, quas communicat animabus. Symbolum quoque ejusdem videtur esse clavis una & trina, quam in ea Venerabilis Marina vidit: specialiter tamen representabat liberalissimam hujus magni Dei potentiam, communem tribus

Personis, quæ potest re ipsâ, & solet hac bona, nullo alio adhibito instrumento, communicare. Ideoque Deus ipsi mandavit, ut non hac, sed aliâ clavi, quam habebat, tanquam gerente vices illius prioris, aperiret eam mysticam arcam, ut illi significaret, orationem ipsius se adhiberi pro instrumento suorum beneficiorum, quemadmodum lingua Eliæ à Sanctis appellatur clavis cœli. Quia tamen omne patrocinium & favor Sanctorum suam habet radicem & efficaciam in meritis Christi Domini nostri, fuit huic Virgini ostensam, quod ipsa suum impenderet terunciolum, referendo arcam clavi, majoris verò momenti opus, utpote elevatio operimenti, fuerit reservatum virtuti Christi. Non fuit offensus Deus (quævis illam Angelus admonerit, quod scire præstaret) quod hac Dei famula, postquam se vidit locupletatam, abiret, non obtenti facultate, ad distribuenda, quæ acceperat, animabus indigis: siquidem Divina Majestas suavisimè dissimulat quasdam naturales negligentias, quas inter orandum committimus, provenientes ex perpetua de proximis nostris sollicitudine: quin imò experimur ipsam interdum erga eos benigniorem, quam alias esset, dum illos solummodo propter ipsam quarimus. Diversus ille modus, quo distributa fuerunt dona, dum Anglis Catholicis quasi ad manus tradita, & Paganis convertendis, ac si super ipsorum capita seminarentur, videtur significare, quod omnes Catholici, saltem per fidem, & multi eorumdem etiam per charitatem, quia sunt filij Ecclesiæ, jam evaserint vasa capacia, ad retinendos thesauros CHRISTI: Paganis vero fuerunt instar steriles terre, ubi, priusquam gratia seminata, accedente ipsorum cooperatione, ageret radices fidei, DEUS non inveniret, nostro loquendi modo, vas, in quo sua dona reponeret. Ipse sit in æternum benedictus. Venerabilis Marina continuat suam historiam.

Post prædicta non sunt elapsi duo menses, quando audiens mihi referri, à quibusdam Patribus Anglis è Societate Societatis, quæ Rex Angliæ persequeretur Catholicos suarum ditionum, concepit vehementem affectum, & ardentissimum desiderium, ut Deus ipsis, tanquam ven-

Ecclesie Romanæ filijs, largiretur patientiam & fortitudinem, cum alijs suis multis Divinis donis, ad tolerandas tantas afflictiones. Cùm autem Divina Majestas mihi revocaret in memoriam cœlestia dona, quæ illis, accepta ex Divina ejusdem mensa, aliàs distribueram, vidi me duci in spiritu ad cœlum, ubi me deprehendi præcinctam candidissimo, & admodum capaci linteo, in manu verò habui scopulam, quasi pro verrendis ijs cœlestibus mensis, & colligendis spiritualibus illarum micis, quas impertiret illis afflictis Catholicis. Ingressa sum magno animo ea cœlestia cœnacula, venitque mihi obviam quidam Angelus ex majoribus, magnæ autoritatis, ut illum existimem fuisse præfectum illorum conclavium, qui mihi valde severè dixit: Quò vadis Anima? expecta, quid vis? Domine Angele, ajebam, vado ad colligendas micæ mei Domini, pro meis filijs, Catholicis Angliæ. Jam te alia, respondit ipse, prævenit, bene potes reverti. Hoc responsum me reddidit nonnihil attonitam, ità tamen, ut plurimum gauderem, reperiri, quæ istud munus exequeretur. Idem S. Angelus se deinde exhibuit affabiliorem, & non solum mihi non prohibuit transitum, sed etiam ostendit, quæ mihi esset eundem. Postquam igitur intravi in quoddam cœnaculum, vidi in eo disposita scamna, & velut subsellia, cùmque inter illa obambularer, prodivit alius Angelus, qui mihi dixit: Quid est hoc? estne ista scopula tui affectûs, quo prosequeris tuos filios? progredere jam ulterius.

Pervenit tandem ad caput mensarum, ubi Dominus accumbebat; prostravi me ad sanctos ipsius pedes, & nescio quo affectu impellente, cœpi canere. S. Angeli

ibi præsentés me intuebantur, & interrogabant se mutuo: Quæ est ista: quid querit? Divina Majestas ipsis dixit: Relinquitte illam, quia canendo laudat suum Deum, & venit quæsitura alimentum pro ijs, quos ipsi commendavi. Jussit mihi deinde dari, quod optabam: atque tum Angeli imposuerunt in prædictum linteum quendam cibum, qui, prout mihi à Divina Majestate repræsentabatur, habebat speciem pretiosissimarum margaritarum, & repleverunt illud adeò, ut mihi non videretur plus posse capere. Surrexi, & præ ardore mei affectûs sine mora descendendi ad meos Anglos Catholicos; intravi eorum domos (quas mihi jam videor nôsse) distribui ipsis quàm liberalissimè, quod acceperam. Videbam illos contentissimos, & animatos, multumque confortatos ad patiendum amore magni Dei nostri. Reversa sum postea ad cœlum, ubi erat Dominus; prostravi me ad sacratissimos ipsius pedes, ejus Majestas me univit cum suo Divino Esse tam arcto nexu, & tam sublimi modo, ut notitiæ, quas mihi tum communicavit de magnitudine ac majestate suæ Essentiæ, de perfectione suorum attributorum, fuerint tales, tamque eminentes, ut, quod hac vice cognovi (id autem accidit feriâ terciâ, vigesimâ Junij, anno sexcentesimo vigesimo sexto) amplius, longèque clarius fuerit, quàm quidquid in mea vita eousque intellexeram, cùm tamen mihi Deus similes gratias toties præstiterit. Finitâ hac Divinâ communicatione, comitantibus me his meis Dominis Angelis, descendendi per latam, & pulcherrimam scalam, donec pervenirem ad meum angulum.

Laudetur Divina Majestas in æternum. Amen, amen.

CAPUT XIV.

Exponit ulterius curam, quam habuit de Catholicis Anglis.

Post elapsum paulò minus temporis, quàm unius & dimidij mensis, spatium, dum essem intenta orationi, abrepta à meis affecti-

bus, cœpi voce, quam mihi mea concedit debilitas, canere illum versum Davidis: *Domine, nè in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Contemplabantur mochi mei Domini Angeli; ac si me libenter

L 1 2

audi.

Vita Mar. de Escob. Pars II.

audirent, & Sanctus meus Angelus Custos mihi tum dixit: Optimè te gessisti, scias hunc tuum cantum fuisse gratissimū Deo. Adivi deinde Dominum, ut illi gratias agerem pro hoc beneficio, quòd ipsi res tam exigua, & peracta à tam vili creatura placeret. Suscepit me Divina Majestas peramanter, dixitque mihi: Accipe, volo enim tibi aliquid dare propter bonū opus, quod fecisti. Si namq; Domini terreni consueverunt donare vestem, aut quidpiam simile famulo, propter gratiosum, genio ipsorum accommodatum dictum, par est ut ego tibi aliquid donem, eò quòd fuerim recreatus tuo cantu: atque exempto velut ex sinu præstantissimo cimelio, quod referebat speciem aurei laterculi, dedit mihi illud, ac dixit: Distribue id tuis filijs. Accepi pretiosum donum, atque sicut mendici, dum ipsis larga datur eleemosyna, se non capiunt præ gaudio, eamq; exofculantes multa proloquuntur plena affectu, agendo gratias pro accepto beneficio, & exprimendo gaudium, quo affluūt, ita ego delectabar eo pretioso munere, & tanquam mihi erepta dicebam talia in doni, longèque ampliùs in donatoris commendationem, ut illa existimem magis posse sentiri, quàm describi: neq; enim ea sciet comprehendere, qui non est expertus, quid anima soleat in hujusmodi jubilis dicere, ebria quodammodo gaudio. Profecta sum statim ad illum thesaurum distribuendum Catholicis Angliæ, mihi à Deo commendatis, quòd me toties confesso, ut putem à me jam optimè nosci ipsorum domos. Distribuebam eum quàm liberalissimè, atque licèt illis multum elargirer, aurum tamen quod ferebam, nihil mihi videbatur imminui. Communicabatur ipsis firmitas fidei, fortitudo ad patientiam ejus causà, & desiderium bonorum cœlestium.

Quadam die Dominicà, ultimà Februarij, anno sexcentesimo vigesimo septimo, dum intensissimos elicerem & ardentissimos affectus amoris divini, postquam mihi alia magnis plena mysterijs cum Deo evenissent, Divina Majestas excitavit in meo corde vehemens desiderium, peten-

dà ab ea eleemosynæ, pro meis pauperibus filijs: sic enim soleo appellare Fideles in Mauritania captivos, & Catholicos in Anglià, qui licèt non sint captivi, ingentes tamen ab eo malo Rege hæretico patiuntur vexationes, sustinendo incredibilem persecutionem & afflictionem: atque per Divinam magni Dei nostri bonitatem & misericordiam frequenter in his duabus regionibus, unà cum meis Dominis Angelis, in viso modò illos captivos, modò hos Anglos Catholicos, consolando in Domino homines tam afflictos, & animando ipsos quantum possum. Cum hoc igitur desiderio invocabam Deum, ac dicebam illi: Ah Domine Deus Majestatis (quem titulum sæpe repetebam) en adest tua creatura, illa miserabilis, indigna, quæ coram Divino tuo conspectu compareat. Sum, Domine, illa mendica importuna; da mihi eleemosynam, per temetipsum te obsecro, & per tuam Sanctissimam Matrem, pro meis pauperibus & afflictis filijs Catholicis Angliæ, & pro ijs, qui sunt in Mauritania captivi, atq; affliguntur. Domine eleemosynam, da mihi eleemosynam, cum sis potens, dives, & misericors, pro his meis pauperibus, ac dilectis filijs.

Dum Dominus audiret clamores affectus, quem ipse in me excitabat, respondit mihi modo quamvis svaviter gravi, atamen benignissimo, dicens: Quid habes Anima mea? quid habes? quid petis tanto affectu? Omnia tibi quàm promptissimè dabuntur, quiesce in me, & nunc cum mea benedictione conscende hos mysticos gradus, quos hic vides; veni ad meam cœlestem aulam, ac sacrum palatium: ubi namque eò intraveris, videbis opiparam & mysticam mensam, cui assidet Beatissima Trinitas, & cibat deliciosissimè suos filios, sustentando illos alimento suæ gloriæ. Ingredieris, Anima, illuc, ubi instituitur istud convivium, & petes tuam eleemosynam ab eo magno Rege, & fortunatis ejusdem convivis. Mea anima fuit repleta stupore & solatio, cum audiret hæc Divina verba, & sum passa profundam extasim. Quando ex ea ad me redivi, conspexi scalam, quæ habebat admirabilissi-

mos gradus, & pertingebat à terra ad cœlum: tum subito permota à Deo, non petita facultate, quam aliàs petere soleo à meis Dominis Angelis, cœpi ipsam conscendere cum ingenti fervore ac festinatione. Vix perveni ad portam illius superni palatij, quando mihi occurrit quidam Angelus ex prorsus supremis, qui mihi gravissimè dixit: Quò venis Anima? quid vis? quis te adduxit huc, & quâ licentiâ audes ingredi sacrum palatium, ubi moratur Sacra Majestas magni Dei & Domini nostri? Pudit me vehementissimè, & valde erubui, præ reverentia ob præsentiam Angeli, & gravitatem ipsius verborum. Siquidem autem me Deus in hujusmodi eventibus solet probare, obijciendo mihi talia obstacula, ut me humiliem atque cognoscam, dixi illi quàm verecundissimè: Domine Angele, ego sum pauper anima, & creatura mei Dei, venique huc ex Divino ipsius mandato ad petendam eleemosynam: habeo multos pauperes filios, petunt à me panem cœlestem, quo careo, ut illum ipsis tribuam. Permite me ingredi Sancte Angele, per amorem Domini, cui servis. Misertus est mei iste beatus spiritus, & fecit, ut transirem absque ullo impedimento.

Ingressa sum illud mysticum cœnaculum, ubi magnus Deus noster, cum suis Sanctis convivis assidebat divinæ mensæ, & reperi omnia, quæ mihi Dominus prius dixerat. Prostravi me multoties coram Deo, & inclinavi me profundissimè coram ipsius Sanctis, eum prorsus in modum, quo se mendicus gerere solet coram divitibus, ut illos suâ submissione fleat ad misericordiam. Cœpi postea petere meam eleemosynam, atque adivi cum magno affectu & aviditate singillatim illos beatos convivas, qui omnes mihi, singularem exhibendo charitatem, aliquid donabant. Magnum erat meum solatium & gaudium, quòd mihi darent tam multum pro meis filijs: nam pro me eâ vice nihil ab his Sanctis petebam. Cùm itaque jam plenum haberem sinum, & quandam velut manticam, quam gestabam, ostendens me velle discedere, inclinavi me profundè co-

ram Deo, & ejus Sanctis, atque festinando ob ingens desiderium, quo ferebar ad distribuenda, quæ acceperam, progressa sum ad scalam, per quam ascenderam. Tum mihi Dominus cum benignissima charitate dixit: Revertere Anima, veni huc, nonne vides, quòd non auferas præcipuam eleemosynam, quæ est Regis & Domini hujus convivij? Veni, & accipies illam è manu nostra. Adverti meam incuriam, & confusa ac humiliata accessi ad Divinam Majestatem, atque accepi à singulis tribus Divinis Personis largam eleemosynam. Notabile est, quòd mihi quidam Sancti Angeli dixerint, dum colligerem eleemosynam à Sanctis: Quid tu hic agis? quis te huc adduxit? & benignissimè Dominus ipsis, ac si me defenderet, responderit: Relinquite illam, etiam si enim hic non vivat, est tamen domestica. Hæc mysteria ita peraguntur, ut magnus ille Deus se accomodet mori humano. Voluit verò, quantum ego sum affecuta, dicere, me esse domesticam eo modo, quo, exempli gratiâ, aliqua lotrix frequentat domum viri nobilis, ut ibi det operam lotioni, & sæpillimè inserviat, quam ille habet quasi loco domesticæ suæ famulæ, tametsi soleat alibi pernoctare.

Tandem exivi dives, & plena millenis bonis, canendo hymnum: *Te Deum laudamus &c.* Habui obvium, quando sum egressa ex eo mystico cœnaculo, meum S. Angelum Custodem, & reliquos meos Dominos, cum quibus descendens per eas scalas deprehendi me ad ejusdem finem esse in Anglia, apud portam cujusdam domus occlusæ, ubi multi Catholici anxij & afflicti convenerunt consultaturi de modo effugiendæ duræ vexationis illius mali Regis, & dicebant: Deferamus nostras domos, & nostras facultates, ac proficiscamur, prout poterimus, ad regiones Catholicas. Verum graves illis continuo occurrerunt difficultates, ob uxores, proles, & alia. Dum ita angerentur, duo Angeli exijs, qui me comitabantur, pulsaverunt fores: qui erant intus responderunt, tristem quandam demonstrando perturbationem, ignorantes quis pulsaret. Sed Angeli lo-

quentes cum magna charitate & affabilitate obtinuerunt, ut ipsis aperiretur porta. Intravimus omnes, qui adveniebamus, & illa domus, quæ erat quodammodo obscura ac tenebricosa, fuit derepente quasi perfusa splendore, & multum illuminata, atque ij Catholici fuerunt repleti ingenti spiritali gaudio, solatio, magnanimitate, & fortitudine, ut se ipsos, opinione suâ, non agnoscerent: jam volebant pati amore sui Domini JESU CHRISTI, & crucifigi ab illo impio Rege, ac sacrilego hæretico. Iste fuit effectus eleemosynæ, quam ipsis per me miserant illi cœlestes convivæ. Magnus autem affectus, quo prosequerbar hos meos dilectos filios, & afflictos Catholicos, me non sinebat quiescere, ut ijs tantummodo darem, quod petiveram, mihiq; pro ipsis fuerat datum, verum etiam optabam illis dare, quod mihi magnus ille Trinus Deus pro me dederat, eratque novum donum amoris Dei, & applicatio novo modo facta pretiosissimi sanguinis JESU CHRISTI Domini nostri, atque puritas animæ; dum verò illis vellem communi-

care quantum possem, impedivit me Sanctus meus Angelus Custos, dicendo: Istud tibi nunc solum pro te datum est, & non, ut à te alijs communicetur. Exivimus hinc, relictis ijs Catholicis valde animatis, non sine magno animarum suarum emolumento.

Inde nos contulimus ad ergastula, & subterraneos carceres Africa, ubi captivi illi Christiani patiebantur incredibiles afflictiones, ab eo barbaro & crudeli populo. His quoque meis filijs est distributa bona pars illius spiritalis eleemosynæ, in ut fuerint illuminati, recreati, & corroborati ipsorum animi, qui erant vehementer fracti & prostrati, propter profundam tristitiam, ortam ex afflictionibus. Bene, per Dei misericordiam sunt refocillati. Istinc me hi mei Domini Angeli duxerunt ad meum cubiculum. Magnum fuit lumen, quod mihi Deus durante hoc mysterio communicavit de Divina sua Essentia, & attributis. Ipse sit in æternam benedictus. Amen.

CAPUT XV.

Concludit, recensendo alios hujusmodi eventus.

Ardens hujus Virginis charitas non restringebatur tantum ad Anglos Catholicos, verum extendebatur ad ipsos etiam ejusdem nationis hæreticos, siquidem exoptabat, instanterque petebat illorum reductionem ad fidem Catholicam, qui sese ad tantum bonum erant disposituri, & abolitionem eorum, quos Deus cognoscebat morituros, propter sua peccata, in perfidia. Iste est spiritus, quo Ecclesia Romana, quæ sola est vera Christi Ecclesia, in Officio feria sexta Majoris hebdomada, orat pro conversione hæreticorum, & in Collecta quotidianorum Sacrificiorum petit eorundem destructionem. Benignissima est, & prædita visceribus Dei, hæc magna Mater Fidelium, Sponsa Christi: neque absolute optat videre perditos hæreticos, sed suppositio quædam

victuri sint solummodo in scandalum Fidei, carnisces Catholicorum, accumulantes magis peccata, & promerentes majorem infernum, quò tardius sunt in sua perfidia obituri. Hoc non est detestari ipsos hæreticos, sed illum in his resim. Eundem sanctissimum ac discretissimum zelum induebat Venerabilis Marina, quemadmodum jam aliquantum patuit, quando egi de rebus Hispaniæ, patetque citius ex eo, quod nunc à me scribetur, & ab ipsius sequentibus verbis refertur.

Quidam Pater è Societate mihi recensuit martyrium nonnullorum Patrum sui Ordinis, & ex Ordinibus S. Dominici, atque S. Francisci, aliorumque Fidelium, qui combusti vivi in Japonia fidei causâ obverunt, anno sexcentesimo vigesimo secundo, quod modo in otuit, decima quarta Julij, anno sexcentesimo vigesimo quarto.

Vehementissimè me afflixi perditio illius Regni, & quòd ad eam progredereur crudelitatem, ut occideret sanctos Evangelij ministros. Angores meæ animæ tantopere invaluerunt, ut etiam dolores mei debilis corporis multum fuerint aucti. Invocebam Deum, videbaturque mihi confici postulando auxilium pro tot animabus, quæ ibi peribant. Maxima fuit ista afflictio, ita ut S. meus Angelus Custos, mecum magna consideratione aspiceret, atque affectuosâ charitate mihi diceret: Quiesce Anima, quiesce tantillum. Vidi deinde Dominum summè irascentem illi populo, & dixit mihi: Quid vis, Anima, ut de illis statuam? Sunt filij diaboli, sunt serpentes, sunt viperæ: ego ipsis pro eorum bono mitto Ministros, vide quomodo mihi illos tractent. Conticui modicum præ fatigatione, atque post tres circiter horas, crescente interim afflictione, jam penitus deficiebam viribus, distumpebar præ dolore & compassione, ob damnationem tot hominum redemptorum sanguine mei Domini, & quòd in ipsis tantum pretium perderetur. Dominus mihi solitâ suâ benignitate denuò dixit: Quid tandem vis Anima? Mi Domine, aiebam, ut populus iste, & totus mundus salverur. Anima, respondit Dominus, nonne vis majorem meam gloriam, & honorem? Adverte autem Anima, licet semper antecedit mea misericordia, æquum tamen esse etiam, ut servetur mea justitia. Dedi Japonibus auxilia requisita, nisi illis præcones veritatis, & malè mihi ipsos tractaverunt, atque occiderunt. Anglum bene scis à me fuisse perductum ad hæc Regna, ut videret, quid agat Ecclesia Catholica, ubi posset proficere & agnoscere suos errores, quod non fecit: justitia mea clamat, & gloriæ meæ convenit, ut puniatur. Ego nihilominus suspirabam, ut omnibus subveniretur. Tum Divina Majestas, quasi mihi indicendo silentium, dixit: Nunc veni tecum Anima, & quiesces. Nequaquam, Domine, nequaquam mi Deus, respondi ego. Quin inò ita, subjunxit Dominus, veni tecum: ergone tecum venire non vis? Non, mi Domine, reposui: quomodo possum ire ad

fruendum tuâ quiete & misericordijs, dum oculis meis obversatur perditio animarum meorum proximorum & fratrum? Sanctus meus Angelus Custos mihi dicebat: Anima quiesce in Domino, es enim valde fatigata. Demum mihi Dominus ex immensa sua clementia dixit, consolando me: Jam est bene, præbebo illis nova auxilia, ut, si voluerint, ex ijs proficiant. Sic modicum quievi in Divina Majestate, quæ sit in æternum benedicta. Amen.

In præfenti scripto alluditur ad id, quòd paulò ante advenerit in Hispaniam Princeps Caleti, deinde infelicitissimus Rex Angliæ, qui in sua perfidia obstinatus eodem anno, quo hoc scribo, inter vivos esse desijt, in publico theatro, suorum subditorum sententiâ condemnatus. Multos videre fuit Reges & Imperatores, quibus popularis tumultus, aut privata cujuspiam subditi rabies, etiam in cultissimis Provincijs, vitam eripuerit; non occurrit mihi tamen in his exemplum, ubi proprius populus pro tribunali tale audax facinus, contra suum Regem, fuerit executus. Vibravit Divina Justitia durissimum, spectatis hujus vitæ supplicijs, fulmen adversus infustum Carolum Stuartum, permittendo executionem justitiæ humanæ. Quamvis verò hæc Regiæ Majestati illata injuria usque adeo consuetos excedat limites, ut illam nè quidem suspicando quisquam legitimus Princeps metuerit, est tamen umbra dumtaxat confusionis, quâ suam in vita æterna deplorabit proterviam. Nescio qua Venerabilis Marina de infornato hoc Rege fuerit conjectura, ut, quanquam esset modestissima & moderatissima in suis verbis, semper illum nihilominus, prout vidimus, appellaverit crudelem & malum. Monuit Venerabilis Marina, ex Dei expresso mandato, ante triginta & plures annos, dum tempore pijsissimi Regis nostri Philippi Tertij, rumor aliquis de nuptijs hujus Caroli in Hispania spargi inciperet, nè ullâ ratione contraheretur matrimonium, nisi ille converteretur ad fidem. Hoc S. P. Ludovicus de Ponte scripsit in prima parte hujus historia, qui in quodam suo chirographo, quod penes me habeo, asserit, à se monitam fuisse ea de re Catholicam Regiam Majestatem, & Ducem Lerma, cum Aula Prefecto. Consignat hæc admir: Virgo suas relationes, & sic ait.

A mul-

A multis jam diebus toto meæ animæ conatu, omnibusque cordis mei affectibus supplex Deum in oratione rogabam, ut, si hic Rex Angliæ, & hæretici ipsius subditi, non essent convertendi, Divina ejusdē Majestas illos disperderet, tum nè tot, tamque enormia peccata, ad majorem suam damnationem multiplicarent, tum etiam nè suâ potentiâ infestarent nostra Catholica Regna. Affectus iste quadam vice fuit vehementissimè auctus, cum quo me derepente reperi in cœlesti Jerosolyma coram Divina Majestate. Magnus hic Dominus coniecit in me oculos, dixitque mihi cum immentâ quadam gravitate: Anima, quò progredieris tam festinanter? quid vis? quid petis? Ego, quia tota fervebam prædicto affectu, respondi sinè mora: Domine mi Deus Majestatis, venio petitura à te, & suppliciter rogatura, ut mihi des cohortem fortium & strenuorum Angelorum, ut ipsi, & ego proficiscamur ad pefundandos, ac destruendos infernales illos hæreticos Angliæ. Intuitus me est Dominus, & dixit: Quid loqueris Anima? hocne verò tibi petendum est? Et conversus ad multos Angelos ibi præsentés, interrogavit illos: Angeli mei, quid vobis hac de videtur? intellexistisne talem Animæ affectum? Illi magna cum reverentia, quasi contrahendo humeros, gestu suo indicaverunt, sibi id mirum accidere. Aspexit me rursus Dominus, dixitque mihi: Revertere, Anima, ad tuum locellum, negotium enim tuum expendetur aliquantò diutiùs. Ego verò tanquam fervore meo ebria illi dixi: Quid dicis, mi Domine? quid hoc est, revertere? Hic me oportet manere, ad te solum venire debeo, tantumque ad te mihi revertendum est, & non aliò, aut quocunque demum. Verùm Divina Majestas subito fecit, ut me statimprehenderim in meo angulo.

Dum illic essem, cepi ex ineluctabili meorum affectuum impetu, plena lachrymis & incredibili dolore, exclamare: Ah Domine Deus Majestatis, audi me clamantem ad te! Eheu, Deus, expulsa sum ex cœlesti Jerosolyma propter peccata mea, & propterea quòd nesciverim,

quid peterem! O Deum! ô Regem! nomine Regis intelligebam Regem CHRISTUM Dominum nostrum: hæc verba, & hanc exclamationem sæpe iterabam. Divina Majestas, videns me ita comparatam, mei miserta est, & dixit meis Dominis Angelis: Jam est bene, adducite mihi huc istam Animam, quod ipsi fecerunt, & postquam perveni ad Divinum ipsius conspectum, idem Dominus mihi peramanter dixit: Veni huc Anima, quomodo vis à me fieri, quod petis? quomodo vis, ut me, & meam infinitam bonitatem adigam, ad tot animas unâ vice addicendas inferno? quomodo id à me vis fieri? Constituo te hujus cause judicem, quid mihi ad hoc dicis? Sili modicum, ac deinde eadem obstinatione dixi demum: Ità, mi Domine, ità, abripiant diaboli tam malos homines, si hic permanent non convertendi, ac tam graviter nocituri Catholicis. Tum sui abalienata à sensibus, & mei Domini Angeli me reduxerunt ad meum cubiculum. Hic rem aliquantò meliùs considerans, quasi attonita propter opera hujus magni Dei, quòdque taliter eum tam vili & miserabili creatura ageret, cogitabam, an id, quod modò acciderat, fortasse non esset aliqua mea imaginatio, orta ex vehementibus affectibus, quos his diebus experior, ut videam vel reductos ad fidem, vel extinctos, si futuri sunt piores. Anglos hæreticos, & conversa ad Dominum ajebam: Estne fortè, mi Deus, imaginatio, aut quid est? Scis, me non velle, aut desiderare, vel ad quidquam aliud prepedere, quàm ut me purè conformem cum tuis veritatibus, & sanctissima voluntate, nihilque aliud seu propter cœlum, seu propter terram cupere, quàm ut tibi serviam. In hac perplexitate, ac duratione Divina anima diu perseveravit. Mei Domini Angeli me solabantur, dicebant mihi: Anima, Deus te nunquam permittet, neque permittet versari in tenebris. Reclibam magis anxia in ista confusa lucta Divinam Majestatem, iterabam frequenter preces, ut me illuminaret in meis tribus, atque tum audiebam mihi dicentem, Anima, si non credis, me esse, qui tibi lo-

quor, interroga tuum Confessarium, & adhibe illi fidem. Nihilominus me Dominus relinquebat in meis tenebris (itã tamẽ, ut priores affectus prorsus nihil imminuerentur) qui me sursum abripiens ad cœlestem patriam, dum me in sua constitutam haberet præsentia, mihi dixit: Veni huc Anima, erisne contenta, si malum illum populum hæreticum spoliavero viribus, nè noceat his Regnis Catholicis? Ego, ardentè optans videre illos simul ac semel consumptos, respondi: Ero contenta, cum aliud obtinere nequeam. Erisne verò contenta, subjunxit Dominus, si ipsos adhuc debiliores reddidero? Respondi idem. Tertio iterum dixit Div. Majestas: Et si illos magis ac magis disperdidero ac labefacavero, acquiescēsne? Tum dixi: Mi Deus & mi Domine, fac quidquid volueris, & quidquid scis esse convenientius.

Post hoc me denuò inveni in meo cubiculo, & mei timores me rursus in vaserunt, cum eadem obscuritate ac antea. Tum serena planè cum resignatione in voluntatem Dei, & intimo affectu illi dixi: Mi Deus & mi Domine, volo ex toto corde & affectu vivere in hac obscuritate, si tibi placet, quandiu volueris, & prout iusseris, itã tamen, ut nè in minimo aberrem a tuis veritatibus, & sanctissimã tuã voluntate. Hunc actum elicui cum magno fervore. Divina Majestas autem mihi dixit: Verè, Anima, undecunq; te spectem, & qualitercunq; te probem, deprehendis me, & experior te fidelem, idèòq; tibi dico, me esse, qui te alloquor, tecumq; versor: & in eo, quod petivisti, fiet à me, quidquid fuerit convenientius ad meam gloriam ac obsequium, & omnibus proficuum, itã ut habeas solatiũ, tibiq; satisfiat, cum nihil melius & convenientius esse possit eo, quod faciam. His verbis sunt dissipata nubila meotũ dubiorum, anima fuit confortata, & acquievit, quòd Deus ipse esset, qui eam alloqueretur, ac doceret tam admiranda mysteria. Ipse sit in æternum benedictus, propter tot misericordias. Amen, amen.

Concludit Venerabilis Marina hanc de Angelis materiam gratiosissimã visione, in qua obtinuit aliam eleemosynam, pro suis dilectis filijs

Vita Mar. de Escobar Pars II.

Catholicis illius Regni. Recensetur ab ipsa his verbis.

In vigilia Ascensionis, hoc anno sexcentesimo vigesimo septimo, solitè meæ intentæ orationi, vidi in cœlesti patria præparari, ut more nostro loquar, magnã solennitatem in diem sequentem: totum cœlũ mihi videbatur obtegi pretiosis peristromatibus, quæ exornabant mansiones, seu habitationes Angelorum, Sanctorum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, pariterq; cæterorum. Omnia hæc peristromata erant admirabilis elegantia, & in singulis ineffabili quodam ac divino modo mihi videbatur exprimi, qualiter Pater æternus ob merita sui unigeniti Filij incarnati præstiterit omnibus illis beatis gratiam, creando Angelos Filij causã, & beatos reddendo Sanctos propter passionem ipsius ac mortem. Ista omnia vidit mea anima ex meo angulo. Fui recreata, quia existimabam, bonam fore occasionẽ acquirendæ eleemosynæ pro meis filijs, quod ipsam Domino dicebam: præsertim autem quando vidi instructam ibi pretiosam mensam, opulentissimam, & refertam Divinis cibis, quos non nisi obiter discernebam, eò quòd essent cooperti. Vidi præterea ad pedem hujus mensæ tres grandes corbes splendidissimos, qui suas habebant ansas, & erant pleni segmentis candidissimi panis: singuli tegebantur singulis mapis, alia verò magna mappa tegebat omnes. Interea venerunt quidam S. Angeli, & postquam se profundè coram Domino inclinavissent, arripuerunt dictos corbes, atque impostuerunt suis capitibus, & concinendo divinas laudes circumvenerunt illã sacram mensam, donec se sisterent coram Divina Majestate. Ibi se prostraverunt, præsentando corbes, & Dominus dedit ijs panibus suam sanctissimam benedictionẽ. Resumpserunt illos S. Angeli, ac tulerunt ad priorem locum, statimque se rursus inclinaverunt, & magna cum reverentia adoraverunt Dominum.

Completo hoc mysterio audivi, quasi in remotissimo loco, pulsari tympanum bellicum, tribus tantummodo ictibus, quod fuit factum circiter decies, & quotiescunque

M m que

que id fiebat, audiebatur etiam ibi tanquam valde procul, & ex profundo resonans, maximus ejulatus tam lamentabilium vocem, ut dirumperent meum cor, meque ad tenerriam commoverent commiserationem. Eram attonita, quando vidi, quod sublimissimi Angeli egressi ex caelo, velut constiterint super rotunditatem terræ, & circumspicientes quaquaversum gravissimo brachiorum gestu, quasi præparando rationales creaturas ad attendendum, simul altâ voce eruperint in hanc promulgationem: Attendite mortales, magnus Deus & Dominus Majestatis jam inde à sua æternitate decrevit in mundum mittere determinatò tempore, ex sua bonitate, unigenitum Filium suum. Factus est homo, sustinuit tormenta mortis in cruce, spoliavit infernum, resurrexit, & ascendit in cælum, aperiens viam Justis. Hæc est dies, quâ iste triumphus Domini solenniter celebratur. Qui habetis aures ad audiendum, audite, laudate & benedicite hunc Dominum, gratias ipsi agendo pro his misericordijs, quas vobis præstitit. Quisquis aures ad audiendum habuerit, audiat. Id ipsum promulgaverunt per quatuor mundi partes, ac deinde ascenderunt ad cælum. Postea resonante eo tympano Angeli processerunt ordinibus geminatis, instar ornatissimorum militum, atque descendentes ad terram perambulaverunt universam, pellendo demones, qui (sicuti tum rescivi) ediderant tristes illos clamores, & lamentabiles gemitus, præ afflictione, indignatione, & rabie, ob suam damnationem. Rediverunt deinde ad suum locum ij sacri milites, cœlestem ingressi civitatem, intra quam ducta fuit alia solennior pompa omnium Angelorum Dei, qui splendidissime ornati circumvenerunt totum cælum, & substituerunt coram Beatissima Trinitate, ubi omnes humiliter prostrati illam adoraverunt. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Spectabam hæc omnia ex meo angulo, atque tum temporis, jubente Divinâ Majestate, me Domini mei Angeli perduxerunt ad cælum, prosternentes me coram

eo Domino: & postquam illum adoravi, petivi eleemosynam pro meis filijs. Dominus mihi benignissime respondit, jubens mihi dari prædictos illos tres corbes. Ego lætissima me converti ad S. meum Angelum Custodem, & dixi illi: Mi Domine Angele, quomodo ipsos portabo? Utrum impone tuo capiti, aiebat ipse, reliquos autem singulos singulis brachijs. Itâ feci, & non sensi ullum pondus. Profecta sum ita, ducta à meis Dominis Angelis in Angliam. Pervenimus ad fores Catholicorum, qui mihi videbantur fuisse quâ præmoniti de benedictione sibi obveniente: siquidem ipsimet prodierunt ad januam, ut susciperent eleemosynam, quæ illi fuit data abundanter. Quod superfluit, mei Domini Angeli tulerunt ad captivos Africæ, quò ego istâ vice non ivi, sed sic videbam, quomodo inviseret ergastula, quo peracto sunt ad me reversi, duxeruntque me ad meum angulum. Deus sit benedictus. Amen.

Animadvertendum est, quòd non hoc tantum vice, quâ Ven. Marina unobvius in Africam, sed etiam alias, quando se contulit ad utramque regionem, semper prius perrexit in Angliam, cæteris vero fuerit allatum residuum ex ijs, quæ dabantur Anglis Catholicis. Erant isti chariores filij primogeniti, conditæque hæc Virgo advertisse, duriorum fuisse persecutionem toleratam Londini, quàm Algeri. Hic sub potestate Mauri patiuntur sua corpora, cum is nil aliud curet, quàm ut obtineat à his captivis litrum: ibi sub potestate Hereticis affliguntur unâ anima, quia afflictis Catholicis non solum patiuntur dispendium facultatum & vitæ, verùm etiam perpetuas torusiones contra suam fidem. In alio scripto, ubi Ven. Marina annotat nonnulla mysteria, quæ vidit in Junio, anno sexcentesimo vigesimo sexto, narrat unum de adoratione Sanctissimi Sacramenti, quòd mihi, cum in illo quoque eodem tempore, quo in præcedentibus, procijs afflictum, erga Anglos Catholicos, visum est ponere hoc loco. Refertur ab illa sequentem in modum.

Præterlapsâ feriâ secundâ vidi in cælo magnam solennitatem, in qua omnes Angeli, & animæ beatæ specialem præseferabant hilaritatem & lætitiâ. In altissimo & elegantissimo throno stabat ipse

cherrima hierotheca Sanctissimi Sacramenti, ubi mea anima nihil aliud videbar in figura imaginaria, quam species sacramentales, quales hic videntur oculis corporeis: per intellectualem autem & purissimam notitiam ibidem contemplabatur totum CHRISTUM Deum & Hominem verum, ac totam Beatissimam Trinitatem, unâq; diversum modum existendi, de quo aliâ occasione sum locuta. Hunc thronum circumdabant, adorantes Dominum, innumerabiles Angeli: alij non pauci aderant armati & ornacissimi, more militum, qui mihi videbantur formare cohortem, qualis hic est prætoria, destinata ad defensionem Regiæ Personæ. Hi interdum explodebant suos scelpos, sicuti aliàs retuli. Mirata sum hujusmodi Custodes, & appropinquans primis interrogavi illos: Domini, quem custoditis? Neminem custodimus, responderunt ipsi, sed incutimus terrores, & interminamus minas mortis ijs, qui spernunt, & non credunt hoc Divinum Sacramentum. Vidi deinde procedentem solennissimam pompam, resonante tali musicâ suavissimarum vocum, tantâ instrumentorum harmoniâ, accedente eo ornatu & venustate illorum cœlestium Palatinorum, ut nequeat ullis verbis explicari.

Multî ipsorum gerebant habitum ecclesiasticum, tres tamen inter hos erant induti vestibus sacerdotalibus, supra modum pretiosis & pulchris. Non agnovi illos, quinam essent, intellexi nihilominus ipsos esse ex antiquissimis Sanctis Veteris Testamenti. Isti, profundissimè se inclinantes, conscenderunt gradus illius throni, & postquam unus ex stipantibus latera adolevisset thus, cum autoritate indicante majestatem, conjuncta licet humili & profundæ venerationi, statim is, qui ibat medius, accepit hierothecam, & cum illa sub pulcherrima umbella descendens, circumvixit cum eo magnifico comitatu forum illius cœlestis civitatis, & post hoc rediit cum summa reverentiâ, ad repandam hierothecam priore loco.

Magno affluebam solatio, dum spectarem tam sublimia mysteria, atque terra

mibi interea videbatur respergi quadam pluviâ Divinorum donorum, & cœlestiū divitiarum. Quia verò Deus mihi infundebat repentinum & ardentissimum desiderium, advocandi meos Catholicos Anglos, ut advenirent fruituri tam pretiosis thesauris, incepti celestimè pertrumpere illos S. Angelos, dicendo: Permittite me transire, Domini, permittite me transire. Ipsi me remorabantur, & interrogabant: quò vadis, Anima? quid vis? Ego abrepta à mea aviditate nihil aliud dicebam, tantumque iteratò aiebam: Permittite me transire, Domini: donec meus S. Angelus Custos, detinendo me, diceret: Expecta Anima, non potes enim hinc descendere, nisi deducaris. Tum ex eo loco cœpi, prout potui, advocare illos Catholicos, quibus dicebam. Filij mei, filij mei, venite, venite. Ipsi mihi responderunt: Mater, Mater, juva nos, juva nos. Tum eos vidi inde à Jesu Christo Domino nostro aspergi pretiosissimo liquore, quem suscipiebant magna cum devotione & voluptate. Ego gaudebam sumè, quòd viderem, quantopere ditarentur gratijs, quas illis Deus præstabat. Eodem tempore fui recordata aliorum Fidelium viventium inter Paganos, quos pariter advocabam sicuti priores, & vidi suam etiam obtigisse portionem illi tantum matronæ, de qua mihi alibi fuit sermo, quam degeret in tam remotis regionibus.

Interea fui velut abalienata à sensibus, & quando ad me ex hoc raptu redij, cœpi dicere: Me miseram, quæ nihil ex his bonis accepi, ut sub venirem meis filijs! Repetivi id tertio, acsi affligeret objaeturam, quam fecissem: sed conspexi statim JESUM Christum Dominum nostrum, qui ad me accedens mihi dixit: Quiesce Anima, noli affligi, nihil enim perdidisti, atque imponens manum dextram in sacrum vulnus sui lateris, eandemque eximens suo sanguine tinctam, designavit illâ crucem in mea fronte, significando mihi, hanc esse partem, quæ mihi obveniret. Prostravi me ad sacros ejus pedes, quorum unum sum exosculata, in quo vidi vulnus, quod erat instar recentissimæ, & pulcherrimæ rosæ. Deus sit semper benedictus. Amen.

CAPUT XVI.

Charitas ipsius erga particulares proximos,
& personas.

Vidimus hujus Virginis charitatem quasi generatim, erga omnes animas mundi, ac deinde specialius erga nationes, Hispanicam & Anglicanam. Descendamus nunc in particulari ad ea, quæ præstitit in utilitatem quarundam familiarum, & nonnullarum personarum, quibus singillatim subvenit. Exordiamur autem ab ea matrona, de qua nobis postremò est locuta, quam agnoscebat esse famulam DEI, & participem ipsius gratiarum, in remotissima regione Paganorum. Quenam fuerit hæc magna mulier, non solum fidelis, sed etiam adeò fervens, ut adjungeret Christo alios fideles, eosdemque protegeret, & quæreret Magistros, à quibus docerentur, noluit Deus Venerabili Marinæ manifestare, uti neq. qualis esset provincia Pagana, in qua vivebat: spectandam tamen illi exhibuit ipsius personam distinctissimè, fecit que ut eam alloqueretur, quò magis animaretur, ad habendam illius, & familie ejus curam in suis precibus. Sic porò Ven. Marina incipit:

Secundà Junij, hoc anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, quæ fuit ultima festorum Pentecostalium, cum in Oratorio diceretur Missa, audivi magnum strepitum in cælo, & post hunc vidi copiosissimam inde cadentem pluviam, quæ tota constabat ex pulcherrimis velut margaritis, atque dum attingeret terram evanescebat, sicuti interdum evenit, quando decidunt non satis astricti frigore flocci nivium. Observavi tamen, in parvis quibusdam oppidis, ubi paucæ erant domus integræ, eæque paupertinæ, & multæ aliæ dirutæ, pluviam non colliquefcere, & quòd homines prodeuntes ex ijs domunculis, qui omnes apparebant inopes, accumulaverint illas pretiosas margaritas, atque comportaverint in suas ædes, remanentibus cumulis tam integris, quàm fuerant antea. Significatum mihi est, hos esse Catholicos viventes inter hæreticos.

Vidi quoque multos (non possem dicere quot fuerint) vehementer optantes agnoscere veram legem & fidem, in qua homines salvantur. Eorum quasi Magistra ac Dux erat quædam mulier proceræ staturæ, fusca, oblongæ faciei, quam si nunc viderem, optimè agnoscerem. Hæc matrona attollendo vocem me compellabat, dicebatque mihi: Mater, Mater, adjuva nos. Vidi Sacerdotem lineo induti amiculo, qui illos aspergebat aquâ benedictâ. Intellexi solummodo, hos homines esse ex quadam provincia Paganorum valde remota. Interea Pater, qui mihi dicebat Missam, ad me attulit Sanctissimum Sacramentum, & visio cessavit. Post paucos dies illam in spiritu vidi distinctius. Vivit ruri, ubi suam habet domum, quæ est instar villæ, quamvis ampla & capax, in qua degit ipsius familia, & qui administrant rem ejusdem familiarum. Duxit me velut manu apprehensam ad aliam locum, qui erat spatium campi totum sanguine conspersum, dixitque mihi: Scias Mater, quòd manipulus ille hominum, quos præterelapsis diebus vidisti à me instrui, tantopere desiderantes cognoscere viam salutis æternæ, totus fuerit per misericordiam Dei baptizatus: & quia omnes magno fervore sunt professi, se esse Christianos, hinc sunt universi affecti martyrio, morientes magna cum constantia pro fide. Interrogavi illam, cur ipsa quoque non fuerit occisa? & respondit mihi: Ego in hac disputatione sum prædita certâ autoritate & prerogativâ, ob quas me non sunt ausi interficere, sed neque audebunt afficere martyrio. Dixit mihi præterea, se jam pergit ad congregandum, & fidei principis inveniendum alium manipulum, ut certis magno Deo nostro, & Domino: atque ipsam ipsi Deus in hoc tam heroico operis adsit! Postea sub medium Augusti, cum mihi idem Dominus largitus fuisset magnam elemosynam myrtici auri later-

culi, & mei Domini Angeli me duxissent, ut illum distribuere Catholicis Angliæ, duxerunt me inde ad invisendam hanc magnam matronam, & Fideles apud ipsam commorantes, qui jam trigefimum circiter numerum attingunt. Vivunt quasi solitarij & occulti in eorum, in Domicilio hujus Domine, quod, sicut dixi, non est sumptuosum palatium, sed humilis ædes, quanquam capax, seu quadam aggregatio tuguriorum, secretas tamen habens portas, per quas commeat, fortasse ob cautelam contra Infideles, qui martyrio affecerunt alios hujus Domine operâ convertos. Ipsi, & illis sum liberaliter elargita partem ejus celestis thesauri, atque omnes fuerunt summe recreati. Deus sit benedictus. Amen.

Hucusque loquitur Venerabilis Marina de magna hac matrona, cujus nomen, patriam, & reliquum vite institutum optarem nosse, ut celebrem ipsius memoriam in hoc libro ad futura secula transmitterem. Sed cum Deo placuerit hæc nobis occultare, acquiescamus, pides credentes, quod illam habeat inscriptam æterni sui libri vite: forsitan verò ejusdem historiarum reservat, ut nobis ab aliquo Missionariorum Evangelicorum, qui illic versantur, copiosius referatur. Prosequamur nunc historiam nostram admirabilis Virginis, qua dum pergit recensere speciales casus, qui ipsi cum proximis evenerunt, sic ait.

Ultimâ Januarij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, dum essem vehementer afflicta & fatigata meis doloribus, venit ad me Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, & dixit mihi: Soror, visne mecum ire, & ducam te eò, quod Deus jussit? Expavi notabiliter, & recurri ad Deum, petens ab ipso lumen, ut assequeretur ejus voluntatem, id quod postulavi instanter. Videns me ita constitutam Sanctus Pater, velut subridendo ob meos timores, elevavit oculos, intuitus quendam Sanctum Angelum è sublimioribus, quem ibi subito conspexi, & dixit illi: Hæc Anima non est disposita, ut à me ducatur, duc ipsam tu Sancte Angele, & ibit cum majore solatio. Sanctus ille Angelus accessit ad me, dixitq; mihi: Anima veni mecum,

quod Deus jubet. Quod autem me vis ducere, Sancte Angele? respondi ego. Postquam ibi fueris, ajebat ipse, scies, & videbis. Neque sic me plene determinabam, & revertabar ad Divinam Majestatem, petendo lumen. Tunc me Dominus benignissime interrogavit: Anima, mecumne non ibis? Omnino mi Domine, respondi, cum Tua Majestate ibo quocunque. Ago igitur, prodece prosperè, subjunxit ille, & iste meus Angelus te ducet, ita enim convenit. Duxit me itaque hic Sanctus Angelus, comitantibus me etiam meis Dominis, & Sancto Patre Ludovico de Ponte, quamvis ipse ambularet aliquantum remotus, ad Regnum Siciliae, ostendens mihi ex alto quodam loco omnia ipsius oppida, & urbes præcipuas. Descendi ad unam illarum, ubi vidi maxima palatia, & postquam me ille Sanctus Angelus (quem deinde intellexi fuisse Custodem & Protectorem ejus Regni) collocavit in medio spatiosi cujusdam fori, dixit mihi: Soror hæc te genua, & ora Deum pro hoc Regno, ac pete ab Ejus Majestate, ut illud conferret in fide, & suo obsequio. Feci quod ab eo etiam jussa quam optime potui, & hoc peracto mihi mandavit, ut bene precarer Regno. Hæc ita tonita, ignorando mysterium, atque tunc mihi idem Sanctus Angelus dixit: Ecce Soror, Deus mihi commisit custodiam hujus Regni, & propter beneficia, quæ tibi præstitit, ac præstat is, de quo agitur, ut se conferat ad illud gubernandum, fuit à te petitum, ut orares, quod melior sit status rerum, ubi ipse, vel fortasse alius advenerit. Post hoc fui reducta ad meum angulum.

Non fuit Venerabili Marina certo manifestatum, an ille esset venturus, quia negotium eo tempore cepit tractari, deinde autem id verum factum est. Erat autem, sicut ad marginem adnotavit P. Michaël de Orenja, Marchio de Tabara, insignis benefactor nostra Virginis, etque addictissimus, & Princeps religiosissimus. Nec minus dilecta Venerabilis Marina filia fuit, ejusdem Domini uxor, Domina Marchionissa Elisabetha de Mosco, Princeps tum sanguine, tum virtutibus suis illustris. Hæc Venerabilis Marina multum in vita pro-

fuit suis consilijs, neque eam destituit post ipsius obitum. Tam gravem ista Marchionissa, integro propè hoc anno, morbum sustinuit, ut possim affirmare, me eâ visâ (dum curatura valetudinem Vallisoletî, quò advecta obiit, discedens ex suo oppido stirit quadam die Villa Garcia, ubi ego tunc degebam) in summam fuisse raptum admirationem. Videbatur mihi esse spirans cadaver, atque dolores pati gravissimos, & præbuit omnibus Patribus, qui illam invisimus, ipsique, tanquam speciali affectu prosequenti nostram Societatem, sumus conati inservire, non solum optimum exemplum, sed etiam singularissimam occasionem emulationis, suâ invictâ tolerantia, & conformitate cum Deo, in tam floridâ aetate. Describit autem Ven. Marina, quid illi cum felici hac defuncta evenerit his verbis.

Postquam è vita excessit Marchionissa de Tabara, Domina Elisabetha de Moscoso, feriâ sextâ, quæ fuit sacra Sancto Francisco, horâ noctis undecimâ, commendavi illam impensè Deo: valde enim eam amaveram, propter ipsius virtutem, & conscientia puritatem, quam in illa semper agnovi. Inter horam deinde secundam ac tertiam matutinam sequentis Sabbathi, Deus annuens meis miserabilibus precibus, mihi ipsam ostendit in Purgatorio. Vidi eam in hac specie. Pendebat quodammodo inter cælum ac terram, ligatis pedibus & manibus, oculos habebat elevatos in cælum, & vultum adeò tristem, tantæque præferentem indicia anxieratis, ut hic nihil sit repetibile, cui id possim comparare. Circumdabant illam nonnulli Angeli, & omnium vicinissimus, ipsique proximus erat Angelus ejus Custos. Dixit mihi Dominus, ut huic animæ applicarem sacram illius dici Communionem. Non mi Deus, ajebam ego, non per te metipsum te obsecro, & per tuam infinitam misericordiam, tres enim propè sunt horæ, donec mihi dici possit Missa, & necesse est, ut tuam benignitatem demonstres, nè pœna hujus animæ tam diu duret. Ego in hunc effectum habeo corollam precatoriam Indulgentiarum, statim orabo, quidquid mihi mandaveris, & præstabis mihi gratiam, quam à te suppliciter peto.

Esto ità, dixit Divina Majestas, recita te orationem Dominicam, cum salutatione Angelica. Feci id, & absolūtâ oratione vidi, quòd Sanctus ipsius Angelus Custos celerrimè solverit ligamina pedum ejus & manuum, atque in momento tam ille & ipsa, quàm reliqui Angeli evolaverunt ad cælum. Videtur mihi, summam penam, quam paucis ijs horis sustinuit, fuisse privationem visionis Dei, & ardens desiderium ejus videndi. Ipse sit benedictus. Amen.

Revelavit Marina hanc Dei misericordiam arbitro sua conscientia. Patri Orenja, qui, re Deo commendatâ, prudenissimè illi injunxit, ut, ubi viderit Marchionem, ista illi felicissima nova referret, ad ipsum consolandum, dolentem ob jacturam adeò meritis dilecta conjugis. Existimavit P. Michaël de Orenja, quid sic fieri conveniret ea de causa, quam nunc dicam. Habnerat Marchio præteritis annis, vivente Sancto Patre Ludovico de Ponte, præmanibus gravissimum quoddam negotium, & rogaverat Ven. Marinam, tantâ nempe sibi junctam familiaritate, ut bonum illius successum Deo commendaret, si ad majorem ipsius cessurum esset honorem. Magnum in eo progressum fecerat Marchio, videbaturque sibi, exiguâ adhibita operâ, obtenturus optationem. Ven. Marina commentavit negotium Deo, qui respondit, non expedire id Marchioni. Sanctus Pater Ludovicus de Ponte ea de re monuit Marchionem, atque licet catipitium istud esset adeò dura digestionis, ut quispiam alius in eo deglutendo sese reluctanter exhiberet, Marchio tamen, utpote eximia præditus virtute, generosè Deo paruit, ac addendo solitam fidem admonitionibus Ven. Marinæ, eâ illud promptitudine suscepit, ut subitotogotium deseruerit, nolueritque ultra vel animam, ad idem promovendam, impendere diligentiam. Hoc Patrem Orenja peroravit, quemadmodum reperio scriptum in qualibus ipsius scheda, ut illum Ven. Marina, cum primum isto nuntio solaretur, ceu in præmonitione roicæ resignationis, quâ prius illud ad se nuntium acceptaverat. Retuli hic junctam, quæ duobus istis Excellentissimis conjugibus evenerunt, ut possint Nobilitati Hispanicæ præsertim verò ijs, qui ortum ducunt ex illis.

strissima ipsorum familia, virtutis præbere exemplum. Concludamus præsens caput alio charitatis opere, exercito à Vener. Marina erga quandam personam, licet non tam prosperum habuerit successum, quam præcedens. Refert ipsa eventum hunc in modum.

In Novembri anni sexcentissimi vigesimi quarti, paulò ante festum Præsentationis Beatissimæ Virginis, dum ordinatio modo vacarem meæ orationi, Deus mihi in memoriâ revocavit ingens periculû, in quo nonnemo versabatur, qui post multos in Ordine Religioso exactos annos, eam deseruerat, & iudicio illorum, qui ipsum noverunt, perspectâque habuerunt causas, quibus ad illam deserendam fuerat inductus, hæ parvi erant momenti. Cœperunt in mea anima subito excitari vehementes affectus, & acsi illum alloquerer cum ingenti sollicitudine atque desiderio ejus juvandi, dicebam ipsi: Adverte ô homo, quòd sis damnandus. Et bis, nescio quali fervore, dixi: Si te ego liberavero, liberaberis. Augebantur desideria, ut illum viderem salvum, & convertens me ad meos Dominos Angelos dixi ipsis: Mei Domini, quis vestrum mihi præstabit gratiam, ut adeat illum hominem, detq; ei potentem inspirationem, cum qua se convertat ad Deum, & redeat ad suam Religionem? Amore Dei eat aliquis, atque id faciat. Omnes me sunt intuiti, & quasi contrahendo humeros mihi responderunt: Soror, hoc nobis non est commissum à Deo, age hac de re cum Divina Majestate, & si à Deo nobis fuerit injunctum, continuò

id exequemur. Invocavi rursus Dominum magno affectu, & Divina Majestas mihi respondit: Quid habes Anima, quid vis? Mi Deus, ajebam, vehementer opto, ut ille homo evadat periculum, in quo vivit, & revertatur ad suam Religionem. Dominus mihi nihil respondit, imò, acsi recederet, sese occultavit. Non cessabam tamen orare, denuòque ipsum invocabam, & respondebat mihi: quando autem illi proposui hoc negotium, iterum à me recedebat. Interea conspexi coram me eum hominem, qui jacebat velut in longum protensus, faciè habebat deformissimam, & oculos formidabiles, dicebatq; mihi, ut se commendarem Deo. Domine, dixi ego illi, humilia te, agnosce tua peccata, & revertere ad Religionem. Facerem id omnino, respondit ipse, verum non possum. Vide quomodo sim constitutus. Aspexi illum sinè mora, & vidi, quòd ligatas haberet manus ac pedes, totusque esset multis constrictus vinculis, & quasi impotens redditus ad se movendum. His omnibus significabantur laquei & impedimenta, à quibus detinebatur in seculo. Dum id viderem incepti ipsum valde seriò exhortari, ut assumeret animum, & ex sua parte faceret quantum posset, ad futurum enim illi Deum suo auxilio, meque hoc à Divina Majestate pro eo petituram. Quando illi id dicebam, disparuit mihi, & visio fuit finita, unde remansi multum sollicita & afflictà, propter periculum salutis, in quo versatur.

(†)

CAPUT XVII.

Quomodo subvenerit quibusdam animabus existentibus in Purgatorio.



Erat bene longus & mirabilis de hac materia tractatus in prima parte istius historiae, & quamvis idem argumentum etiam in hac altera jam fuerit perstratum, sitque deinceps aliquoties attingendum, complectar nihilominus hoc speciali capite nonnullos casus, qui ipsi quoad id evenerunt, ex

quibus non solum ardens ejusdem Virginis coligitur charitas erga animas Purgatorij, verum etiam utilissima cruentur exempla, pro nostra instructione. Recenset verò illos, ut sequitur.

Dum intenta essem meæ orationi, ostendit mihi Divina Majestas animam cujusdam personæ, ante complures dies defunctæ, quæ tam gravia & exquisita patiebatur

batur tormenta, ut omnem superent exaggerationem. Hinc, dum eam viderem, mihi in mentem venit, utrum non fortasse esset damnata ad pœnas inferni: adeo similes mihi apparebant cruciatus ipsius illis, quos videram in eo infelicissimo loco. Sed statim fui ex hoc dubio expedita, siquidem illa pauper anima, se ad me convertens, me rogavit, ut ipsam commendarem Deo, quod festinantissimè, & quasi prorsus obiter petivit, quia eodem momento fuit velocissimè erepta ex meis oculis, quin intelligerem, quis illam abripuisset, aut ob quam causam id tam repente fuisset factum. Remansi sola afflictissima, & vehementer ingemiscens ac dolens ob ea, quæ pauper illa anima in suis tormentis patiebatur. Erat specialis mea commiseratio, cum qua recurri ad Deum, ut pro ipsa deprecarer, ac dicerem quandam corollam, cui habeo attributas Indulgentias, quam etiam Divina Majestas benedixerat, certam me reddens, quod esse liberatura qualemcunque animam ex Purgatorio, recitando eâ adhibitâ assignatas preces. Dum has vellem incipere, vidi Deum indicia exhibentem severitatis, & quodammodo nihil aliud spirantem, quam Divinam suam justitiam, qui mihi dixit: Quid agis Anima? quid moliris? Noli me pro hac anima rogare, applicando illi preces Indulgentiarum, neque eidem applica ullam Communionem, quâ ex meo privilegio consuevisti liberare animam ex Purgatorio, siquidem ista anima est justè ad eas pœnas damnata, quas vidisti, usque ad diem Judicij universalis: non fuit autem condemnata ad infernales, per meam magnam misericordiam, quia illam sum conatus disponere ad pœnitentiam, eò quod pro ipsa intercesserit Angelus ejus Custos, representando mihi nonnulla opera, quæ, licet exigua, provocaverunt meam benignitatem, quia fuerant præstita in bonum cujusdam personæ, quam multum diligo. Et adverte quod, etiamsi multa opera ex se bona fecerit, quia tamen illa magis peregit propter suum gustum, & fines humanos honoris atque æstimationis, quàm propter me, ideo ipse nihil

profuerint, ac proinde salutem suam in magnum conjecerit discrimen. Hæc omnia mihi dixit Divina Majestas, quæ me affecerunt admiratione: non prohibuit mihi tamen, quod minus pro ea orarem, ordinarias meas persolvendo preces, modo non essent illæ, quibus ipsius bonitas speciale attribuerat privilegium.

Post duas circiter ab hinc horas mihi Dominus spectandas exhibuit multas animas parvorum puerorum, quasi necdum septennium, qui mihi videbantur graves sustinere pœnas Purgatorij. Erant quasi in crucem actæ, extensis brachijs, & Divina Majestas mihi dixit: Istarum animarum gere curam, pro his me roga, sicut soles, & applica ijs Communiones. Quomodo vero, mi Domine, ajebam ego, isti pueri deveniunt ad Purgatorium, atque tam multum patiuntur? Sustinent pœnas, respondit Dominus, non sunt tamen tam graves, quàm tibi ex ipsorum conspectu afflicte videntur sustinere. Scito, has animas esse puerorum exiguæ ætatis, qui sunt defuncti in levibus ac venialibus peccatis: necesse autem est, ut ea expient. Quia enim vos, dum tales moriuntur, ipsos vocatis Angelos, & existimatis subito migrare ad cœlum, ideoque pro illis non offeritis Missas, neque quidquam boni peragitis, nihil ipsi reliquum est aliud, quàm communia Ecclesiæ suffragia, & hærent in suis peccatis, quoad usque inde evadant, postquam pro rata sua parte satisfecerunt. Pro his itaque me roga, & ora. Feci quod iussa erant a Deo, fuitque mihi id insigni documentum, ut agnoscerem, quàm exacta sit Divina Justitia, in purificandis animabus fructus ejus conspectu.

Anno sexcentesimo vigesimo secundo, conspexi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui adducebat alium Religiosum, jam etiam defunctum: iste veniebat tristissimus, & querebatur mihi, quod, si hunc sem oblita. Pater, respondi ego, certe estimavi, te post mortem abivisse ad cœlum: dic mihi nunc, quomodo adis tristis? ubi moraris? Hac à me factâ interrogatione, prodijt aliunde è regione unum djabolus, & dixit mihi: Moratur in

no, atq; aufugit: Maledicte, aiebam ego, mentiris tuo more; & conversa ad Religiosum, interrogavi illum rursus: Ubi moraris, Pater? Tum ipse amarissimè plorans, & singularem demonstrans afflictionem ac desolationem, mihi dixit: Sum in Purgatorio, eò quòd fuerim immoderatè affectus erga meos consanguineos. Commenda me Deo, & cura pro me dici septem Missas, ut mihi Deus dignetur abbreviare meas pœnas. Post paucos deinde die, illum denuò vidi, qui mihi dixit, se jam frui Deo. Quia verò adverti, quòd exhiberet vultum severum, & non obtutum illum modestissimè jucundum, quem exhiberi video à Beatis, quasi vi ex eo hujus rei causam, & respondit mihi: Nota, non sum tristis, sed neque, per Dei misericordiam, in omnem æternitatem possum tristiari. Voluit nihilominus Deus, ut me tibi sic spectandum præberem, quòd tibi significarem, me, si forem capax tristitiæ, eam habiturum propter perditos tot gloriæ gradus, quos consequi potuissim, nisi me impedivisset culpa, quam dixi, immoderati affectus, erga mihi sanguine junctos.

Paucis diebus post, fuit ad me sapius ab alio Religioso morti vicino missus, qui peteret, ut se commendarem Deo, quod ego accuratissimè feci: atque eadem horâ, quâ expiravit, est ingressus meum cubiculum lætissimus, dicendo: Sum victor, Mater, victor, quia tendo ad cœlum, postquam pertransivi Purgatorium, sicuti qui celerrimè transit quampiam flammam. Aliquot ante obitum diebus habui corpenitus avulsum ab omnibus rebus terrenis, & propterea mihi Deus tantam præstitit misericordiam. Aliâ vice, paulò post, dum mecum loqueretur Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, me visitaverunt prædicti duo Beati Religiosi, magnum exhibentes honorem Sancto Patri Ludovico, & cum ego illos interrogarem, cur ipsum ita venerentur, cum æquè fuerint Sacerdotes, ac ille? responderunt mihi: Quia nos meritis & gloriâ multum superat. Laudetur Deus in omnibus in æternum. Amen.

Vita Mar. de Escob. Pars II.

Non reliquit nobis Venerabilis Marina scripta horum duorum Religiosorum nomina, qui, spectatis circumstantijs, & quia sunt comitati Sanctum Patrem Ludovicum, videntur fuisse ex nostra Societate. Sic etiam in scripto, quòd nunc referam, non exprimit nomen cuiusdam Domine, cui magnum præstitit auxilium, ut exiret ex Purgatorio: tantum in illius margine, chirographo Patris Michaëlis de Orenja, reperio annotata ista verba: Hæc Domina fuit ex gynæceo Regina, interrogabo Dominam Marinam de nomine, quòd quidem ipse fecerit, non tamen adscripsit, neque ego amplius indagare potui. Est casus revera mirabilis, quem hæc Virgo sequentibus verbis recenset.

Evocavit ad se Deus quandam personam magnæ autoritatis, quæ mihi fuerat impensè addicta, & magnâ charitate consueverat subvenire in meis necessitatibus. Quocirca illi obstricta, postquam rescivi ipsius mortem, toto corde obsecrabam Deum, ut eandem, si esset in Purgatorio, liberaret ex ijs pœnis, & perduceret ad æternam suam requiem. Huic petitioni impendi paucos dies, & Deus mihi manifestavit tandem pœnas, quas in Purgatorio sustinebat. Stabat hæc anima in quodam angulo, vultu ad parietem converso, eidemque quodammodo affixa. Indolui vehementissimè, quòd illam viderem in eo statu, & quia ipsam præterea sæpe similiter constitutam videbam, mea afflictio augebatur indies: clamabam magis ac magis orando pro ea Deum, semperque ipsius vivacissimè recordabar. Tum Divina Majestas mihi dixit: Marina, noli tantopere affligi vel angui, quòd videas pœnas illius animæ: nam tu in hoc lecto plura pateris, quàm ipsa sustineat in suo Purgatorio. Nihilominus, mi Deus & mi Domine, subjunxi ego, præsta mihi gratiam, per temetipsum te rogo, ut illam eruas ex ijs angustijs, ac deducas ad tuam gloriam. Bene est, respondit Dominus, tu modò quiesce. Sensi me subito moveri à Deo, ut juberem pro ea anima dici quasdam Missas devotionis, de quibus alibi loquor: siquidem exploratum habeo, summè in hunc effectum esse proficuas. Adhibui

N u dili-

diligentiam, ut statim inchoarentur. Prima fuit dicta in festo Resurrectionis: verum quia mihi Deus istam animam paulò post ostendit in eadem specie, ac antè plurimum angebat. Invocabam Deum internis & vehementibus clamoribus, dicendo: Ah mi Domine Deus Majestatis, obtestor te per sanctissimum mysterium hujus festi, ut liberes hanc animam à pœnis, quas patitur. Dominus dissimulabat, tacebat, nihilque mihi respondebat: ideòq; amplius augebatur meus fervor, & repetebam sæpe easdem preces prædictis verbis, ità ut illi nihil aliud dicere possem.

Dominus audiens clamorem mei spiritus, vidensque mei affectus vehementiam, licet illum ipse in meo corde excitaret, nihilominus modo quodam gravissimo, ac si se ostenderet pertæsum meæ importunitatis, mihi dixit: Quid vis Anima, quòd tantopere vocifereris? Ego idem iterabam, quod semper antea, quin possem addere vel immutare ullum verbum. Divina Majestas, exhibendo se mansuetiorè, mandavit cuidam Angelo, quid agere deberet, qui executurus mandatum intravit Purgatorium, & mutando situm illius animæ, reliquit ipsam quasi dorso acclinatam ad dictum parietem. Vidi statim attolentem oculos ad cælum, ac deinde etiam manus junctas, ut indicaret magnam afflictionem, propterea quòd non videret Deum. Tum mihi Divina Majestas dixit: Creatura mea, jam illa anima patitur leviores pœnas, nonne modò es contenta? Ego, quòd ipsam viderem eo tam anxio teneri desiderio, respondi: Non, mi Domine, non sum contenta; atque cum me non possem continere, denuò repetivi eandem orationem: Domine Deus Majestatis, per sanctissimum mysterium hujus festi te obtestor, ut liberes hanc animam à pœnis, quas sustinet: neq; poteram silere, seu intermittere frequentissimam istius petitionis iterationem. Tum, quod est mirum, Dominus, qui me ipse, sicut dixi movebat, ut illum rogarem, se ostendens quasi fatigatum meâ importunitate, surrexit ex mystica quadam sede, in qua ipsum videbam, & abivit cum comitatu multo-

rum Angelorum. Quando mea anima vidit Ejus Majestatem abeuntem, ardentia ipsius desideria magis invaluerunt, & quia sibi non poterat temperare, insecuta est illum currendo, clamans & assidue iterans dictam orationem. Dominus mihi nihil respondebat, neq; Angeli, qui ipsam comitabantur. Pervenit Divina Majestas ad quandam elegantissimam portam, quæ videbatur esse pulcherrimi cujusdam castelli, aliquantum distantis à sede, in qua illum videram, & illuc est ingressa, frequentibus Angelis, atque statim, velut ex improvviso, porta fuit clausa, me foris relictâ, non sine ingenti meo dolore & afflictione.

Attamen resumpsit animum, & exarscente, ob istam ipsam repulsam, amplius affectu, continuabam per quandam, non rimas, sed fenestellas, quasi dedita operâ factas, quanquam petaxigas, quas in ea porta conspexi, meum clamorem, ac repetebam ea verba, quæ semper hucusq;. Ità angebat aliquandiu, donec tandem Divina Majestas, ex infinita sua clementia, dixisset ijs Dominis Angelis: Aperite portam illi creaturæ, & adducite ipsam ad me, quod sine mora fecerunt. Ingressa me provolvi in genua, junctis manibus, oram illo magno Deo ac Domino, qui me intuitus magnâ benignitate mihi petaxanter dixit: Quid vis anima? quòd petis tanto affectu & fervore? Domine Deus Majestatis, respondi, peto, ut per tuam misericordiam liberes eam animam à pœnis, quas patitur, post primam Missam devotionis, quæ in hac festivitate est dicta: statimque subjunxi, scio bene, quòd ex divino impulsu, cum mea tamen simplicitate, stylique mei ruditate, quæque profecta ex amore: Quæro Domine, ut per te ipsum te oro, noli cogitare, quòd id curare, brevi namque dicentur. Oculi debant Dominus, sibi placere, quæ à me dicebantur, & dixit mihi: Optimè dicis Anima, optimè dicis. Volo te exhibere, & consolari in eo, quod à me petis. Vocavit subito Angelum Cælestem illius animæ, jussitque ipsum se

unà cum Angelis meis Dominis, & ipsam educere ex Purgatorio. Omnes abiverunt celerrimè, & pertingentes, ut sic dicam, ad portam Purgatorij, intuiti sunt eam animam: illa quoque magno perfusa solatio ipsos aspexit, cui dixerunt: Veni nobiscum, quia Divina Majestas nobis mandavit, ut te perduceremus ad ejus conspectum. Ipsa latissima quantocumque modo quodam mirabili, venit ad Sanctos Angelos, & Custos illius sublatam in brachia, cæteris eum comitantibus, attulit ad Deum. Aspexit illam Divina Majestas amanter, & præcepit ijs Angelis, ut ipsam suo loco constituerent. Illi obediverunt cum magno gaudio, quod singulariter summum demonstrabat Sanctus ipsius Angelus Custos, & fecerunt, quod iussi fuerant à Deo. Ego spectabam has magni Dei nostri misericordias, non capiens me præ lætitia, & millenas illi gratias agens, pro beneficio præstato meæ amicæ & benefactrici. Abrepta sum in magnam ecstasim, & quando ex ea redivi, licet fuerit finita visio, perseveravit tamen grande meum solatium, ob tam felicem successum: siquidem toto eo tempore, quo illam vidi in suis constitutam angustijs, summè dolebam, & affligebar. Deus sit millies benedictus. Amen.

Multa in hoc eventu sunt obstupescenda, & specialiter ponderanda charitas, & gratitudo Venerabilis Marina: verum præcipue attonitos reddet pios Lectores consideratio clementissimæ benignitatis magni Dei & Domini nostri, cujus admirabilis sapientia, & admirabilissima clementia tam gratiosas exquisivit vias, ut illa benedicta anima post hanc primam Missam egredereetur ex Purgatorio, que pro rata suorum peccatorum aliquot alias debuisset expectare. Etiam Domina degentes in Aula possunt ac solent facere quedam bona opera, tam accepta Divinis oculis, ut idem Dominus, post illarum obitum, aliquem existimet, à quo juventur suffragijs & indulgentijs, ut illas Divina ipsius Justitiæ legibus, suo perfungatur munere incomparabilis ejusdem Misericordia. Benedicant illum, laudentque in æternum ipsius Angeli, qui nobis dedit

Vita Mar. de Escob. Pars II.

Sacratissimi Filij sui sanguinem, ex cuius thesauro eruiamus tam inestimabiles divitias. Similis tenoris est sequens casus, quo finiam præsens caput. Venerabilis Marina illum sic recenset.

In Januario anni sexcentissimi vigesimi octavi, die octavâ Epiphaniæ, postquâ est defuncta Comitissa de Nueva, orabam commendando illam Deo, dicebamque Ejus Majestati: Mi Domine, ubi habes animam hujus meæ amicæ? Superfede hac interrogatione, Marina, dixit Dominus, noli mihi rursus facessere negotium. Verè, mi Domine, ajebam ego, bonâ tuâ veniâ, nolo ab ea desistere: sum enim ipsi multum obstricta. Memento Domine, quod me, & meas pauperes socias, multis sublevaverit eleemosynis. Quæso intermitte id, subjunxit Dominus, quia illam habeo in bono loco. Mi Domine, dixi ego, estne in cælo? Dum tantopere instarem, Divina Majestas mihi respondit: Est in Purgatorio, quid jam vis? Mi Domine, dixi, ut illum liberet. Dic autem mihi, mi Deus, quid faciam pro ipsa? Fuit mihi ostensa Divina Majestate: non patiebatur graves pœnas, sed moderatas, eò quod multa fuerit passa in suo diuturno morbo. Nihilominus Deus volebat rogari, qui mihi denique dixit: Quid faceres pro illa? Curabo, mi Domine, respondi, aliquot pro ipsa celebrari Sacrificia Missæ, & applicabo illi sacram Communionem. Fiat ita, dixit Dominus, cura pro ea dici tres Missas de Sanctissima Trinitate, & quartam de Maria Virgine, atque applica illi hodiernam Communionem, & statim liberabitur. Subitò ac sonuit horam sextam matutinam, procuravi, ut dicerentur quatuor Missæ, & paulò post communicavi: peractâ verò Communione vidi multos Angelos descendentes ad Purgatorium, quò solus ipsius Custos ingressus eam eduxit, atque ab omnibus concinentibus laudes Dei fuit perducta ad cœlum.

Deus sit benedictus.

Amen.

Nn2

CAPUT

CAPUT XVIII.

Concluditur narratione huc spectantium
eventuum.

Quoniam sint longè plura prædictis exempla, quæ possemus adferre, charitatis Venerabilis Marinae proximis singillatim exhibitæ, quia tamen in ijs attinguntur alia, quæ magis conveniunt alteri argumento, reservavi illa aliò, satis habens hic pauca quædam addere, quibus materia, quam tractamus, concludatur. Prosequitur autem Virgo suam narrationem dicendo.

Aliquando manè, post peractam Communionem sacram, priusquam à Deo aliquid postulare pro me, cœpi ab ipso petere magno affectu boni successum communionis Reipublicæ negotiorum, præsertim autem ipsum rogavi, ut quibusdam specialiter personis subveniret, quæ se mihi commendaverant, & vivebant afflictæ, ac magnopere egebant solatio. Cœpi itaque ferventer & instantissimè dicere: Ah mi Deus! ah mi Deus! Divina Majestas mihi gravissimè respondit: Quis me vocat? quæ es tu, quæ sic loqueris? Ego non minùs erubescens, quàm timens, me prostravi ad ipsius pedes, ibique mansi pudefacta, quasi petendo veniam. Inde fui ducta ad conspectum Beatissimæ Trinitatis, ubi denuò clamavi, & petij, ut subveniret tot necessitatibus, quas illi exposueram. Dominus mihi eadem gravitate ac priùs dixit: Quænam es tu? Mi Domine, respondi, sum missa ad te. Quis te mittit? subjunxit Dominus: Mi Deus & Domine, ajebam, mittit me necessitas: Tum Divina Majestas: Itâne, inquit, necessitas te mittit? Dic igitur istis personis constitutis in necessitate, me esse Deum Majestatis, Deum deorum, & Dominum dominantium, ipsosque suis peccatis provocasse meam Justitiam, & nisi magna mea Misericordia illam moderata fuisset, atque cohibuisset, jam mandandas fuisset executioni terribiles pœnas. Humilient se, & submittant meæ voluntati, eisdemque se

conforment: petant à me veniam, & implorent meam clementiam: ita illam consequentur. Dic id ipsis, abi, & sic ijs loquere. Surrexi animo vehementer concitato, quasi abrumpens verba alloquentis me Dei, & visa mihi sum omnes adire in spiritu, qui expetiverant meas miserabiles preces, atque annuntiavi illis nomine Dei, quæ ab ipso audiveram, dicendo singulis scorsim; Anima humiliter te submitte voluntati Dei, pete ab eo misericordiam, & consequeris illam. Divina Majestas nos propter seipsam dignetur exaudire. Amen.

Haëtenus Venerabilis Marina in præfata scheda, quæ in alia, scripta in Februario anni sexcentissimi viginti octavi, recenset casum, qui abundè manifestat, quomodo ipsam Deus in hoc mundo conservaret, pro remedio specialium necessitatum: quosloquidem illi revelabat etiam necessitates, quibus premebantur persona ipsi ignota, atque injungebat, ut pro ijs intercederet. Describit visionem hæc verbis:

Die Sabbathi, vigesimâ sextâ hujus, mihi cum Deo agenti Ejusdem Majestatis dixit: Veni Anima, videbis quid agatur. Cœpi me excusare ob meos timores, dicens: Quò me vis ducere, mi Domine? quæ te urget necessitas, mi Domine, ut mihi aliquid ostendas? Adjunxi multa alia hujus generis. Bene est, Marina, respondit Dominus, intermitte ista, veni nunc, & vide quid agatur. Exhibuit mihi Dominus spectandum comitatum splendidi cœlestium funeris. Portabatur ad sepulchrum magna quædam Domina, quæ mihi videbatur esse Regina. In hoc numero comitatu multorum hominum Nobilium erant Catholici, alij hæretici. A Catholicis (id quod mihi per internum lumen indicatum) existimabatur esse Catholica, & hæretici vice versâ sibi imaginabantur ipsam esse ex eorum secta. Procebat pompa funebris, & omnes tacerebant

Iugebant, donec pervenirent ad radicem
cujusdam montis. Hic Catholici substi-
terunt, & cadaver, quod hæretici seque-
bantur, transivit prædictos Catholicos, ut
quodam perferretur ad verticem, unde
tam hæretici, quam cadaver, præcipiti la-
psu ruerunt ad profundum inferni. Tum
mibi Dominus dixit: Quid tibi videtur?
adverte, quid agatur. atque unâ mihi ma-
nifestavit, quænam esset illa magna Do-
mina, quam vidi velut mortuam. Vehe-
mentissimè fui afflicta ob hanc visionem,
& quia mihi eam Deus non explicuerat
clariùs, conabar suspendere omne judici-
cium, itâ ut non propenderem ad quid-
quam discernendum, an illa Domina de-
seruisset fidem, essetque damnata, necne.
Dum itâ essem perplexa, intellexi à Deo,
non fuisse mihi in ista representatione o-
stensum, quid reipsâ fieret, factumque; fuis-
set, sed imminens periculum, nè quid tale
eveniret. Dixit mihi, dictam personam
versari in manifesto discrimine amitten-
dæ fidei, aut vitæ; abnegandi Dei, & in-
currentæ damnationis, aut subeundæ
mortis: & fuisse mihi ipsam ostensam, ut
illam sibi in meis orationibus commenda-
rem, quod ab eo tempore sedulò facio, id-
que agendo mihi videor sentire solatium.
Deus ipsam per suam misericordiam cor-
roboret, detque eidem potentia suæ gra-
tiæ auxilia. Amen.

*Non potui inter scripta Venerabilis Marinae
reperire hujus successus exitum, cujus tamen
absque dubio saltem prognostica sunt felicia.
Divinus nempe Judex se cupiebat prestare fa-
ventem, qui non solum admittebat, sed etiam
exposcebat intercessionem. Et verò habent a-
nime sanctæ clarissimum bonæ expeditionis in-
dicium, dum se advertunt perseveranter ani-
mari, & solatio affici in eo, quod petunt. Quia
namque per dærum amantissimo magni DEI
nostri cordi accidit, negare talibus quod optant,
si illis id concedere non convenit, aufert is eti-
am animum perseverandi in petitione. Transit
Venerabilis Marina ad alium eventum, & sic
ait.*

Eodem anno, vigesimâ octavâ Aprilis,
felicissimè inter orandum desiderabam,
ut bene esset meis proximis, præsertim illis,

qui à Deo directi huc veniunt, ad expo-
nendas mihi suas, tam spirituales, quam
temporales molestias. Cum hoc ardenti
affectu invocavi Divinam Majestatem, di-
cendo ipsi: Ah mi Deus! ah mi Domine!
vides hic pauperem, laceram, miserabilem
peccatricem: da mihi elemosynam pro
me, & meis filiis, atque tot alijs in ne-
cessitate constitutis. Vidi Dominum tum
prospicientem quasi ex quadam fenestra
cæli, ac dicentem: Quis clamat? quis me
vocat? Angeli mei, videte quis sit. His di-
ctis recessit, & maximâ majestate, sed
quàm celeritè perambulabat cælum,
acsi se vellet subducere. Angeli depre-
henderunt, me adesse, & abiverunt, tan-
quam currendo insequentes Dominum,
dixeruntque illi: Domine, est illa, quæ so-
let clamare, est Marina: Verùm Domi-
nus progrediebatur, & videbatur mihi
subinde conscendere quosdam gradus, at-
que per alios descendere. Sancti Angeli
non cessabant ipsum insequi, interceden-
tes pro me. Tandem Divina Majestas sub-
stitit. Sancti Angeli accesserunt, & instan-
ter illum rogaverunt, ut me audiret. Ad-
ducite ipsam, dixit Dominus, ad meum
conspectum, videamus, quid velit. Duxe-
runt me sinè mora ad cælum, atque ad
conspectum illius magni Dei, qui jam se-
debat in throno immensæ majestatis. Pro-
stravi me humiliter, & incepti implorare
misericordiam pro peccatoribus. Quid
vis Marina? aiebat Dominus, quo indigent
isti peccatores? Mi Deus, respondi ego,
aliqui jam agnoscunt sua peccata, & pœ-
nitentes à te petunt eorum veniam. Igno-
sce illis, mi Domine, scis enim, quàm sint
fragiles. Alij patiuntur necessitates tem-
porales, sunt valde afflicti, petuntque à te
auxilium, qui es Pater misericordiarum.
Commotus fuit Dominus, & respondit
mihi cum magna benignitate, se id factu-
rum.

Exorta fuit subitò illa cælestis pluvia,
de qua soleo aliàs loqui, decidebant super
me quædam velut margaritæ magni valo-
ris, & pretiosissimæ gemmæ, representan-
tes dona & gratias, atque auxilia, quæ ipsis
Divina Majestas submittebat. Pudit me

quodammodo, quòd non haberem, quòd colligerem hunc thesaurum; expandi gremium togæ, eoque excepi quantum potui, ac deinde in illum conieci multa exijs, quæ circa me ceciderant, donec viderem plenum. Tum contenta, & gestiens gaudio, non curando ut valedicerem Deo, aut illi gratias agerem pro tanto beneficio, discessi flagrans desiderio distribuendi, quæ acceperam, inter meos proximos. Eram progressa modicum ad portam cœli, quando conspexi venientem mihi obviam Angelum indignabundum, qui mihi perquam iracundè dixit: Quòd vadis Anima? Decetne te tua inurbanitas, & ingratitude? Deus tibi præstitit tantum beneficium, & abis, quin illi egeris gratias, aut valedixeris. Redi hæc, unde discessisti, ac depone omnes has divitias ad ipsius Divinos pedes: atque ipso factò me reduxit ad Divinam Majestatem.

Abjeci coram Deo meum thesaurum, prostravi me, & petij ab eo humiliter veniam, tum quòd fuisssem ingrata, tum etiam quòd tam inurbanè abivisssem. Magnus ille Dominus me benignè est intuitus, dixitque mihi: Bene est, Anima, in neutro deliquisti, collige rursus tuas divitias, & accipe insuper istas, quas tibi dono. Dedit mihi Deus, qui sit benedictus, multas alias, quia videlicet me tantum voluit ab eo Angelo reduci pudefactam, ut me dimitteret ditiozem. Omnibus onusta abivi, & egressa ex porta cœli incepti clamare dicendo: Venite Filij mei, qui estis in Anglia. Postea vocavi amicos Moniales, & Religiosos notos, unaq; omnes seculares, qui se commendaverant miserabilibus meis precibus, & omnibus, juxta cujusque indigentiam, sum aliquid impertita: licet verò conditio ipsorum esset diversissima, adeoque variæ necessitates, unusquisque retulit suam partem, quin tamen meus thesaurus diminueretur. Inde fui ducta ad meum angulum.

Non est tam mirum, quòd Venerabilis Marina fuerit compassa notis, qui se familiariter commendabant ejus precibus, quàm quòd illorum quoque commiseratione tangeretur, qui illam persequabantur, qua est proprietas he-

roica virtutis. Præbuit Venerabilis Marina hujus rei præclara exempla, referam hoc loco unicum: quamvis enim ab ipsa fuerit breviter conscriptum, continet tamen circumstantias, quæ genuinè manifestant hujusmodi charitatem. Accidit primâ Aprilis, anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo sexto, quod ipsa his edisserit verbis, scribens suo Confessario.

Fetiâ quartâ, die primâ hujus mensis, vidi quendam Sanctum Angelum, qui ad me veniebat festinanter, & vultu quasi inflammato præ indignatione. Addecebat animam manu apprehensam in specie pueri pueri, quem coram me constituens, & que ad eam animam convertens, dixit illi voce iracundâ, & vultu terribili: Flede hîc genua (quod quidem cû magno meo rubore dico, Sanctus tamen Angelus vera sic fecit) atque deprecare isti famulæ Dei hoc & illud, insinuando ipsi duo vel tria, quorum venia illi esset petenda. Anima respondit valde obfirmatè: Nolo quinquam tale petere, nolo; & cepit vim adhibere, trahendo suam manum, ut eam ex manu Sancti Angeli eriperet, ac elaboraretur. Detinebatur ab Angelo, & sicut hîc fieri consuevit, dum puer est obstinatus & refractarius, nolens obtemperare, Sanctus Angelus elevavit alterum brachium, atque impegit illi animæ colaphum, ut eam prostraverit ad terram, ac delituerit usu sensuum. Ego fui afflictissima, & intimè condolendo aspiciebam, quem iste casus esset habiturus exitum: visio autem, quòd ipsam Sanctus Angelus viro irato, sicut antea, violentè elevaverit, & brachio arripit abduxerit, ita ut à me ultra non fuerit conspecta. Hæc, Pater, est anima illius personæ, quam ego sustulit instar scuti, ut imminentes ipsi Divinæ vindictæ ictus & plagæ in me deirentur, atque ei non nocerent.

Hoc scribit Venerabilis Marina, nec ipsi Confessarius de ista persona quâquam virgine annotat, eò quòd non esset conventus magis exprimere illius delicta, cûm non esset publica. Finio alio scripto, quòd attestatur civitatem hujus Virginis, quæ complectitur suos proximos, tamen si ob horum incantationem

male impensum fuerit donum, quod ipsis intuitu illius orationum fuerat concessum. Evenit casus eodem anno sexcentesimo vigesimo sexto, quem sic refert.

Feriâ secundâ, undecimâ Maij, sensi inter orandum vehementissimos affectus, & ardentissima desideria, ut Deus illuminaret quâdam personas, quo prudenter discernent concertantia negotium maximi momenti. Abrepta ab hac sollicitudine, invocabam ex intimo meo corde Deum, dicendo acsi ipsum vocarem: O Domine, ô mi Deus! Divina Majestas mihi respondit, interrogando me, quid vellem? Ut, mi Domine, agebam, me eò conferam. Per me profus licet, reposuit Dominus, aperiantur tibi statim portæ. Eodem momento me deprehendi intra celestem Jerosolymam. Vix eram ingressa, quando Divina Majestas illo secretissimo modo, quo alias, dum quasi submississimâ voce, sed tamen quàm clarissimè loquitur in aurem animæ, mihi dixit: Tali te celeritate oportet aperire januam proximis, qui te quarunt, & volunt alloqui, ut habeant in suis necessitatibus solatium. Post hoc Divinum consilium mihi cœpit loqui, magnam demonstrando affabilitatem, & amorem. Quia verò mea anima tota erat immersa in eo, quod optabat consequi, & quasi tota occupata ab illo affectu, dixi Divinæ Majestati: Mi Domine, non venio nunc, ut audiam blanditias mihi faventes: & sinè mora me profitavi humiliter coram Sacratissima Persona Spiritûs Sancti, rogando ipsum ut illuminaret eas duas personas, pro quibus intercedebam. Quàm libentissimè, dixit iste benignissimus Dominus, veni mecum: volo enim, ut ipsamet videas, quomodo id exequar. Subitò adfui, ubi diætæ duæ personæ degebant, & audivi Dominum ipsis dicentem cum divina gravitate: Homines somnolenti & exæcati, cur non facitis, quod vobis dicitur ab ea, quæ vos nomine Dei commonefacit? Illi fuerunt vehementer turbati, séque mutuò intuentes ceperunt inter se conferre de divina inspiratione: sed statim ac ille primus fervor præterivit, ortus ex eo quod senserant,

& prima illa consternatio, quæ ipsos turbaverat, fuerunt relapsi ad statum priorem, ac dictamina, quibus antea inhæserant, penitus immemores divinæ vocis. Interea me Deus abripuit in ecclatim, & quando ex ea sum reversa, finita erat visio. Benedicatur ac laudetur Deus in æternum. Amen.

Demonstraverat Venerabilis Marina quibusdam Regijs Ministris, quàm celestes essent ipsius admonitiones, eventibus miraculosis, quos illi habuerunt exploratos: debuissent proinde ob hanc experientiam admittere etiam alias, quas isdem in negotijs parvis momenturabat intrinari, eoque amplius, quod, spectatâ quoque prudentiâ humanâ, præberetur assensus is, quæ Venerabilis Virgo suadebat multis Ministris doctis, qui consilij utilitatem solidissimis comprobabant rationibus. Permissit autem Deus in pœnam nostrorum peccatorum, ut insisteretur consilio contrario, nonquod esset magis fundatum, sed tale magis apparet, vel quia erant potentiores, à quibus suggereretur. Quotopere id senserit Deus, scribit Venerabilis Marina in varijs notatis ab hoc anno usque ad trigessimum primum, sed cum is circumstantijs (quia nempe clarè & sincerè loquebatur cum arbitro sue conscientia) ut visum fuerit illis hic supersedere. Id solùm dico, minas concernentes bonum publicum, de jactura duarum urbium in Belgio, & unius classis Indica, ac de tumultu quorundam bellorum, & speciales de morituris nonnullis heredibus aliquorum Ministrorum, juxta revelationem à Deo Venerabili Marina factam, omnes in pœnam obstinationis, quâ suas volebant sequi imaginationes, fuisse impletas ad literam. Transcamus nunc ad alteram hujus secundi libri partem, ubi admirabilis continetur instructio, quâ vivens suis proximis profuit, eademque scriptis tradita proderit (quod à Divina Misericordia spero) post suum obitum posteris.



CAPUT XIX.

Quædam Venerabilis Marinæ visiones Divinæ,
directæ ad morum nostrorum correctionem.

Vix est reperire, inter omnia hæcenus scripta in præsentii historia, visionem, ex qua attentus Lector, præter affectus admirationis & solatiij, quos experietur, agnoscendo immensam Dei benignitatem agentis cum anima, sese ad servandum ipsi disponente, non possit unâ elicere vehementes stimulos, quibus divinâ cooperante gratiâ incitetur, ad generosam vitæ suæ mutationem, & perfectam morum suorum emendationem. Nilominus, cum idem magnus Deus & Dominus noster admirabilem hanc Virginem elegerit, ut esset adeo rararum gloriæ ipsius instrumentum, pro communi animarum bono, volueritque, ut non solum continuis suis orationibus, verum etiam singulari suâ doctrinâ, illis prodesset, disposuit pro sublimissima sua providentia, ut multa ex his visionibus, specialissimam quoad hunc effectum vim haberent, relinquendo nobis in ijs admiranda quædam præterlapsi, & pleraque nostri temporis exempla, in quibus, tanquam in speculo, nosmet inspiciendo, actiones nostras accurate componeremus, & quibus visis, nisi velimus rei esse protervia, ac ruere in precipitium, effrenes nostros coerceremus affectus, sollicitè insistendo securissime semita virtutum. Vult Divina Majestas, ut quemadmodum ista exempla ex se sunt efficacissima ad nostram emendationem, ita à duritie nostra non convellantur, neque cordium nostrorum adamas eam aciem obtundat, cui sustinenda nè durissimus quidem chalybs resistendo sufficiet. Sic autem Venerabilis Marina exorditur.

Die Dominicâ, nonâ Februarij, hujus anni millefimi sexcentefimi vigesimi quinti, mihi comparuit quædam figura, quam per lumen mihi à Deo communicatum subito agnovi, negligendo ipsam, nec esse divinam, neque diabolicam. Unde licet se continquè meis oculis ingereret, nolebam illam aspiciere, abstrahendo me ad alia, dicebâmq; intra me: Certum est, non

esse Deum, ac proinde quidquid sit, nolo id videre. In hac molestia mansi cecitate ad horam usque dici decimam, atq; tum, volente Deo, qui fecit, ut illuc animæ oculos conjicerem, vidi clarè hominem fœdissimum, & vultu terribilem, qui ostendebat se pati crudelia tormenta. Pendebat iste miserabilis ex cruce, reflexo in brachio, quo stringebat sceminam, que ipsum magnâ rabie velut mordebat, ejulédanque cor exsugebat, quod tormentum ille sustinebat, præbendo indicia ingentis afflictionis, atque idcirco eo ipso brachio, quod habebat solum, illam dilacerabat, omnique sibi possibili conatu ac vi natebatur concidere in frustra. Postquam mihi lamentabile istud spectaculum fuisse vivaciter repræsentatum, disparuit. Oblitui confiderans, quidnam hæc visio significaret, atque in reera conspexi Dominum, qui mihi dixit: Bene processisti, Anima, & prudenter egisti, deprehendendo, illam figuram, licet à te non fuerit pie considerata, nec esse meam, neque diabolicam. Modò tibi, cum illam bene videris, volo exponere ipsius significationem. Novens, hominem illum esse malum latroem, qui juxta me pependit, quando sum in cruce mortuus, & eam sceminam esse illius concubinam: siquidem infelix plurimum fuit addictus duobus istis vitijs, furto & luxuria. Audi hæc verba Divinæ Majestatis, & dixi illi: Bene est, mi Domine: verum quæ rei tam novæ, ac tam alienæ meæ cogitatione, est finis? quid prodesset, tales pœnas vidisse? Volui, respondit Dominus, eas à te videri, ut tibi sine intermimento, refricentque memoriam, quod vitia pro ijs, qui his vitijs sunt obnoxij: vitia enim alia majus inferunt damnum animabus, neque est repetire peccata, quæ magis compleant infernum. Docuit me tum Dominus, partim quàm magna sit ipsius bonitas & misericordia, quia vicem debent peccatorum, tot medijs procurat illorum

conversionem; partim quàm sit gravis & severa ejusdem justitia, quâ punit, puniēt- que in æternum animas, quæ spretis misericordiæ ipsius divitijs, se abripi permiserunt à suis cupiditatibus, transgrediendo illius præcepta, non convertentes se ad veram pœnitentiam. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Mirabile pro Reipublica gubernatoribus, nimium inbarentibus, quanquam non malâ intentione, suo proprio judicio, est exemplum, quod paulo post præcedens nobis hac Virgo sequentibus verbis enarrat.

Orabam, constituta more solito in Dei præsentia, dum vidi quendam virum gravem, & magnæ autoritatis, à quatuor vel quinque dæmonibus circumdatum, qui multum laborabant, ut illum abducerent ad solitudinem cujusdam campi: & quamvis ipsi Angelus ejus Custos adesset, atque illum egregiè defenderet, obstitendo dæmonibus, nè exequerentur suum perversum propositum, tandem hi, permittente Deo, vicerunt, duxeruntque ipsum ad quoddam desertum. Sanctus ejusdem Angelus illi valde condolebat, Deoque annuente est ipsum comitatus. Quando pervenerunt ad eam solitudinem, impoferunt dæmones dictum virum saxo, quod erat quasi in medio illius campi, iidemque dæmones eminus contra ipsum, sese insequendo, currentes, pessimè illum tractaverunt, neque defendebatur à suo Angelo Custode. Tantas ibi sustinuit vexationes, ut cessante persecutione, & abeuntibus dæmonibus, miser homo illic remanserit instar mortui. Tum verò ad illum accedens ipsius S. Angelus, sublatum in sua brachia tulit ad locum, unde à dæmonibus fuerat abductus. Mea anima mirabatur, & erat afflictissima, videndo tam miserabile spectaculum. Converti me ad Deum, & oravi, ut miseretur illius creaturæ. Considerabam, qualèsnam essent causæ, ob quas Deus permisisset, ut is homo tam acriter castigaretur. Ità exegi aliquot horas, conando excutere istam cogitationem: quia, quæ est Dei bonitas, nullâ ratione desidero quidquam de ullo scire, tantumque admitto, nec

Vita Mar. de Escob. Pars II.

absque magnis timoribus, quod mihi Divina Majestas dignatur manifestare. Cùm sic esse comparata in conspectu Dei, dixit mihi eo secretissimo modo, quem aliàs annotavi: Adverte Anima, permitto illum hominem puniri, sicut vidisti, eò quòd in magni momenti, & gravissimis rebus, vehementer sit pronus ad sequendum proprium judicium, atque cum hac obstinata, & quasi cæca propensione, desideret ac procuret, licet sine singulari malitia, ut omnes adhæreant cæcæ, & affectui ipsius conformi opinioni, quod in publicis personis, quales sunt Gubernatores & Judices, aliique hujusmodi magnâ pollentes autoritate, est summè noxium & perniciosum: pronissimum enim est, ut committant maximos errores, & gravissima inferant damna, excæcati à similibus passionibus, & naturalibus propensionibus, quamvis bona videantur habere desideria prudenter agendi. Iste, Anima, est casus: ora pro talibus, ut se dispoant, semetipsis se exponendo, ad percipiendum lumen, quod ipsis communicabitur, si ita fecerint. Nunc autem vale, & quiesce in me. Hæc ad verbum mihi sunt dicta à Deo, qui semper sit benedictus. Amen.

Notandum est, propterea forsitan Venerabilem Marinam viâsse, hunc hominem fuisse à dæmonibus, ut exequerentur suam animadversionem, abductum ad solitudinem, & superpositum saxo, quod tale durum est velut lapideum judicium se, etiam dum exquirat sensa Consiliariorum, suscipiat quasi constitutum in solitudine, admitendo ut omnes amplectantur, quod illi soli placet: & quanquam idem sit judicium aliorum, semper tamen suam duntaxat sequitur opinionem, siquidem non tam alijs submissè assentitur, quàm suæ blanditur superbia, dum videt aliorum votis suam sententiam esse approbatam. Quod si hoc exemplum est utile Gubernatoribus, non minus prodest sequens, licet universalis ad omnes spectet, quibus illudunt ambitiones Aula, prosperitates Palatii, & honores mundi. Refertur ab eadem magna DEI famula his verbis.

Feriâ quintâ, die secundâ Aprilis, anno

O o

sex-

sexcentesimo vigesimo sexto, mihi Dominus dixit: Veni Anima, & videbis, quod tibi volo ostendere. Fui subito, quin possem resistere, ducta in spiritu ad ripam fluminis, cujus aquæ erant similes crystallo, & pulchræ, longèque pellucidiores, quàm quicquid isthuc est videre. Interluebat amenissimum campum, ubi in una ipsius parte, seu ripa vidi crescentes multas pulcherrimas arbores, quarum aliquæ erant ornatae venustissimis & gratiosissimis floribus; aliæ unâ cum talibus floribus præterea habebant elegantissimos & copiosissimos fructus. Licet verò omnes istarum arbores essent speciosissimæ, multùm tamen discrepabant ab invicem, non solum proceritate, sed etiam obstupescendâ elegantia. Conjeci deinde oculos in ripam alterius partis, & vidi ibi loco arborum esse infixos palos instar perticarum, non solum siccos, carentes folijs, & omni virore, verùm etiam quodammodo exultos ac arefactos, ut nunquam amplius viderentur posse immutari, vel revirescere. Eram quasi attonita, considerando admirandam diversitatem tam dissimilium riparum ejusdem fluvij, & paulatim progrediens contemplabar ripam, in qua stabant pali aridi; notabam illorum formas, quæ plurimùm differabant. Aliqui erant vehementer alti, alij valde parvi, atque tandem alij mediocres: unum eorum specialiter consideravi, qui erat instar informis trunci, altissimus, multùmque crassius, & longè magis arefactus, quàm omnes reliqui. Substiti modicum, contemplando illum, tanquam abrepta in ecstasim, atque tunc mihi Dominus dixit: Quid aspicias? iste est insignissimus titio inferni.

Interea vidi Marchionem septem Ecclesiarum, Dominum Rodericum Calderonium, in habitu glorioso pulcherrimum, qui aspectui animæ apparebat generosissimus, & magnis præditus viribus: ferebat in collo illud pretiosissimum monile, quo ipsum exornatum toties conspexi, & in manu baculum, qui speciem gerebat grallarum, qualibus uti confecerunt homines debiles ac delicati, & ac-

cedens ad illos aridos palos, nescio quid eo baculo circa ipsos fuerit molitus. Significatum mihi est, conatum fuisse, proficuum illis reddere irrigationem ejus crystallini fluvij, ut transformarentur in tam floridas & frugiferas arbores, quæ erant illæ, quæ alteram ripam occupabant: sed quantumcunque laboraret, suamque impenderet diligentiam, ut id efficeret, permancebant nihilominus aridi & exsucca, sicut antea.

Omnia ista spectabam pari cum attentione & stupore, quando disparentibus mihi omnibus audivi Dominum, qui me interrogabat: Marina, intellexistine mysterium, quod tibi ostendi? Respondi: Mi Domine, aliquid mihi videtur ex eo esse assecuta, non fuit tamen à me satis penetratum. Ego itaque titulum volo declarare, dixit Divina Majestas. Adverte autem, me non loqui de animabus vulgarium ac plebeiorum hominum, neque etiam de animabus privatam vitam agentium, sed eorum tantummodo, qui funguntur officijs regij, muneribus publicis, dominantur, & auctoritate pollent in Republica Christiana. Omnes hæc animæ irrigantur ab Ecclesia, omnes fruuntur Sacramentis, utque eorundem participes: quod tamen attinet ad ipsarum dispositionem, & opera, reperitur tanta inter has, interque alias differentia, quantam vidisti intercedere inter arbores unius ripæ, & aridos stipites alterius. Alij producunt fructus bonorum desideriorum, & vix progrediuntur ulterius; alij his floribus adjungunt etiam fructus sanctorum operum, habentque suas animas fertiles & exornatas; in alijs, propter malam naturam dispositionem, nihil penitus operatur, seu Sacramenta, seu Divinæ dispositiones, seu exempla, & non tantummodo progerminant fructus spirituales, sed etiam eorum producendorum desideria. Per repræsentationem, quam vidisti, illi qui conabatur efficere, ut sacrae ejus ripæ fluminis aquæ prodesse illis aridis palis, eorundemque sterilitatem redderentur, tibi indicare volui, quod ipsi, quantum

ex multis antiquis exemplis possent ac deberent proficere, nihilominus istud recentius ob oculos ponam, ut illius memores ad se redeant, & non confidant falsæ præsentium temporum securitati, non metuendo futura, sed ut bene utantur meis misericordijs, & faciant fructus dignos penitentia. Etiam si verò modernum hoc exemplum sit adeo efficax, ut detegat mundi & honorum ipsius fallaciam, nihil tamen ipsis prodest, quia nolunt aperire oculos, ut videant lumen, quod se illis ingerit. Hæc intellexi à Domino, cujus Majestas nos dignetur disponere, ut ex ejusdem misericordijs proficiamus. Amen.

Quamvis Venerabilis Marina in sequenti, & mox referendo exemplo reticuerit nomina, quia sic esse faciendum ex debito respectu existimabit, talia tamen in una persona expressit indicia, ut clarè agnoscat esse idem Marcio Dominus Rodericus Calderonius. Neque habent harum rerum notitiam est difficile divinare, que sit altera, cui nulla videtur idcirco inferenda injuria: nam qui illam videt existentem in Purgatorio, jam eandem veneratur constitutam in via ad caelestem gloriam. Certum est, hoc exemplum, dummodo eo uti velint, plurimum valiturum tam pro Judicibus, quam pro testibus, qui bona intentioni administrandæ justitiæ admiscunt naturales quoque affectus, propensiores in rigorem, quam clementiam, præsertim contra reos penitentes, ubi æquum est, valdeque non solum Divinae voluntati, sed etiam humana nostra commiserationi consentaneum, ut priores tantum profundant lacrymarum, ad quantum sanguinis posteriorum profundendum se intelligunt esse obstrictos; utq. sicut se cogi vident ad exequendos rigores, ita appareat esse cupidos invenienda via, ad exhibendam lenitatem, ac doleant sibi nullam occurrere. Describit Vener. Marina eventum his verbis.

Quadam die, sub finem Novembris hujus ipsius anni, mihi Deus ostendit duas animas ex Divina dispositione colloquentes. Una beata, & ad sublimes gloriæ provecta gradus, erat cujusdam Domini, quem videbam in specie magni Ducis, splendide elegantissimo torque exornatum, pendente ex collo instar torquis, quo

Vita Mar. de Escob. Pars II.

utuntur Equites aurei velleris: & hæc omnia mihi repræsentabant, quàm eminentem obtineret gradum in cælo. Altera erat alterius personæ, nullatenus inferioris conditionis, quæ afflictissima debebat in Purgatorio. Vidi deinde hanc flexis genibus & junctis manibus, cum magna humilitate & submissione petentem ab anima gloriosa, ut pro ipsa apud Deum intercederet, quò eam dignaretur liberare ex pœnis, quas patiebatur. Anima gloriosa illam intuebatur perbenignè & benevolè, multum ei condolendo, & dicebat ipsi: Faciam id omnino quàm libentissimè, & certò te scire velim, me, si possem reverti ad mundum, rursumque pati quod sum passus, ac sustinere mortem, qualem sustinui, quamvis toleranda forent millena alia tormentorum genera, promptissimè omnia à me suscipienda, ut te in his pœnis sublevarem: quæ dubio procul fuerint gravissimæ, quas ibi hæc persona perferbat. Et cognovi illuminata à Deo, causam earum esse, quòd, cum utraque anima degeret in hac vita mortali, ista, quæ nunc tantopere cruciatur, addiderit, licèt bonâ intentione, & existimans se bene agere, stimulos ad afflictiones & mortem, quam altera persona, tantâ nunc fruens gloriâ, fuerat perpeffa: siquidem præter illam intentionem, quæ videbatur bona, aliquid, imò verò multum se admiscuerat naturalis propensionis, dum se abripi permisit à passionibus, quas debuisset moderari.

Convertit se postea hæc afflictâ anima ad me, dixitque mihi, se esse damnatam ad septem annos illarum terribilium pœnarum, quas tum tolerabat, atque addidit: Famula Dei jube conscribi, quod vidisti & audivisti, ut homines, præsertim autem Judices, discant, quomodo suis proximis jus dicere, seque gerere debeant, dum eos videbunt pati, & sapiant meo exemplo. Iudolui supra modum ob afflictionem & angustias hujus personæ, quia illam impensè in Domino amaveram, multumque ipsi eram obstricta, dum viveret. Itaque recurri ad Divinam Majestatem, rogavi instantissimè, ut ipsius miseretur, eamque liberaret à tam acerbis tormentis.

O o 2

Volui

Volui idcirco statim dicere coronam, cui attributas habeo Indulgentias, atque has ipsi applicare, verum subito vidi Dominum, qui mihi modo quodam gravissimo signum dedit, acsi (ut more nostro ruditer loquar) imponeret labijs digitum, indicando mihi, nè sic orarem, eò quòd nollet, ut tunc uterer Indulgentijs, sed tantum illi animæ applicarem preces communes modo consveto Ecclesiæ.

Postea decimâ septimâ Decembris mihi, nihil tale cogitanti, hæc afflicta anima rursus comparuit, & quamvis illam internoverim, non tamen plenè, quia habebat faciem obfuscata[m] obscurâ quadam umbrâ, quasi vultum manu obtexisset. Allocuta me est, & interrogavi ipsam, quænam esset? Non me novisti? aiebat, & cum eam velut umbram abstulisset è vultu, ut mihi totus appareret, respondi: Itâ, Anima, jam te optimè nosco. Scito, dicebat illa, gravissimas esse pœnas, quas sustineo, & sententiam hæcenus perseverare in suo vigore, ut durent septennio. Obsecro te per ipsum Deum, & per magnam meam æstimationem tuî, ingensque desiderium, quod in vita habui tibi gratificandi, ut me commendes eidem magno Domino, illumque roges, ut mei misereatur, qui ideo quòd mea severitas nõ fuerit miserta peccatorum pœnitentium, neque ipsis sim

compassus, justissimè patior hæc tormenta. Promisi ei prorsus ex animo, me id facturam, dixiq; illi: Anima, esto bono animo, & confortare in Domino, licet enim sit verum, te nunc tam multam pati, finietur id tamen, & frueris Deo in æternis. Locuta sum ipsi alia hujusmodi, quia mihi inde videbatur percipere solatium. Postquam abivit, confugi denuò ad Deum, & rogavi illum quàm optimè potui, ut miseretur animæ in tantis constituta angustijs. Divina Majestas autem, quasi interrumpendo meas preces, mihi dixit: Maxima, judicia mea sunt altissima & arcanissima, atque Justitia mea non minus sum obtinet locum, quàm Misericordia. Ora pro ipso more usitato, quo solet orari pro animabus Purgatorij. Ergone, replicat ego, mi Domine, tot Missæ, quæ pro eo fuerunt dictæ, & sanguis tuus, qui illi fuit applicatus, non sufficiunt? Dico tibi, respondit Dominus, quòd longè graviores toleraret pœnas, nisi id factum fuisset. Hoc mihi evenit. Nihilominus spero, Deum misereturum hujus animæ. Atque per Dei misericordiam his festis Natalitijs, quibus pro illa oravi, intellexi, multum esse mitigatas pœnas, quas patitur.

Deus ipsam penitus liberet.

Amen, amen.

(H)

CAPUT XX.

Pergit recensere alios eventus, pro nostra instructione.

Bene suspicor fore, ut lecturo primum eventum ex his, quos hoc capite refero, tam accidat difficile, intelligere modum peracti martyrij, de quo in eo agitur, quam accidit nonnullis viris doctis, qui illum legerunt: neque est mirum, quia ipsimet Venerabili Marinæ, sicuti mox videbimus, hæc visio non videbatur tam facilis, quàm alia. Quia tamen eam Deus certam reddidit de illius veritate, & obligavit, ut ipsam cum reliquis recenseret, quamvis æterna sue sapientia refer-

vererit significationem eorum, quæ fuerunt symbolica, si quid hic symbolicè est gestum, proposuit saltem exemplum, ex quo disceremus placere Deo eos, qui zelo Catholico pugnant contra Anglos. Describitur à Venerabili Marina factum hoc modo.

Undecimâ Octobris, anno sexcentesimo vigesimo septimo, dum consuevit vacare orationi, sui spiritus præsentia, ubi consuebat congregari multi homines. Ex una parte pugnantibus nonnulli Catholici, inter quos præcipue eminenter duo Juvenes Hispani, contra

centum propè extraneos, & hæreticos. Vicerunt Catholici, & interfecerunt omnes suos adversarios. Hæc visio me in summam rapuit admirationem: subitò enim vidi illos duos Juvenes profuissse strictis & cruentis ensibus, velut fugientes, & non videbam cur, aut quemnam fugerent. Progressi sunt intra continentem per præruptos montes, quærentes viam, quam non inveniabant. Paulò pòst inciderunt in eremitorium, quò ingressi salutaverunt quendam sanctum Eremitam ibi morantem. Ab isto acceperunt solatium, & rogaverunt illum, ut ipsis monstraret viam, quâ possent pervenire ad regionem habitatam. Sanctus Eremita ijs dixit, ut pergerent ad certum locum, quem illis indicavit, quòdque in via essent reperturi duos Angelos Dei, futuros ipsorum duces. Juvenes obsequentes discesserunt, & obviaverunt duobus Angelis, qui illos duxerunt ad conspectum Divinæ Majestatis, à qua tum ipsis audivi dici: Strenui nationis Hispanicæ heroës, gessistis vos præclarissimè, & placet mihi factum vestrum; polliceor vobis, concedendam vobis à me in hac vita coronam martyrij, quòd tam egregiè pugnaveritis. Duo illi milites fuerunt ob gratiam promissam valde exhilarati, & magnas egerunt Deo gratias, atq; subitò cœperunt exardescere desiderijs subeundi martyrij pro suo Deo, & expectaverunt cum gaudio tyrannum, à quo se existimabant perimendos. Tum Angeli, qui illos eòsque fuerant comitati, ipsos duxerunt per quendam montem, ubi inciderunt in alios duos Angelos sibi obviam venientes. Statim priores duo Angeli, suum singuli militem à tergo complexi, obvertis vultibus ad Angelos de novo accedentes, eos detinuerunt. Isti suavissimè & subtilissimè, ac si inciderent venam, pupugerunt guttura Juvenum, eisdemq; jugulaverunt. Vidi animas ipsorum evolantes ad cœlum, & corpora ab Angelis fuisse in decenti quodam loco sepulta. Id mihi absque dubio fuit repræsentatum: quamvis autem mihi optimè essem præfens, prorsusque vigil, venit mihi nihilominus in mentem, essetne somnium, an

mea imaginatio, & existimo me conclusisse, esse omnino imaginationem, ideòq; à me non debere æstimari, neque recenseri. Quando tamen meus Confessarius advenit, intellexi à Deo, esse verum, quod fuerat actum; eâ claritate, ut adverterem me teneri, ad id ipsi referendum. Quinam fuerint hi duo Juvenes Hispani, & ubinam fuissent terrarum, Deus mihi non explicuit. Ipse sit benedictus.

Claviosa, ideoque magis proficua sunt alia exempla, que modo referam, & Virgo nobis sequentem in modum descripta reliquit. Loquitur de mense Aprilis anni millesimi sexcentissimi vigesimi octavi.

Nuper, ex quibusdam mei morbi occasionibus, incepti naturaliter dolere, quòd carerem meâ sanctâ sociâ Marina de Hernandez, cujus vices non possunt supplere aliæ, quæ licet magnâ sint præditæ charitate, non habent tamen ita exploratas meas miseras. Interea mihi ipsa comparuit, indicans vultu admirabilem gloriam, in qua illam aliàs vidi. Dum ad me valde hilaris & læta veniret, dixit mihi: Mea Domina, & Mater mea, ecce me, impera mihi; quia omnia faciam. Bene habet, Anima sancta, respondi ego, sed tuus status jam est diversus, non pores facere, quod antehac faciebas. Flebat penes me una sociarum ante lectû, exhibens mihi quoddam officium charitatis, non videndo, neque audiendo, quid ego cum hac sancta Anima agerem, quæ tum subjunxit: Imò verò ego ad te accedo, quia non occupo locum, neque me quisquam potest impedire. Et appropinquans mihi, absque ullo impedimento, me est amplexata, ac apprehendit meas manus, sicut consueverat vivens, illâsque attraxit, quemadmodum erat solita, dum cogeret tolerare contractionem nervorum, cum acri dolore, quâ ipsam affectionem tum patiebar. Quando ita, magno affluens solatio & gaudio, cum ipsa conversabar, vidi truculentissimum dæmonem transeuntem per meum cubiculum (hæc autem sancta Anima, auditio strepitu, vertit caput, tanquam visura, quid fieret) qui est ulterius, & celeritè progressus: vidi verò, quòd in quodam

dam campo occurrerit pauperi femina, prolixum gerenti peplum, quam ego non agnovi. Invasit illum, ac impetivit calcibus, & raptavit pessimè eam tractando, statimque aufugit, & se præcipitavit in infernum. Verùm advenerunt derepentè alij multi diaboli, qui injicientes ipsius collo funem, eandem denuò raptaverunt, donec præcipitatum secum sepelirent in inferno. Intellexi esse quandam malam feminam sagam. Tunc mihi sancta Anima, quæ apud me erat, dixit: Multa hoc tempore committuntur in mundo talia peccata: commenda id, mea Mater, Deo, ut medeatur tam gravi malo; & promittens mihi, quòd me eodem die pro illa à me discessit.

Feriâ tertiâ, undecimâ die Aprilis, hoc eodem anno sexcentesimo vigesimo octavo, post mediam noctem indormivi, & cum dormirem, inveni me admirabiliter præsentem in Conventu Sanctæ Crucis hujus urbis, in cella Dominæ Aloysiæ de Guzman moribundæ. Vidi cellam valde resplendentem, ut esset similis cælo, & in ea multos Angelos, unaque duos elegantissimos currus peniles, qui apparebant esse constructi ex lucidissimo auro. Interrogavi tum illos: Domini cur adestis cum his curribus? Ut vehamus, responderunt mihi, animam cujusdam personæ, quæ nunc moritur, ad conspectum Divinæ Majestatis. Intellexi, esse animam hujus Dominæ, famulæ Dei. Quare verò, instabam, adducitis duos currus? Uno, agebant, vehetur ista anima, & alter non abibit vacuus, quia nos ego vehemur, comitantes ipsam. Tunc evigilavi, & finitum fuit spectaculum, quòd mihi Dominus inter dormiendum exhibuerat. Quanquam autem non viderim avari illam animam, saltèm tamen mihi firmissimè persuasi, probabilissimè salvandam.

Sequenti postea feriâ secundâ, decimâ septimâ ejusdem mensis, mihi Deus ostendit, quamvis vehementer repugnanti (invalescentibus enim meis timoribus, quidquid est extraordinarium illos auget, & refugio, quantum in me est, omnem visionem, donec me Dominus suaviter adi-

gat) ostendit mihi, inquam, istam benedictam animam necdum esse in cælo, sed in quodam Purgatorio, quòd non erat aliud, quàm privatio visionis Dei. Compulit me Deus tribus quatuorve vicibus, ut huc animum adverterem, ac deinde mihi dixit: Nunc, Marina, nihil à me pete, quia inde non aliter exibat, quàm secundum ordinarium cursum meæ divinæ dispositionis. Ex benignissimo illo modo, quo mihi Dominus hæc verba dixit, statim intellexi, nihil ipsum magis cupere, quàm ut illum pro ea rogarem. Sic benedictus! Unde ei dixi: Verè Domine debes mihi ignoscere, necesse enim est, ut ipsi subveniam. Atque ita eodem die pro illa obtuli meam sacram Communionem. Mansit per aliquot dies taliter constituta, & semper ipsam video in eadem specie: postea non fuit amplius à me visa, & exultimo illam jam frui Deo. Intellexi ex Divina Majestate, causam talis Purgatorij fuisse, quòd optaverit obtinere facultatem proficiscendi ad aliquot dies Madritum, ut inviseret suos Dominos consanguineos. Licet verò, petito consilio à personis spiritualibus, quid sibi hac in re agendum foret, atque accepto ab ipsis responso, non adesse urgentem causam, ob quam ejusmodi persona egrederetur ex Conventu, etiam ad paucos dies, tamen in eo, juxta ipsius institutum, non observetur tam stricta clausura, ac quieverit consilio, & non fuerit illuc profecta; nihilominus natura muneris suo functa est, permistisque se nunquam abripi à dolore, quem propterea sensit. Intellexi præterea, quàm ægrè ferat Deus, quòd animæ Religiosæ, quæ se ipsi desponsaverunt, aspirent ad hujusmodi relaxationes, etiamsi ab illis abicit gravis culpa.

In festo Resurrectionis manè, viginti tertiâ dicti mensis, eodem anno, postquam mihi Deus præstitisset quandam gratiam, alibi à me relatam, dignati me sunt interfere Sancti Patriarchæ Ordinum Religiosorum. Erant gloriosissimi Sanctus Benedictus, S. Augustinus, S. Dominicus, & Franciscus Assisensis, & S. Ignatius de Loyola. Beatus Sanctus Dominicus mihi

nomine omnium est apprecatus felix Pascha, ac deinde S. Benedictus gravissimâ suavitate dixit: Itâ; quasi approbando, quod alter Sanctus dixerat, & subjunxit: Precare quoque nomine nostro felix Pascha nostris filijs, & amicis, ac illis, quos tu novisti. Vidi etiam ibi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, quanquam longiùs distantem, qui me non est allocutus. Petivi ab his Sanctis gratiam, pro quibusdam ipsorum filijs, qui se mihi singulariter commendaverant; præsertim autem sui memor cujusdam Religiosi ex Ordine Sancti Francisci, qui ex vulnere læsum habet caput, & dixi Sancto: Sancte Pater, roga Deum, ut sanet tuum filium. Bene intellexit Sanctus, pro quo intercederem, & dixit mihi tanquam suboffensus: Quomodo? iste non est meus filius. Adverte; quosvis Religiosos, non perseverantes in prima sua vocatione, & mutantés habitû, non habeo pro filijs, neque ipsi sunt mei legitimi filij. Post hoc Sancti mihi valedixerunt. Semper à Deo intellexi, quàm malè agant, qui relicta suâ primâ vocatione transeunt ad aliam Religionem: nam vel non evadunt meliores, vel dubiam reddunt suam salutem. Egerrimè fert Divina Majestas has mutationes. Deus sit benedictus.

Notetur hoc exemplum, & ponderentur verba huius famule Dei. Quamvis enim ista regula universalis, non secus ac alia, aliquam patiatur exceptionem, habeatque Seraphicus Pater inter charissimos, maximèque legitimos filios, S. Antonium de Padua, qui ex Ordine Canoniorum Regularium transiit ad ipsius Religionem; casus tamen hic est prorsus singularis, & inspiratus ab ipsomet Deo, quod comprobavit effectus, spectatis circumstantijs temporis & persona, qua ad majorem Dei gloriam prudentissimè quarebat suam majorem perfectionem. Mutationes, qua modo communiter fiunt, omnium experientiâ constat, oriri ex tentationibus, & ab his vinci quasdam naturas vel vanè leves, vel occultè ambitiosas, aut nimis deditas commoditatibus, aut obnoxias immoderate cuidam melancholia. Ego salutem neminem novi, qui non præbuerit indicia, quod non abraverit, ut se spiritu in alia

Religione renovaret, & qui mores mutaverit in melius, mutando habitum.

Visio, quam nunc adferam, etsi non contineat historiam, de ullis specialibus personis, continet nihilominus miram doctrinam moralem, pro morum generatim reformatione, plurimumque facit ad præsens argumentum. Describitur fusè à Venerabili Marina his verbis.

Die Sabbathi, vigesimâ sextâ Octobris, hujus anni sexcentissimi vigesimi quinti, dum versarer, sicut aliàs, coram Deo, fuerunt in mea anima excitati varij affectus, quorum vi abrepta incepti conqueri, ac dicere: Eheu Domine, Eheu Domine! quod frequenter iterabam; cùmque hung in modum conquerer, dixi Divinæ Majestati multa profecta ex mei ipsius cognitione, quâ perspiciebam meos defectus, & miseriam, atque ex meis desiderijs ipsi placendi, & implendæ in omnibus sanctissimæ ejusdem voluntatis. Interrogavit me tum Dominus: Quid habes, Anima? quid vis? Tu id scis, mi Domine, respondi ego, tu id scis meliùs. Ego scio, non reperiri ullam in mundo animam pejorem meâ, meque ream esse multorum peccatorum, superbiæ, & aliorum, quæ omnia recensui, & conclusi: Ista sunt mea peccata, Domine, qui bene scis, me eorum esse ream. Divina Majestas magnam indicando benignitatem mihi dixit: Non est itâ. Licet verò mihi hoc dictum quadantenus attulerit solatium, aliunde tamen effecit, ut penitus me ipsam agnoscerem, & proprium meum nihilum adeò clarè, ut quodammodo disperirem. Dominus subjunxit: Veni nunc mecum, & quiesces. Nequaquam, mi Domine, respondi: non est enim tempus deliciarum. Sic me Divina Majestas modicum reliquit, dum ego perseverarem in æstu meorum affectuum. Postea mihi rursus dixit: Veni mecum; itâ ut non potuerim repugnare. Quando enim Divina Majestas vult, tum quod dicit, etiam facit, neque est in potestate animæ, ut illi resistat. Duxit me igitur secum, nec scio, quomodo id explicem, quia opinione meâ ibam in Deo, & Deus in me.

Con-

Conscendimus quasdam scalas, quæ habebant suos flexus & interstitia, atque per intervalla elegantissimas turres. Postquam autem quinque ex his præterivissemus, pervenimus ad pulcherrimam, cujus apex pertingebat ad altitudinem cœli. Hic substitimus, & vidi ex medio hujus turris procedentem scalam altam, erectam, & arduam ascensu, multum tamen speciosam, & colore præditam cœli, pertingentem usque ad portas cœlestis Patriæ. Per illam descendebant multi Angeli, qui ingredienti turrim, peragebant intra eandem sua negotia, ac deinde denuò ascendebant, ideòque dicta scala erat semper plena Angelis, quorum alij descendebant, & alij ascendebant.

Dum id spectarem, vidi exeuntes ex ea turri quatuor aut quinque animas, tam formosas & splendidas, ut singulæ relucere pulchrius, quàm duo simul juncti soles. Hæ cum comitatu multorum Angelorum in momento ascenderunt per illam scalam, & intraverunt cœlum. Vidi postea aliam scalam procedentem ex eodem loco, ac descendentem usque ad centrum terræ, ad quendam locum, unde erumpent tam tremendi & lætuosi clamores, ut valde affligerint meam animam. Audiebantur confusi ejulatus, mugitus, & ululatus tanquam furentium bestiarum, vivaciter significantes miseriam ac tormentum, quæ ibi sustinebantur. In alia parte dictæ turris vidi aliam scalam, quam vis non tam profundè porrectam, quàm fuit illa, de qua nunc sum locuta, pertingentem ad quendam locum, ex quo prodibant voces lugubres, anxia suspiria, quasi desiderantium egredi ex eo arcto & rigido carcere.

Hæc omnia contemplabar consistens ad infimum gradum scalæ, tendentis ex hac magna turri ad cœlum, atque tum mihi ij Sancti Angeli, qui per illam commeabant, dixerunt, an vellem eò ascendere? Non, Domini, respondi, non possum ascendere. Si vis, ajebant, nos te facile ducemus. Non potero ascendere, replicui ego, quia illæ animæ, quæ ascenderunt, jam erant spoliatæ mortalitate, quæ ego

sum vestita: hucusque enim dego in vita mortali. Nihil refert, dixerunt ipsi, dummodo velis, ducemus te sursum. Saltem, respondi, si mihi ascendendum est, non potero in hoc indumento: necesse erit deponere vestes veteres, & induere novas. Simul ac protuli, sui induta, sicut alia, albâ tunicâ, & cooperuerunt me velo cœruleo, ducentesq; me per scalam, introxerunt in eam cœlestem Civitatem. Ibi me prostraverunt coram Beatissima Trinitate, & sentiebam me esse velut fatigatam, ac destitutam viribus, sustentantibus me Angelis, ac si essem fessâ laborioso quopiam exercitio. Tum Dominus me intuens se convertit ad Angelos, & interrogavit illos: Quæ est ista creatura? atque subitò rursus me aspiciens, accommodando se nostro loquendi modo, sic dixit: Jam illam novi. Ego adverti me habere signa in pedibus, manibus, ac latere, quæ mihi Dominus impresserat, & vidi in meo pectore vulnus mihi nuper infictum à mystica sagitta, unâque rubram crucem, quæ me Divina Majestas sacratissimo suo digito signaverat, evehendo me quodammodo ad dignitatem Equestris, ob fines, quos alibi adnotavi. Videbar mihi verò ibi tota cum corpore & anima existere, idemque mihi etiamnum videtur. Deus novit, an se ita res habuerit. Jusse me Dominus quiescere, & considerare ea, quæ reperiuntur in illa cœlesti Civitate. Mox mihi per speciale lumen, juxta meum modum, communicavit visionem sui Divini Esse. Post hoc statim Sacratissima Persona Christi Domini nostri mihi dixit: Contemplare nunc meam Sanctissimam Matrem. Converti oculos animæ ad contemplantam illam præcellam Dominam, quæ quæ prodibant splendoribus tantæ gloriæ viderentur superare milles Soles, adeo ut diffundentibus se per totam eam beatitudinem, non potuerim videre cætera Beatos, sicuti fit, dum præsentate Sole occultantur stellæ. Deinde me jusse contemplari Angelos, & vidi illos gloriosos spiritus, qui erant velut infiniti numerus, atque secundum proportionem pleiades, effabili Bono. Tandem vidi animas be-

tas pulcherrimas, & felicissimas, ultra quam dici possit.

Postquam sum fruita tam sublimi visione, Dominus mandavit Angelis, ut me reducerent ad meum angulum, & cum loquerentur cum Eius Majestate, ac si ipsis, ut mihi videbatur, accideret difficilis modus, quo me possent reducere, magnus ille Dominus incliuando suam omnipotentiam magnitudinem ejus caeli, quin vel minimam sentirem agitationem, me reposuit in meo loco. Ibi me jam constitutam iterum Divina Majestas est allocuta dicendo: Quid tibi videtur de ijs, quae vidisti? scisne quid significent. Ego, licet nonnihil intellexerim, expectavi, ut mihi à Deo clarius explicarentur, qui mihi consuetam suam benignitatem dixit: Scalae, per quas crepisti ascendere, sunt via, quae ex hac vita tenditur ad aeternam. Quinque turres, quas pertransivisti, sunt quinque Sacramenta necessarii suscipienda. Magna verò illa turris, quam postea vidisti, est mea Ecclesia, ad quam Angeli descendunt, & in qua salutem procurant hominum, quorum aliqui tam bene meam gratiam utuntur, atque directione meorum divinarum inspirationum, ut excedentes ex hac vita subito evolent ad caelum, qui tamen sunt pauci, uti vidisti. Scala descendens ad locum, unde animae anhelantes aspirabant, ut liberarentur, quo fruere meo conspectu, tibi representabat statum illarum, quae sunt in Purgatorio. Alter denique locus, quod descendebatur per scalam penetrantem centrum terrae, & ubi tot manent animae, sicut intellexisti, est infernus. Nihil mihi Divina Majestas dixit amplius, neque ego rescivi, an essent plures animae Christianorum, quae damnarentur, an verò quae salvarentur: scivi tamen optimè ac vidi, esse paucissimas, quae statim ascenderent ad caelum, & multas morari in Purgatorio, plurimas autem cruciari in inferno.

Paulò post peractum hoc mysterium, conspexi quandam taurum insolitae magnitudinis, procedentem cum terribili crudelitate & furia contra homines. Tantas, praeter horribilem rabiem, ostentabat vires & robur, ut videretur, quemadmo-

Vita Mar. de Esob. Pars II.

dum meae animae representabatur, unico calcium vel cornuum ictu everfurus mundum, si à Deo suam exercere permitteretur ferociam. Exhalabat per nares & os vapores venenatos, quibus inficiebat homines. Mea anima ipsum aspiciens vehementer affligebatur, timendo, & plurimum dolendo ob stragem, quam esset illaturus, quando repentè vidi magnam turmam Angelorum, qui illi obviam procedebant armati, & prohibebant transitum. Fui valde recreata, dixique intra me: Ah benedictus sit Deus, qui huic malo providit de remedio! Nunc videbis infernalis tauri, qualiter tecum sit procedendum, atque si adest meus Dominus Archangelus Sanctus Michael, ipse te tractabit pro eo ac mereris. Interea illum sunt aggressi Sancti Angeli, & is vicissim ipsos, tantumque potuit, ut denique petrumperet turmam, & elaberetur ex eorum manibus. Currebat notabili celeritate, horribiliter boando, majore furia & animositate, quam initio; praeserebat, quòd omnia absque mora vellet pessumdare. Tum prodit alia turma Angelorum, qui erant prioribus fortiores & promptiores. Conspecto hoc novo succursu videbatur mea anima exhilarari, & respirare. Hi itaque cinxerunt taurum, & ceperunt illum impetere, concidendo multis gladiatorum ictibus ejus faciem, multaque ipsi alia vulnera toto corpore infligendo. Taurus exacerbabatur magis, & strenuè se defendebat, magnòque animo utrinque configebatur: tandem autem etiam hac vice taurus evasit arma hujus caelestis turmae. Benedicatur & laudet Deus in aeternum. Amen.

Progressus est ad quendam campum torvissimè intuens, tremendè boans, & currens effusissimè, donec perveniret ad exiguum quoddam templum, quod ibi erat. Vidi intus Sacerdotem celebrantem Sacrificium Missae, & hoc sacramentum hostiam atrollente introsipientem per portam taurum, dum autem videret, quid ageretur, corruentem, quasi violentè prostratus esset: quod ego meditabunda considerabam, dicebamque in animo: Quid fiet?

fiet? Hæc maledicta bestia non adorat, neq; sponte veneratur meum Dominum. Quidsi verò exangvis corruerit, & exspiraverit? Dum hoc dubium discuterem, conspicxi ingentem catervam diabolorum, qui ad illum venerunt, millenis ipsum onerantes convicijs, & exprobrantes ei ipsius inertiam. Trahebant eundem alij hæc, alij illac raptando, usquedum omnes à terra absorpti disparuerunt.

Allocutus me est tum Dominus, & dixit mihi: Jam vidisti, quid agatur. Intellege verò hanc esse crudelitatem, quâ dia-

bolus persequitur homines: ipsorum negligentia & mala dispositio facit, ut Sanctorum meorum Angelorum auxilium secundum se potentissimum, quod ipsi frequentius præsto, careat effectu, & hostis infernalis adversus illorum animas prævaleat. Pro amoliendis his damnis prævaleat. Pro amoliendis his damnis prævaleat melius aut majus reperitur remedium, quàm usus Sacramentorum, præsertim sacræ Eucharistiæ. Hoc tibi fuit significatum, quòd videris taurum coram ea prostratum. Sit idem Dominus milles benedictus. Amen.

CAPUT XXI.

Alia, quæ illi in diversis materijs, semper autem doctrinam moralem concernentibus, agenti cum Deo evenerunt.



Ejusdem anni, sexcentissimi vigesimo quinti, sunt duo sequentia scripta. Prius pertinet ad finem Octobris, & alterum ad medium Novembris. Adjungam alia non multò posteriora, tametsi certum tempus ignorem. Virgo sic ait.

Considerabam coram Deo meam propriam miseriam, & foetidum hoc lutum, ex quo sum compacta, atque audiebam Divinam Majestatem mihi dicentem, ut secum abirem ad amovendum in certo loco grandem terræ cumulum. Mea anima est mirata illud mandatum, & acsi à me non fuisset intellectum, resumpsi meum exercitium, dicens Deo: Hic adest, mi Deus, anima mendax ac deceptrix. Proferebam id cum ingenti affectu, & interno gemitu, quia mihi mea vilitas in eo statu adeò vivaciter repræsentabatur, ut revera mihi videretur non solum omnium esse expertus bonorum, verùm etiam plena omnibus malis. Divina Majestas mihi respondit: Contingit tibi Anima, quod contingeret puero, qui transeundo profundū & rapacem fluvium, incumbens humeris cujuspiam gigantis, dum perveniret ad summam undarum ipsius profunditatem,

seque adverteret versari inter aquas impetuose ruentes, & eas jam attingeret, periculi timore percussus fieret, atque exclamaret dicendo: Submergor, submergor; cum tamen certum esset, non periclitaturum ob vires gigantis, sed evalurum salvum ad ripam. Ità tibi accidit, quæ dum consideras id quod es ex tua natura, ac discrimina vitæ mortalis, te exillimas verari in periculo, quanquam ab eo sis immunis: quandoquidem te ego sero in meis brachijs, in quibus es tam securo, ut non sis subitura periculum. Quapropter intermitte nunc ista, & veni mecum: amovebis illum cumulum terræ, de quo tibi sum locutus; & absque mora me duxit ad extremitatem maximi cumuli congesti è terra, dixitque mihi, ut eam terram inciperem auferre. Excusabam me, allegando meam debilitatem ac infirmitatem, quarum causâ mihi non suppetere vires pro tanto opere. Nihilominus esto bono animo, subjunxit Dominus, atque aufer terram in corbem (conspexi de repente unum juxta me) istum injectam. Interea vidi quosdam Angelos, qui canentes, & jucundissimum exhibentes vulturn, atque accincti ad aliquid agendum,

se collocaverunt ad alterum cumuli latus, & cœperunt eam terram conijcere in corbes, ac transferre aliò: cùmque ipsos viderem, cœpi & ego animata pugnos illâ terrâ implere, ipsamque in meum corbem injicere, & paulò post vidi totum illum cumulum disparuisse. Tum Deus mihi dixit: Anima, volui tibi ostendere, quòd, etiamsi aliqua appareant difficilia, quæ animabus pro earum profectu faciendâ incumbunt, eadem tamen animatæ meâ gratiâ, ac adjuvantibus meis Angelis, dummodo ex sua quoque parte velint aliquantum cooperari, deinde experiantur, illa à se facillè fuisse peracta. Defectus est in eo, quòd nolint bene uti meâ gratiâ, ut mortificent suam voluntatem, & superent vanos timores, qui ipsi observantur, atque ità nec vincant suas adversitates, neque proficiant in virtutibus. Hoc me Deus docuit, qui sit benedictus.

Eâ occasione, quam alibi descripsi, quando mihi in Novembri, anni millefimi sexcentefimi vigesimi quinti, Deus in cœlo manifestavit quædam sua arcana, vidi etiam crystallinum & vastum fluvium, qui proximè alluebat locum, in quo debebant animæ parvulorum, qui obierunt in prima gratia. Videbatur mihi iste fluvius esse quiddam prorsus cœleste ac divinum: atque sicuti hîc solent tempore hyemali in marginibus & ripis fluminum esse quidam tractus glaciæ, ità in ijs hujus sacri fluvij ripis exporrigebantur in longum velut argenteæ, aureæ, & adamantinæ quædam lacinix lucidissimæ. Dum hunc fluvium magno cum gaudio contemplerer, & pulchras ejusdem extremitates, audivi tanquam eminus dulcissimam ac suavissimam musicam Angelorum, unaque strepitum tunctionum, quales audiri consueverunt in lavatorijs, quando lavantur linei panni. Aspexi, & vidi, ab Angelis in utraque ripa elui quasdam quasi tunicas, & pannos lineos candidissimos, tamen à quibusdam redderentur albiore & nitidiores, quàm ab alijs. Mirabar valde hoc spectaculum, dicebámque intra me: Bone Deus! quidnam id significabit, quòd Angeli obeant munus lotorum? Tum Angelus, à quo du-

Vita Mar. de Esob. Pars II.

cebar, mihi dixit: Fluvius iste, Soror, est figura sanguinis Christi Jesu Domini nostri, quem effudit pro hominibus, & qui communicatur animabus per Sacramentum Pœnitentiæ, quod administrant Sacerdotes, qui propter sublimitatem sui officij representantur instar Angelorum Dei. Quidam reddunt animas magis candidas, quàm alijs, secundùm dispositionem, quam adferunt pœnitentes, & modum, quo ex hoc Sacramento proficiunt.

Viso hoc mysterio, mihi fuit dictum ab Angelo: Age Anima, abeamus, jam enim est tempus, & ducam te ad tuum angulum. Nullatenus, Domine Angele, ajebam ego, expecta tantillum ob reverentiam Dei, permitte me has delicias videre. Per me licet, respondit Sanctus Angelus, contemplare illas pro tuo beneplacito. Perlustravi totum illum fluvium eò versùs, quò aquæ ejus decurrebant, & videbantur mihi circumire totum mundum: conspexi quoque procul quosdam Paganos, homines fide destitutos, & ipsi immixtos nonnullos dæmones, quanquam paucos: cùm enim illos jam possideant, videntur de ijs non esse solliciti. Hi infideles se non lavabant in eo flumine, imò conabantur in illud injicere fordes. Verùm sicut radij Solis, licet transeant loca immunda, manent nihilominus puri & splendidi, ità ijs aquis nihil oberat, quidquid in ipsas sordium injicerent, sed permanebant tam puræ & crystallinæ, quàm antè. Sic inde discessimus, etiamsi ego difficulter potuerim avertere oculos ab illis pulcherrimis lacinijs, quæ, ut initio dixi, exporrigebantur secundùm longitudinem earum riparum: & Angelus mihi dixit, easdem esse figuram trium virtutum, fidei, spei, & charitatis. Laudetur tam bonus & potens Deus ab omnibus suis creaturis in æternum. Amen.

Post paucos deinde menses, dum essem intenta orationi, meòque usitatissimo exercitio, quod est cognitio meorum defectuum, & propriæ vilitatis, conjuncta intempestivis deliderijs conformandi me cum Divina voluntate, vidi quasi ex longinquo venientes quosdam Angelos (erant verò, à meo

meo iudicio, quinque) aliquantum ab invicem distantes. Progrediebantur sancto quodam affluentes gaudio, & ferebant in humeris grandem ac plenum saccum: licet autem fuerim mirata hoc spectaculum, conabar tamen ab eo avertere oculos, & persistere apud Deum in meo exercitio. Sed quando Deus revera vult ostendere mysterium, quod repræsentat, nulla prodest humana industria. Unde quantumcunque fuerim conata me abstrahere, Divina Majestas tamen fecit, ut attenderem visioni, quæ mihi proponebatur. Advenit igitur primus ex ijs Angelis prope locum, in quo eram, & deponens mysticam eam speciem sacci, evacuavit illum humi, exhibendo mihi spectandum pretiosissimum thesaurum purissimi argenti, auri obryzi, pretiosarum margaritarum & gemmarum, quæ varias habebant figuras & colores, omnesque erant inæstimabilis valoris. Hoc facto recessit cantans hymnos & laudes divinas. Similiter advenerunt cæteri, singuli seorsim, qui etiam expositis suorum saccorum divitijs recedebant cæntes. Ego eram velut attonita, videns illum grandem tot pretiosarum rerum cumulum, atque læta & plena solatio, quia à Deo illuminata intelligebam, illas esse figuram & significationem valoris operum virtuosorum, & heroicarum actionum, quæ à Justis & veris Dei servis in honorem ipsius peraguntur. Habebam oculos meæ animæ quodammodo affixos tam pulchro & jucundo spectaculo, neque mihi videbar eos posse ab illo avellere, quando subito vidi circa totum illum exquisitissimum thesaurum, & quodammodo in ejusdem extremitatibus, asurgentem subtilem, indicibilem & suavissimum odoris fumum, procedentem ex igne æquè forti ac suavi, sensim sine sensu comburente & consumente eum pretiosissimum cumulum. Sic ille delicatus fumus, & præstantissimus vapor magis ac magis augebatur, & quauquam lenissimè, ascendebat adeò altè, ut mihi videretur pertingere quasi ad os factum ipsiusmet Dei, atque idem Dominus summè sibi in eo complacere, & id cœlestibus suis Palatinis contestari. Spiritualis

hic fumus, seu hic spiritus ascendebat velut magis & magis evaporando in ipsum Deum, donec in eodem Domino videretur evanescere ac dissipare. Tandem totus thesaurus ita fuit absumptus, ut nullum propè sui reliquerit vestigium, aut indicium.

Non potero verbis meis explicare, quantopere fuerim mirata hanc visionem, eoque amplius, quò minus illius intelligebam mysterium. Reliquit me Deus ita perplexam ac dubitantem de significatione eorum, quæ videram, ac demè mihi dixit: Adverte Anima, bene scis, aurum obryzum produci in terra fodinis, ibique conservari, unde postea eruitur, ac traditur perito artificio, à quo semel iterumque debet purificari in ustrina, si opus fuerit, ut ex eo formetur vas elegans, aut pretiosum quoddam monile, imponendum mentis, aut appendendum collo Regis. Idem verò contingit in sanctis fidelium fervorum meorum operibus. Aurum virtutum, quibus sunt præditi, producit, & conservatur in vili terra fragilis naturæ, à qua videtur regi & abscondi: nam propter exiguos quasi naturales defectus, quos in se comprehendunt, profundè descendunt in propriam suæ vilitatis cognitionem, & se demittunt usque in abyssum, quod singulariter prodest, ut virtutes proveniant puriores, & conserventur solidiores: eo quoque modo, quo nix conservatur, & perseverat purior, magisque integra, intra aridum stramen. Scias velim præterea, hos naturales defectus naturales meorum amicorum, esse in meo conspectu instar straminis vicini immenso igni: omnes enim isti defectus comburantur, & contumuntur per actus humilitatis, & incendium divini amoris, quem ipsis communico, corundemque virtutes evadere perfectiores, puriores, & magis spirituales. Propterea vidisti, omnes eas divitias, vi illius suavis & efficacis ignis, converti in illum spiritualissimum, & suavissimum fumum, qui ipse quoque postea altius ascendens, tanquam spiritualior redditus, evanuit ex tuis oculis, velut in me transformatus, quæ celestis prema animarum, mihi summopere præ-

cens, perfectio. Nunquid non intelligis, quòd ex diversis odoriferis floribus, injectis in vas distillatorium, dum ij vi ignis videntur destrui, prodeat unica aqua; quæ à vobis, propter pretiosum & suavem illius odorem, vocatur angelica? Sic ergo hinc agit: nam dum anima multis & varijs est ditata virtutibus, ignis mei spiritus producit simplicissimum, & univium affectum, quo summè delector. Bene olet passillus odoratus, quando præstantissimè confectus applicatur integer naribus, major tamè absq; comparatione est ejusdem fragrantia, dum consumptus ab igne convertitur in fumum, qui est subtilior, ac magis spiritualis. Marina hæc est significatio mysterij, quod tibi à me fuit monstratum, tæque adeò reddidit attonitam. Ostendi id tibi & explicui, ut intelligatur, semper aliquid expurgandum repetiri in sanctis operibus, & bonis affectibus meorum fidelium servorum, quancunq; appareant esse pretij, & hæc eorum opera atque affectus à me purificari per amorem, quo erga ipsos feror: illos verò semper debere aspirare ad majorem perfectionem in ijs, quæ agunt, cum plurimi sint ejus gradus, ad quos progredi possunt, ac debent anhelare. Nunc vale, & quiesce in me. Postquam Dominus divinum suum finivit sermonem, sui mihi penitus erepta: reddita autem mihi non cessabam illi infinitas agere gratias, pro tam sublimi instructione. Oblita sum dicere, me illuminatam à Deo intellexisse, Angelos adfuisse æquè onustos, ac exhilaratos illis divitijs, ut mihi indicaretur, multum ab ipsis præstari, nosque adjuvari in negotio nostri profectus. DEUS sit millicies benedictus. Amen, amen.

Omnes comparationes, quibus magnus Deus noster hoc mysterium Venerabili Marine explicuit, sunt non minus admirabiles & aptæ, quam Divina. Gloria sit ipsi aterna, qui nobis adeò eminentem, adeoque claris explicatam terminis doctrinam dignatus est communicare, ut etiam ab ignorantissimis possit percipi. Observo solum pro nostro solatio, & pro commendando spiritu, quo studium Sanctis Patribus, ac sacris Doctoribus est impendendum:

siquidem omnes (nisi potius sit una) vel eadem, vel modicissimè discrepantes, in eorum scriptis reperiuntur, quod multis testimonijs clarissimè probarem, si id præsens locus exigere. Unde colligitur, Deum loqui per suos amicos, & ab his scribi, quod ab ipso edocentur, nosque idem ab illis percepturos, quod à Deo. si à nobis legantur cum desiderio, ut eos intelligamus, & compendiemus in proximorum nostrorum utilitatem; non autem ex curiositate & aviditate excerpenti frivolas, atque interdum falsas subtilitates. Nixis tantum in stramine conservata similitudinem, me in Sanctis Patribus legere non memini: est nihilominus idonea, & accommodata anima Hispanica, quæ id sepe viderit, ut perfectior ad propositum non posset excogitari. Faxit Deus, ne culpâ nostrâ minus prosit tanti momenti, ac tam præclara doctrinâ. Pergit admirabilis nostra Virgo in alio scripto.

Initio Januarij, anno sexcentesimo vigesimo sexto, conspexi aliquoties Dominum affixum cruci, præsertim verò semel vidi, quòd reficiens brachium dextrum à cruce, arreptum suâ sacrâ manu flagellum, instar scuticæ, superposuerit brachio crucis. Conabar me, ob meum timorem, abstrahere, etiâque mihi persuadere, quòd possit esse magis mea imaginatio, quam vera visio: siquidem non tam clarè proponeretur oculis animæ, neque tam fixè, quam aliæ. Post aliquot tamen dies mihi Dominus dixit: Non fuit tua imaginatio, sed vera visio, quam habuisti. Non intellexisti tum mysterium, quod tibi nunc volo declarare. Veniat tibi in mentem, te eo tempore non exiguam sustinuisse afflictionem, ortam ex repugnante tuæ complexionis natura illius personæ, quam novisti, & à qua sine intermissione exerceris. Volui tibi igitur per id, quod vidisti, duo significare, superimponendo meæ cruci scuticam. Unum est, quòd ex ea defluant valorem cruce, flagella, & afflictiones meorum servorum; quòdque sint remunerandi, si istæ illi uniantur, nec non ab eadem etiam confortentur ad eas illâ æquanimitate tolerandas, quam ego tibi do. Alterum, quòd omnes afflictiones, quas sunt passi, patientur, & patientur mei

servi, susceperim in me, probando molestiam & amaritudinem, quæ ipsis inest. Hinc fit, ut tanquam in ijs versatus, magnâ illorum tangar commiseratione, cõsque juvem in omnibus ipsorum tribulationibus. Mea anima fuit, ob hæc Domini sui verba, recreata, & repleta solatio. Ipse, propter dulcissimam amantissimi sui cordis benignitatem, sit benedictus.

Sub exordium deinde sequentis Februarij, dum affligerer ac dolerem, ob allatum nuntium, de inundationibus, quas est passa Hispalia, & Salmantica, de que tot facultatum & hominum jactura, tenerè proximis meis compatiens, totòque affectu illos Deo commendans, vidi Dominum, qui me benignissimè vocabat, dicendo: Anima, es multùm afflicta, veni mecum, & quiesces: Ah mi Domine, respondi ego, quorsum me vis abire, relictis meis proximis in tantis afflictionibus? Sunt filij tui, redempti pretioso sanguine mei Domini JESU CHRISTI: volo, bonâ tuâ veniâ, apud illos manere, & cum ipsis pati. Veni, subjunxit Dominus, & videbis quædam hac ipsa in re tibi allatura solatium. Rogavi cum denuò, ut me relinqueret inter eos, qui patiebantur, quia commiseratio, quâ in hujusmodi occasionibus vices doleo meorum proximorum, & compassio ob id quod sustinent, me ad eò abripit, ut pro ipsis tantillum sublevandis libenter perderem, quidquid mihi temporalium bonorum in hac vita potest obtingere. Tandem Dominus, utens suâ potentiâ, me duxit ad celestem Jerosolymam, ostenditque mihi nonnullas animas, quæ paulò antè fuerant ingressæ in eam celestem Civitatem, & erant illorum, qui in prædictorum locorû inundationibus fuerant submersi. Erant pulcherrimæ & contentissimæ, utpote fruentes eo summo Bono. Tunc mihi dixit Dominus: Ecce, noli cogitare, nihil aliud fuisse, quàm rigorem, siquidem etiam exercui clementiam. Animæ, quas hîc vides, fuerunt hac viâ salvatæ, & versatæ fuissent in gravi periculo damnationis, si diutiùs in mundo mansissent. Æterna mea Providentia juncta meæ Clementiæ prævenit hanc malam sortem,

educendo illas ex vita mortali, constitutas in mea gratia. Quin & eorum sum quinquaginta miseris, qui sunt damnati: nam si visissent diutiùs, multiplicavissent sua peccata, quibus fuissent promeriti majorem penam eâ, quam nunc patiuntur. Audivi, quod edocebar à Domino, & venerando altissima ipsius judicia, laudavi immensam ejusdem misericordiam.

Post decem abhinc circiter dies audivi strepitum tympanorum vocantium ad arma. Fui initio turbata, & afflicta: dum autem is paulatim appropinquaret loco, in quo eram, conquievi, quandoquidem adverti, sonum esse (vayem: ite enim multùm differt à strepitu, quem edunt tympana diabolorum, quia prior est svasis, posterior autem horribilis, & incutiens terrorem. Vidi itaque adesse præclaram cohortem Angelorum, insigniter instructorum armis, & insequentium hostem. Per venerunt eò, ubi erat alia cohors dæmonum, qui celerrimè aufugerunt. Occupabant ripas cujusdam loci, qui abundabat aquâ: non discrevi, essetne mare, an vastus aliquis & spatiosus lacus, vidi nihilominus, quòd dæmones sese immergentes dictis aquis, tantos, ac tanto tumultu suscitaverint fluctus, ut apparenter instaretur in aère super fluctus, donec ipsem celestes spiritus egressos in adversa ripa diabolo pellerent, atque ita fugarent, ut eos ultrâ non viderim. Nihil aliud intellexi, præter id, quod retuli, per omnes tamen hos dies mihi Deus indicat, quantopere dæmones desiderent nocere hominibus. Divina Majestas nostri per suam clementiam misereatur, quam nostra peccata vehementer irritant: ideo enim his ipsis diebus, quocumque verterem oculos meos, videbam JESUM CHRISTUM DELICTUM nostrum cruci affixum, & cum ego illicitiùs perpenderem, fuit mihi ab illo dictum: Taliter sum in cordibus hominum constitutus, qui me quodammodo circumfigunt.

Vidi quoque his diebus in meo cubiculo tres personas, quæ mihi interdum videbantur esse duo homines, & unus dæmonis

aliàs verò duo dæmones, & unus homo: omnes proferebant, & perpetrabant abominabiles nequitias. Mirabat supra modum, videndo tam maledictum spectaculum; optabam illud summo conatu evitare, sed non poteram, neque sciebam intelligere, quomodo fieri posset, ut essent homines simul & dæmones. Tum Sanctus meus Angelus Custos mihi dixit: Soror, hunc in modum significatur & ostenditur, inveniri nonnullos homines adeò à diabolo possessos, ut tam gravia committant peccata, & cum tanta malitia, acsi forent diaboli; diabolos autem uti proterviâ & nequitia quorundam hominum, ad operandum ita per ipsos, ut hi non perdendo suam libertatem, quin potiùs augendo suam impudentiam, simul atque eadem cum diabolis scelera perpetrent. Et ecce, dum tales quidam homines reperiuntur in Republica, provocant graviter adversum se

iram Dei. Hoc mihi dixit Sanctus Angelus. Deus nobis propter semetipsum optuletur. Amen.

Quod Sanctus iste Angelus docuit Venerabilem Marinam, idem docetur à Sanctis Patribus, & sacris interpretibus, super ea loca Evangelij, in quibus Christus Dominus Judæos vocavit filios diaboli, & Judam diabolum, de quo S. Joannes ait, quod à diabolo, qui in cor ipsius introverat, occupatus, Christum ausus fuerit vendere. V. a. y. s. qui ad tam consummatam perveniunt malitiam, atque tam obstinatum proterviâ, ita viventes, ut jam opera ipsorum & verba nihil differant ab illis, que dicunt & agunt ipsimet demones, quorum abominabiles effectus sunt tales, ut nihil in ijs unquam pejus, nullamque majorem Dei offensam designaverit spiritus infernalis, quam cor humanum. Avertat ac impediât Dominus per suum pretiosissimum sanguinem, tam enormem precipitij modum.

CAPUT XXII.

Continuat idem argumentum.

IN Junio anni millesimi sexcentissimi vigesimi sexti, die Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, vidi Jesum Christum Dominum nostrum, qui mihi dixit: Veni mecum, & quiesces modicum; atque sine mora me subito duxit ad quandam pulcherrimam aulam, ubi cepit deambulare, ducendo me juxta se. Perambulavit illam bis terve, presentibus innumeris Angelis, qui circumquaque occupabant eam aulam. Ego pariter deambulabam cum Domino, valde erubescens & pudefacta, quamvis mihi Ejusdem Majestas suavissimum exhiberet vultum; utque meam excuteret verecundiam, imposuit meo humero bis suam facram manum. Dominus se collocavit cum magna majestate in quadam sella, & ego ad sacros ipsius pedes, cum eodem pudore & verecundia, ac prius. Paulò post assurgens vidi crudelem diabolum procul distantem à loco, in quo eram. Aspectus

illius erat terribilis, habebat multa capita, quæ omnia prodibant ex uno coilo. Loquebatur, petens aliquid à Jesu Christo Domino nostro, verum ego illum non intelligebam, quia videbatur loqui intradentes, & non distinguendo verba. Ex eo loco, in quo à me fuerat visus, accessit à tergo ad eundem Dominum, & intellexi, peti ab ipso facultatem nocendi certis personis. Sed Dominus illi cum summa gravitate, & velut indignabundus dixit: Apage, sufficiat tibi, quòd alios, propter malam ipsorum dispositionem, & quia seducti à suis cupiditatibus obsurderant ad meas voces, corripuerim igne cœlesti, & illorum animas addixerim inferno. Diabolus accepto hoc responso abiit in magnam actus rabiem. Ego perpendi, quomodo istud dictum Domini conveniret cum ea visione, quam præteritis diebus habueram de ijs, quos Divina Justitia puniverat.

Alludit Venerabilis Marina ad scriptum illud, quod retuli capite quinto hujus secundi libri.

libri, unde nos pro nostra instructione colligamus, quam sit res indigna, quamque caca deceptio, inire amicitiam cum hoc hoste infernali, qui dum blandiendo nos inducit in peccatum, terribili postea crudelitate urget accelerationem pœnæ, ut præveniat remedium emendationis. Habuit eadem Virgo aliam visionem (quam, quantum ex computatione chartarum arguitur, conjicio accidisse postremo sanctæ ipsius vitæ anno) ubi ipsi fuit in figura symbolica, multum simili ei, quam diabolus in antecedente visione assumpserat, representatus infernalis spiritus superbia, cum vitis inde provenientius, unaque auxilium, quod ad illum vincendum Deus præstat suis amicis. Advertendum autem est, diabolum apparuisse transformatum in bestiam, qua hic describitur, prout colligitur ex ipsa Virginis relatione, & expresse annotatur in margine à P. Michaële Orenja, cujusmodi annotationes ipse semper cum illa conferebat. Proderit nobis plurimum visio, ad agnoscendam, & cavendam contagionem hujus affectus, atque ad amandum Deum, eique serviendum, qui tam sollicitè suis servis, per suos Angelos, succurrit: pro his enim omnibus præclarum hic reperimus documentum. Refert Venerabilis Marina eventum hoc modo.

Dum aliquando his diebus manè vacarem meæ usitatæ orationi, invalescebat præter morem in mea anima affectus vilipensionis mei ipsius, propter ingens lumen cognitionis propriæ, quod mihi Deus dabat. Isti cognitioni se illa magis & magis immergebat, cum qua eousque est progressa, ut existimarem, mihi soli inesse omnes defectus & peccata, quæ possent in universis reperiri creaturis. Quando namque mea anima huc devenit, cum tota feratur ad sese despiciendam, non videtur quidquam videre oculis rationis, sed affectus, creditq; facile, quidquid illi in mentem venit tendens ad sui contemptum. Perscrutabar specialiter materiam superbiæ, ac dicebam: Non est possibile, ut non inhæreat fundo meæ animæ illa prava & perversa radix superbiæ, quæ tam malos progerminat ramos, & peiores producit fructus, utque in hoc genere non committam gravissima peccata, & defectus;

atque adjuncti: Istud, opinione meâ, mihi Deus, est certissimum; quia verò tu, dilecte mi, es meus medicus, & mea salus, cura me Domine, & sana ab hac lepra & peste. Ità eram comparata, quando oculis animæ circumspiciens vidi aliquantum à me distantem quandam malam, magiâ, & crudelissimam bestiam. Habebat illa in unico collo septem capita, & in singulis suum abominabilem vultum, atque licet hi vultus tibi aliquatenus essent similes, plurimum nihilominus discrepabant, quoad formas & configurationes. Hæc infernalis bestia variè agitabat ea septem capita, horrendumque in modum contorquebat. Uno tristissimè gemebat, alio plorabat; uno videbatur velle gaudere, alio terribiliter vociferabatur; pariterque erat omnium reliquorum formidabilis affectuum, & figurarum diversitas.

Cognovi internè illuminata, per eam bestiam representari superbiæ, & omnia vitia ac peccata, quæ illam comitantur. Quia verò mea anima occupabatur prædicto exercitio, & coram me videbam istâ infernalem bestiam, non est explicabile, qualis mihi ab ipsa fuerit incultus terror. Gemebam ex intimo corde meo, & exclamabam in animo, dicens Deo: Mi Deus, & mi Domine, adverte, per temetipsum te obsecro, quod hæc bestia me velit devorare. Veni citò, mi Deus, & libera me ab illa. Deinde conversa ad meos Dominos Angelos, præsertim meum Custodem, omnes invocabam, dicebamque ipsis: Venite mei Domini, venite quæm celerrimè, per amorem Domini Majestatis, aspiciete illam infernalem bestiam, nolite morari; alioquin me devorabit: destruite ipsam, mei Domini, & interficite in nomine Dei, atque divinâ illius virtute. Hunc in modum timendo ac trepidando, nè ab ea bestia devorarer, explicabam meam formidinem, nè me invaderet spiritus superbiæ, & præcipitaret in quodpiam peccatum arrogantiae, adversus fidelitatem, quam debeo amabilissimo Deo & Domino meo. Mei Domini Angeli videntes ingentem molestiam & affectionem meæ miserabilis animæ, valde properanter omnes decem

ad me venerunt, & undequaque me circumdantes, peramanter mihi dixerunt: Quid habes, Anima? quid habes? Noli uilatenus affligi, aut metuere, nihil enim est, quod metuas, quia Deus est defensor tuus, & nemo te poterit aggredi, aut offendere, noli timere: adsumus namque, ut te custodiamus, nec unquam desermus. Propositum malæ istius bestiae aliud non est, quam ut te perterrefaciat, teque affligat: siquidem scis, Deum pro sua bonitate non permitturum, ut te occupet affectus, vel cogitatio superbia.

Mea anima magnum cepit solatium ex verbis meorum Dominorum, & singulariter Angeli Custodis, qui me paulo post alloquens: Aspice, inquit, eò, ubi est bestia, & vide, quid agatur. Feci id, ac vidi descendente ex caelo pulcherrimam & fortissimam cohortem Angelorum, qui omnes erant armati. Alij ferebant in humero sclopos, alij in manu lanceas; illi jaculantes ipsam impetiverunt, hi deinde illam circumdantes eidem appropinquaverunt, & comprehensam confoderunt lanceis, ac maceraverunt, atque disperdiderunt. Hac tam insigni obtentâ victoriâ, redierunt ad caelestem Jerosolymam, ubi adorantes Divinam Majestatem, profitebantur se ab hoc magno Domino accepisse suum robur & fortitudinem. Tum ad me conversi Angeli mei Domini, mihi dixerunt: Nonne nunc affluis solatio? nonne, Anima, es contenta? Ecce noveris, quod Deus ita liberet ac abstrahat à peccatis, præservetque illos, qui ipsum timent & amant ex corde; sic destruat & confundat eos, qui alios incitant ad malè agendum. Ipse sit in æternum benedictus, & tu Anima, modò in tuo Domino quiesce. Post hoc singuli isti mei Domini recesserunt ad suum locum, & ego habui ingens solatium, fuisque confortata in meo Deo, qui propter sua opera & misericordias laudetur in æternum. Amen.

In Augusto anni sexcentissimi vigesimi sexti, in vigilia S. Laurentij, vidi thronum magnæ majestatis, in quo sedebat Deus, & coram ipso, quasi ad unum latus stabat copiosa pauperum multitudo, ad alterum vero ingens numerus divitum. Utrique ex-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

pestabant, ut à Deo quidpiam postularent. In spatio, quod intercedebat inter hos homines, & illum caelestem thronum, deambulabat Angelus sublimissimus, & magnâ conspicuus autoritate, qui accedens ad pauperes, dixit illis: Quid petitis? Domine, responderunt, petimus cibum, vestitum, & reliqua necessaria ad transigendam vitam. Sanctus Angelus, quantumvis vultu severo, voce tamen blandâ, ijs dixit: Quomodo verò non petitis, quod est præcipuum? Deinde transiens illis, ubi erant divites, interrogavit ipsos asperius. Et vos quid petitis? Hi fuerunt turbati, & ceperunt timere, ostendentes, se velle, dummodo possent, aufugere, sed non poterant. Tandem, urgente eos Angelo ad respondendum, dixerunt: Desideramus intimam cum Principibus familiaritatem, officia, dignitates, & opes, talia petimus. Sanctus Angelus ipsis nihil respondit, sed Dominus majestatis vehementer iratus, illos ex suo throno est intuitus, & dixit: Perpendite, quid agatis: si enim non petitis, & queritis bonum vestrarum animatum, maledicam vobis in æternum. Convertit se deinde ad pauperes vultu minus severo, & quasi ipsorum ignorantia ac miseria compateretur, dixit illis: Querite Deum, & observate legem ipsius, dabiturque vobis abundanter, quod petitis, non tanquam præcipua merces, sed instar auctarj. Tum mihi visum disparuit.

Addit Venerabilis Marina in eadem charta aliam visionem, quam habuit postrid. e. ipso festo S. Laurentij, & judicavi subjungendam esse precedenti, cum sit quadam confirmatio promissionis, quâ Deus pauperibus est pollicitus, fore, si ipsum in primis quaesiverint, ut illis temporalia, quibus egent, adjiciantur. Pauper, & verò multum, fuit Ven. Marina, Deus autem illi non solum submisit elemosinas, ad sublevandam propriam indigentiam, verum etiam eam constituit veluti depositariam, ut multis alijs subveniretur. Fuerunt innumeri, quibus illa succurrit. Collocavit aliquot Virgines in honorato matrimonio, longè plures promovit ad Ordinem Religiosum, datâ omnibus competenti dote. Tempore famis & publicarum necessitatum ipsi Deus providit de

abundantibus eleemosynis, ut per illam, tanquam canalem, derivarentur ad populum egentem. O altam & occultissimam providentiam magni Dei nostri, utentis operâ pauperis ancilæ, ad opem ferendam tot pauperibus, & quodammodo idcirco investigantis modos atque industrias, qui facile milenos potest condere mundos, & locupletare! Jam sumus hæc de re fusius alibi locuti, hic solam pro nostra instructione prædictam brevem appono visionem, quæ ab illa sic refertur.

In festo S. Laurentij rogabam ardentibus affectibus Deum, ut me redigeret ad magnam paupertatem, & nõ tot mihi submitteret eleemosynas. Quonquam enim per Divinam misericordiam bene impendantur, non patior tamen eas necessitates, in quibus aliàs fui constituta. Continuavi meam orationem cum varijs alijs affectibus, & conclusi dicendo: Desidero, mi Domine, ut, quemadmodum serpens se dicitur, transeundo per angustum petræ foramen, renovare, depositis veteribus exuvijs, ità & ego me renovem, ut mea anima coram te evadat quàm purissima, contento sincerissimo tui amore, absque ulius rei terrenæ admixtione. Dum isti exercitio essem intenta, Deus mihi talem exhibuit spectandam meam animam, qualis est in se ipsa, acsi penetrato angustissimo quoque loco, remansisset sola, ac depositisset quidquid est corporeum, omnèque suos terrenos affectus, purum tantummodo secum auferens affectum placendi, & serviendi in omnibus, & per omnia suo Deo. Qualiter id fiat, equidem ignoro, quia, licet viderem meam animam ità puram, sicut alibi retuli, videns tamen, quòd quidam Sanctus Angelus ipsam suis manibus apprehenderet, dixi ei, nihil contra mentem proferendo: Sancte Angele, noli id facere, noli illam tangere, noli re tam malà tuas puras manus maculare. Nequaquam me maculabo, respondit Angelus. Cùm autem eam sic teneret, fuit conversa in candidissimam columbam, quam statim deposuit in manibus Dei, cujus Majestas ipsam mulcebat, plurimumque sibi illam placere ostendebat. Convertit se tum magnus hic Dominus ad me, & dixit

mihi: Accepta eleemosynas, quæ adferuntur, & maneat isthuc: ego enim scio, cur eas habere velim, & quare ab ijs fiant, à quibus offeruntur. Fui subito archissime unita eidem Domino, donec finitã illã unione me adverterem esse in meo angulo. Benedicatur, & laudetur Divina Majestas. Amen.

Etiamsi Venerabilis Marina dicat, se ignoravisse, qualiter fieret, ut, licet se videret tam puram in manibus Angeli, aliunde tamen tam sordidam agnosceret, ut verè timeret, Angelum posse ab ipsa maculari; bene nihilominus intelligebat, quomodo hæc se compererent. Quandoquidem enim sciebat, omnem animæ suæ puritatem & pulchritudinem esse donum acceptum à DEO, considerabat illud tanquam alienum, tantumque suæ existimabat esse imperfectiones & sordiditates, quæ ex se, & sibi ipsi relicta, proferret sua natura. Peccatores, quia, ut ait Apostolus, vivunt in tenebris, præposterè hæc in re judicant, & non videntes fetorem suarum sordiditatum, attribuunt sibi ipsis, qualecunque bonum, quod obtinent à Divinis manibus. In quali verberetur caligine mundus, quoad hæc materies, ipsa nobis descripsit in quadam scheda, anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, decimã nonã Februarij, ubi sic ait.

Hodie manè fui in meo cubiculo quasi sola, & in tenebris, atque dixi: Ah Deus! verfor in tenebris, & sum sola. Statim audi vi Majestatem JESU CHRISTI Domini nostri mihi respondentem: Non es sola, ego enim hic sum apud te. Mi Domine, ajebam, non video te bene propter hanc obscuritatem. Statim me videbis, dixit Dominus. Eodem autem momento circumdedit Eiusdem Majestatem pulcherrima lux, quasi radiosa, pariterque Sanctos Angelos, qui unã adorant, quã luce cubiculum evaluit clarissimum, potuique Dominum optime videre, & Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui erat penes me, cui dixi: Benedicte Sancte, tunc adfrui, ac ego te non videbam? A Domino vero mihi dictum est: Soror, non erat hic Ludovicus, quia nunc advenit.

Duxit me Dominus per densam quandam caliginem, donec pervenirem ad cœlum, ubi, postquam me univisitet suo Divino spiritui, mihi contulit, per suam misericordiam, sublimes cognitiones de suo Divino Esse, atque de modo, quo cœlestes Palatinos reddit beatos, sicut alijs dixi. Ego postea quasi mirabar novitatem illius obsecrissimæ viæ, quâ hac vice fui ducta, atque tum mihi Dominus dixit: Volui tibi repræsentare præsentem mundi statum, ubi omnia sunt caligo ac tenebræ. Benedicta sit Ipsiùs Majestas, detque nobis suum lumen. Amen.

CAPUT XXIII.

Nonnulla hujus admirandæ Virginis monita, quæ conscripsit, ad bene progrediendum in via virtutis.

Post descriptas visiones, quas Venerabilis Marina à Deo habuit, concernentes doctrinam moralem, visum mihi est, referre hoc loco quedam monita, ac documenta, ad eundem directâ finem, quæ dedit diversis personis, & sunt plena cœlesti sapientia, tanquam hausta ex pectore, cui Divina Majestas tantum communicabat lumen, eruntque instar singularis stimuli, ad insistentem viam virtutis, & in ea proficiendum, omnibus, à quibus legentur, præsertim verò sanctis ipsius filijs, in sacro Diva Birgitta, & reliquis religiosissimis ejusdem Ordinis Conventibus, quos, divinâ opitulante gratiâ, fundandos speramus. In quodam itaque suo scripto, ad devotas filias & socias, quas tum apud se habebat, & conabatur ad altissimam dirigere perfectionem, ita Venerabilis Virgo loquitur.

Charissimæ Sorores meæ in Domino Deo nostro, ut animæ nostræ dignum hujus magni Dei & Domini fiant habitaculum, sintque in ijs ejusdem deliciae, quem admodum ipsemet ait, demissè vos & instanter nomine illius rogo, ut puram ei exhibeatis habitationem, & præparetis penetrale cordium vestrorum, ubi idem Dominus Majestatis est hospitio excipiendus. Animadvertite, ipsum quidem amore flagrare, attamen etiam zelare, ut purum sit cor, ac mundum. Ad fundandum autem, cum divina illius gratia sublime ædificium solidarum & perfectarum virtutum, quæ sunt felicitis hujus thalami ornamentum, in quo cœlestis Sponsus requiescit, inchoan-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

dum erit à fossa, si egeramus terram malorum affectuum, & passionum animæ nostræ, ejusque loco imponamus fundamentales & solidos lapides cognitionis propriæ, humilitatis, & contemptûs nostri ipsarum, adjunctâ fide, & vivâ confidentiâ in Deum & Dominum nostrum, qui consummabit & perficiet in nostris animabus opus, quod ex mera infinita bonitate & misericordia cœpit. Iple sit benedictus.

Hoc factò, id est quasi jacto fundamento, laborare vos oportet, Charissimæ Sorores, & velut manibus vestris operari, quàm optimè sciveritis, ac poteritis, extirpando malas radices, & inserendo generosas plantas, quæ producant fructum placentem Divinis oculis. Animarum autem vestrarum oculi semper sint, quoad vobis fuerit possibile, intenti clarissimo illi Soli Divini Esse, & in ipsum defixi: quia ad lumen cœlestium ejus radiorum laborabitis cum singulari solatio, celeritate, & profectu. Nolite unquam filiarum mearum dimittere ex oculis Divinum hunc Dominum, existimate illum esse stellam lucidâ, divinum polum, à quo nos duci est necesse, sinè quo procul dubio aberraremus à via. Navigamus, filiarum, per procellosum mare mundi, ubi tot sunt, & tam terribiles fluctus, impetentes navem animæ nostræ. Hoc autem tantùm duce poterimus appellere ad portum securum cœlestis illius Patriæ, quæ est terra semper viventium in Domino Deo Majestatis, qui illuminat, & beatam efficit eam supernam Civitatem, ubi, ô utinam, per infinitam ipsius

Q9 2

ipius

ipſius bonitatem & miſericordiam, omnes conveniamus ! Expendite hoc, Sorores meæ chariſſimæ, atq; ſic agite: iſtud enim exercitium præcipue prodeſt animæ, ſummeque Deo placet. Ipſe ſit millies, iterumque millies benedictus. Amen.

In alio ſcripto proponit admirabili ſpiritu tria puncta, quorum conſideratio multum promovet animam, ad conſequendam optatam perfectionem. Addit quoque deinde tria efficaciſſima media, ut iſtud exercitium debito peragatur fervore, & curâ.

Sit ita in nomine JEſu Chriſti Domini noſtri, & Sanctiſſimæ ipſius Matris. Rogaverunt me ſociæ meæ iſtantiſſimè, ut ijs dicerem, & loquerer aliquid de Deo, ad ſuarum animarum profectum, judicantes id ſibi, eò quòd mihi ſint familiares, habeámq; ipſas perſpectas, magnopere profuturum. Multum tergiverſabar, meque excuſabam, quia mihi videbantur extare ſufficientes libri, ex quibus melius poſſent diſcere, quòd oprabant. Hoc illis dixi, & ſubjuxi, nec eſſe meæ conforme propenſioni, neque conveniens, eas alloqui in modum ſpiritualis exhortationis, cum ſim ſœmina, & exiguo prædita ſpiritu. Confefſarius meus id reſcivit, & mandavit mihi, ut concederem meis ſociabus, quòd tantâ à me petebant animi demiffione, & bono ſpiritu, ſive jam hoc exequerer verbo, ſive ſcripto, quòd haberent ad manû, & unde magis proficerent. Sic fui compulſa, paucas iſtas ſcribere lineas. Utinam res hæc cedat ad gloriam Dei, & Sanctiſſimæ ipſius Matris, cui ſit laus æterna.

Chariſſimæ Sorores & amicæ meæ in Domino, ut animæ veſtræ, ad gloriam magni Dei noſtri, progrediantur, & creſcant celeriùs in ſuo profectu, rogo. vos per Deum Dominum noſtrum, quem cor veſtrû amare deſiderat, & ſerviſendo honorare, conſiderate attentè, ſempèrque præ oculis tres habete res, ſeu puncta, ex quibus magnam capietis utilitatem, ad finem vobis à me propoſitum.

Primum eſt, conſiderando penetrare miſeriam, & nihilum, ex quo ſumus condita, & quàm nihil valeamus abſque auxilijs Divinæ gratiæ; contemnere nos ipſas

ob hanc veritatem, & humiliare uſque ad pulverem terræ, proprium locum noſtrû, quòd nobis eſt revertendum.

Secundum punctum eſt, attentè expendere æternum & infinitum amorem, quo nos Deus & Dominus noſter eſt à ſua æternitate proſecutus: jam enim tum nos creare decrevit, ut faceret animas noſtras ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, niſi que per ſuam miſericordiam collocaret in Sancta Romana Catholica Eccleſia, conferendo nobis lumen Evangelij. Extraxit nos ex abyſſo noſtræ miſeriæ & nihili, ad tam excelſum finem, quàm eſt, ut ipſum poſſemus videre, eòque frui in æternum, niſi illo culpâ noſtrâ excidamus. Quandoquidem pro hoc ſine obtinendo nobis tot, ac tanta præſtat auxilia, & tam magna confert beneficia, ad eòs ſingulares gratias, ſicut novimus, præter multas alias, quas nunc non videmus, neque cognitione noſtrâ aſſequi poſſumus.

Tertium erit, conſiderare ſpecialiſſimè impenſum illum amorem, quo nobis hic Dominus noſter dedit unigenitum Filium ſuum, ut eſſet Redemptor, Magiſter, Dux, & exemplar, atque omne bonum noſtrum & ſolatium. Deinde verò ponderare amorem, qui idem Dei Filius ſe nobis totum donavit, jam inde à præſepio uſq; ad crucem, & quomodo ardentiffimè ipſius charitati non fuerit ſatis, quòd nobis deberit ſuam ſanctiſſimam vitam, totumque ſuum pretioſiſſimum ſanguinem, ſed voluerit nobiſcum permanere uſque ad finem mundi, ſub velo ſacramentalium ſpecificorum, quam ob cauſam etiam protulit illa amabiliſſima verba: *ſi illos dimiſero jejunos, deficient in via, quia aliqui venerunt à longè.* & alio loco dixit amicis ſuis: *Deſiderio deſideravi manducare hoc Paſcha volucrum.* manifeſtando ſic ſui amoris ardorem, quaſi illi ſerò videretur advenire hora, ut ſe pro redemptione noſtra traderet in manus peccatorum.

Quòd hæc præcipua tria puncta vobis magis ſint proficua, & efficaciùs vos venent ad finem, in quem tendimus, vehementer opto, chariſſimæ Sorores, ut illis adjungatis tria alia puncta, ſeu media, quæ

erunt potentissima pro consequendo bono, ad quod anhelamus.

Primum est, assumere in protectorem, dominum, atque moderatorem hujus spiritualis operis Dominū Deum Trinum & Unum, orando humiliter Patrem æternum, ut vobis communicet suam potentiam, pro perficiendo hoc profectus vestri negotio, ad majorem ipsius gloriam & honorem. Sanctissimum autem Filium, ut vobis concedat suam virtutem, ad concipiendum affectum & fervorem, qui requiritur, ut animosè consecutionem tam sublimis finis aggrediamur. Spiritum quoque Sanctum, ut vobis eapropter impertiat lumen, fortitudinem, & impigram diligentiam.

Secundum, & potentissimum medium, ad fundandam spem nostram, est, assumere in advocatam & patronam vestram, Sacratissimam Virginem & Dominam nostram, quam Divina Majestas adeo benignis, & benevolis respicit oculis, ut nihil non sit impetratura ab ejus bonitate & misericordia.

Tertium in primis utile, & proficuum ad hoc obtinendum est, humili affectu rogare Sanctum Angelum vestrum Custodem, ut vos adjuvet ac tueatur, roget, atque obsecret Divinam Majestatem, quò vobis largiatur spiritum & perseverantiam, ad consummandum perfectè hoc opus, & perficiendam fabricam solidarum, ac perfectarum virtutum, directis omnibus ad ardentissimum amorem divinum, qui est clavis, quæ clauditur istud tam admirandum ædificium.

Hac viâ, charissimæ Sorores, affectuum & considerationis, consequemur, operante divinâ gratiâ, à magno Deo nostro & Domino, quod optamus. In his punctis desidero, ut vos sedulo exerceatis, quia confido in Dei bonitate, ingentem vos ex illis hausturas fructum, & utilitatem pro vestris animabus. Ille id propter semetipsum præstet, milliesque & millies benedicatur ac laudetur. Amen.

Ad demonstrandam veram virtutis viam, & proficiendum in exercitijs, quæ spiritum solidè corroborant, multum refert, ponderare

monita, quæ hæc Virgo scribit in epistola ad quendam Religiosum, qui ad ipsam direxerat certam personam, ut eam examinaret, ferrèq. judicium de ejusdem spiritu. Epistola ad verbum transumpta hæc est.

Hactenus non retuli Paternitati tuæ, quæ mea fuerit sententia, de famula Dei, quam tua Paternitas ad me misit, donec bene expenderem casum, Deoque illum commendarem. Dico autem, mi Pater, plurimum mihi placuisse ipsius virtutem, probitatem, & candorem, nec non ferventem ejusdem spiritum, & ardentem affectum divini amoris, quibus anima illius est prædita. Quia tamen hæc spirituales materiæ sunt tam profundæ, ac difficulter penetrantur & intelliguntur, opusque est illas magnopere explorare & considerare, invenio hæc nonnulla laudabilia, & alia, quæ indigent ponderatione. Optima siquidem, & perfectissima conditio spiritus est, quod affectus, & ferventes motus amoris Dei, mancant in intimo recessu, seu suprema parte animæ, atque ita operentur, & radices agant, ut non perstreant, ac tumultuentur in parte ipsius inferiore, aut in sensibus externis, privando illos suis naturalibus operationibus. Si namque permittamus, ut affectus suum, quod ajunt, attingant scopum, arrogant sibi dominium nostræ animæ, & ejus potentiarum; cum tamen contrarium fieri oporteat, eò quod illis debeat dominari anima, ut melius exequatur, ut exerceat virtutes. Hæc Dei famula, multum de eo, quod ad rem præsentem attinet, meâ opinione, habet: quandoquidem, ut est adeo simplex, sincera, & bonâ ducitur intentione, omnia amplectitur tanquam profecta à Deo, non considerans, unde exteriores ij proveniant tumultus & strepitus, quos tua Paternitas in ea advertit, qua ex re ingens potest percipere damnum, nō solum quoad actiones naturales, sed ipsum quoque spiritum: omnis enim naturalis passio, quæ deviat à regulis prudentiæ (hæc verò est, quæ omnes virtutes & affectus perducit ad maturitatem) adfert perniciem & nocentum.

Frequentissimè nobis, Pater, accidit, quod

quod Paternitas tua melius novit, ut spiritui, licet sit bonus, se admisceat natura cum suis propensionibus, suum sequens genium. Unde fit, ut, nisi magna adhibeatur cura, iste spiritus, tum propter novitatem, & exiguam hujusmodi rerum experientiam, tum etiam ob grandia diaboli stratagemata, abducatur in errores, malisque innitatur fundamentis. Magni verò refert, bene illum fundare in principio, ut evadat robustus, generosus, liber, & dominus suorum affectuum, ita ut in operando ac judicando possit esse ambidexter: volo dicere, ut possit prodesse vitæ activæ & contemplativæ; ut non inebrietur & satiatur modico vino divini amoris, verum sit aptus ac animosus ad plura & plura à Deo accipienda, quin statim anima prosternatur, & fiat instar trunci, quâ ratione se deprehendit propè ad omnia esse inhabilem.

Remedium, pro consolidandis hujusmodi spiritibus est, quod adhibere solemus in fabricis, ac proinde dicimus: Non extruitur ædificium solidum, quia debilia habet fundamenta; ideòque, priusquam altius assurgat, necesse est ut diruatur, & nova illi bona fundamenta substruantur. Idem hîc dico. Applicemus denuò hanc famulam Dei orationi solidæ & ordinatæ, qualis docetur à Sanctis, & quando illam occupant ij vehementes affectus, à quibus extra se rapitur, reprimat ipsos, seque inde abstrahat, & si fuerit opus, intermitat tunc orationem, conferatque se ad externa opera charitatis, & officia humilitatis. Quamvis etiam sibi videatur esse abalienata à sensibus, & non posse resistere, perseveret, ac inferat sibi vim: plerumque enim ista sunt naturales fragilitates spiritûs, ubi insuper secretissimè consuevit subingredi diabolus. Quod si hæc famula Dei id seriò & promptè egerit, consequetur paulatim cum divina gratia, quod optat. Licet autem ipsa ex sua parte conatum hunc adhibere debeat pacatè ac suaviter, & confidendo in Deo; Paternitas tua nihilominus se ei exhibeat aliquantum asperam, ac si talia, & exteriores strepitus, atque extraordinarios, parvi, vel nihili face-

ret; adeò tamen discretè; ut illam rigore non nimium contristet ac affligat: nam in his rebus extraordinarijs crediderim, non intervenire culpam, sed naturales hujus personæ defectus, quos ipsa, quia est incerta, nescit agnoscere. Hunc in modum oportet Paternitatem tuam perseverare, in regenda ista anima. Si enim in ea operatur Deus, polliceor illi, non perdituram propterea ipsius favores, inò cumulationes consecuturam.

Advertendum est, si hæc industriâ utendo non obtinuerim victoriam, quam exoptamus, atque illa in dictis externis strepitibus permanserit, existimandum esse, quòd sint permissiones Dei, & altissima ipsius judicia: toleranda erit & adjuvanda, sicut infirmus, qui patitur in vitis. Deus sit benedictus, juvètque nos omnes per suam misericordiam, doceat, ac illuminet, prout indigemus. Deo gratias, &c.

In alia epistola non solum docet rejicere anteriores motiones, sed etiam omne rerum singularium, & revelationum deponere desiderium in oratione, commendans eam quæ est solida, proficua ad eradicanda vitia, & inserendas virtutes, versaturque in expendenda vita Christi Domini. Scripsit illam epistolam ad quoddam Monasterium Hispania, quod multa fuit passum, propter commissos in hac materia errores. Quamvis autem complures exierint hujus famula Dei epistola ad prædictum Monasterium, in quibus nomine Dei præmisset Moniales, de vitandis occasibus, & competenter instruit, nè incidant in lacunam, quod postea evenit: quia tamen attingunt materiam scabrosam, & exprimunt personas, meritis judicari esse reticendas, tantumque hæc referendam, quæ nullum speciale adfert incommodum, & communem, atque omnibus utilem continet instructionem. Ita verò in ea Ven. Marina loquitur.

Deus sit in anima Reverentiarum Vestrarum, & largiatur vobis suum sanctissimum, atque divinum amorem. Domine & Matres meæ charissimæ, plurimumque in Domino Deo nostro dilectæ, Abbatisa & Priorissa &c. Significo Reverentibus Vestris, totique isti sancto Conventui, quòd mihi Majestas Domini Dei nobis

indiderit affectum & efficax desiderium, alloquendi nomine ipsius hisce lineis Charitares Vestras, ut per hoc alloquium, conferente illi eodem Domino virtutem, animæ nostræ perficiantur, divinæque ejusdem accendantur amore, & idem Dominus ac Deus noster honoretur, & glorificetur in nobis suis pauperibus creaturis.

Dico autem, Matres & Dominæ meæ, ad gloriam Dei, & confusionem meam (cum ex omnibus mihi concessis gratijs tam parum & malè sciverim proficere) animam meam per primos triginta ætatis meæ annos, semper fuisse à suo Deo ductam ad pedem crucis Jesu Christi Domini nostri, in ea pro salute nostra & remedio affixi. Ibi mea anima diligentissimè attendebat, & oculos suos fixissimè dirigebat ad illum Dominum & Deum suum, cujus Majestas ipsam ex hac sublimi & divina cathedra perpetuò imbuebat istà admirabili, summèq; proficuâ doctrinâ: Qui se humiliaverit, exaltabitur à suo Deo, & qui se exaltabit, humiliabitur. Idem Dominus plurimas agebat gratias æterno suo Patri, quia sua altissima arcana & mysteria revelavisset, ac manifestavisset humilibus, atque ea abscondisset à sapientibus & potentibus, exiguâ prædicitis humilitate. Ruminando hanc tam præclaram doctrinam, meque ei per considerationem, & divinam illuminationem, quodammodo totam immergendo, inveniebam tria principalissima, & admodum utilia animæ.

Primum est, magnus ille & inestimabilis pretij thesaurus, sub terra humilitatis, & in profunditate cognitionis sui ipsius, latens & clausus, ubi aperitur fossa, ac jaciuntur solida & firma fundamenta, pro ædificio excellentium, solidarum, & perfectarum virtutum, unde gradatim ascenditur, ad perfectum amorem divinum, & familiarem animæ cum Deo consuetudinem, quæ est clavis claudens hoc divinum ædificium. Alterum erat, quod meæ animæ suggereretur ab exilio, in quo homo degit, ac est tantopere à Deo remotus, dum eget, atque caret hoc prædicto thesauro: quàm facile videlicet, atque occultè occupetur à tinea vanitatis ac superbiæ,

& alijs hujusmodi defectibus; quantum Deus ab hac mala vermium colluvie abhorreat, eamque aversetur, avertendo ab homine suos oculos, privando ipsum suâ familiaritate & consortio, quod est summum omnium malorum, quæ anima patitur. Tertium denique, quod mihi in ista consideratione occurrebat, erat sinceritas amoris, quo animam ferri necesse est erga suum Deum, purè propter ipsum, ità ut in quibuscunque suis rebus, magnis & parvis, semper pro suo fine & scopo habere debeat majorem gloriam hujus Domini, eique soli mori & vivere, quærendo in omnibus ejusdem beneplacitum, absque admixtione ullius, seu terreni, seu cœlestis commodi, adeò ut sit instar aquæ, quam omnis esse oportet expertem saporis, ac talem, ut se solâ satisfaciatur, & sitim sedet.

Hoc in vita spirituali considerare, & quàm accuratissimè observare, plurimum refert, ità ut nemo in alloquijs internis, revelationibus, & visionibus mysteriorum quidquam velit, ac revera aliud querat, ulli rei afficiatur, aliquid ampliùs optando, quàm majorem suæ animæ profectum, ad gloriam sui magni Dei. Conetur sese quicquid immergere in profundam miseræ & sterquilinij sui abyssum, radendo suam lepram testâ suæ vilis terræ. Timeat ac trepidet audire extraordinaria alloquia, videre & intelligere supernaturalia, quæ exiguæ ipsius & limitatæ non conveniunt capacitati. Quodsi Deus cuiquam similia obtulerit, petat ab eo veniam ac facultatem, adeatque ordinariâ viâ suum Deum, roget illum sincero affectu, nihil aliud admiscendo, ut ipsi impertiatur suum divinû lumen ad bene procedendum, ut cognoscat illius veritates, & in omnibus exequatur sanctissimam ejusdem voluntatem. Nec verò metuat anima, ut hac ratione perdat suum Deum: quin imò vel maxime illum adipiscetur, siquidem iste Dominus novit, pro sua infinita sapientia, quomodo, & quando debeat animæ præstare gratias, ipsâ penitus nihil se ingerente, nemineque alio, quàm solo Deo agente, qui in ea vult operari suas misericordias, & sua illi conferre dona.

Ità

Ita se res habet. Si aliã viã procefferit, proxima erit errori, ac deceptioni. Obferuet anima silentium, verfetur fola cum fuo Deo; non affectet notitiam myfteriorum, non loquatur de revelationibus. Nam, quod ad me attinet, fi quis eft facilis in ijs referendis, vehementer timeo, nè illas non habeat veras: Deus enim Dominus nofter eft fpiritus, & plerumque ingenerat animæ affectus fpirituales, qui funt fecretiffimi. Fugiat anima, quantum ipfi fuerit poffibile, extrema, fingularia, & nova, quæratque Deum perfectè, fed viã ufitatã, quam doceimur à Sanctis, & ejus Ecclefia, hac enim illum, & ipfius veritates reperimus. Ipfe fit in æternum benedictus, qui tantam nobis in ifta fua Ecclefia,

& in fuis Sanctis reliquit doctrinam, idẽmque nos illuminet, adjuvet ac edoccat, ut in omnibus aftequamur fanctiffimam ejus voluntatem, finẽ qua, & divina ipfius gratia, nihil fumus, nihil poffumus, nihil valemus: atque Reverentifs Veftris, Matrem meã chariffimã, det fuum divinum fpiritum, adjectis magnis gratiæ fuæ augmentis, & fit Charitatum veftrarum animabus vita æterna. Vallitoleti, decimã quintã Maij.

Humilis ferva Reverentiarum
Veftrarum &c.

Hactenus Venerabilis Marina in prima fua, ad illud Monafterium, fcripta epiftola, cui utinam fuiffet fides adhibita!

CAPUT XXIV.

Aliquot vifiones, & monita, quibus continetur inftructio conducens ad regimen publicum.

Non folum Dominus DEUS nofter hanc Virginem erudit doctrinã morali, quam vidimus, directã ad reformationem morum, & profectum in particularibus virtutibus; verum dedit illi etiam monita cæleftis Politie, fpectantia ad Republicas Catholicas, earumque regimen. Quamvis autem multa hujus generis lecta fuerint fuprà, referam nihilominus prefenti capite nonnulla infigniora, & fingularem ad idẽm propofitum continentia inftructionem. In quodam fcripto, fextã Aprilis, anno fexcentefimo vigefimo fexto, fic inquit.

Feriã fecundã, fextã hujus, vidi infinitos Angelos, qui circumire videbantur omnia Regna Fidelium, omnes erant quafi in cohortes validiffimas difpofiti, & elegantiffimè exornati, non minorem exhibentes generofitatẽ, quã venustatem. Obfervavi, explodi ab ipfis fpecialiffimã dextetitate felopos ad verfus Infideles. Oftentum quoque mihi fuit, confinia Provinciarum, quas hæretici incolunt, & alij infideles, occupari à copiofis dæmonum turmis, qui fuis etiam jaculabantur bombardis, fed

longè diverfo modo: dæmonum namque machinæ incutiebant terrorem, ac tremendum edebant ftrepitum, Angelorum autem refonabant fvaiffimè, videbaturque is fonus exhilarare aures. Interea ille cohortes Sanctorum Angelorum efformaverunt quandam veluti crucem, diftribuit in duos ordines, & ceperunt me verfis proficifci, pulfantes fua tympana, cantetque fiftilis, ac honeftiffimè & graviffimè gradientes. Antecedebant Sancti Archangeli, S. Michaël, S. Gabriel, S. Raphael, & cum propè infinita horum cæleftium militum multitudo petranfiviffet, adverti poft omnes procedentem Jeſum Christum Dominum noſtrum, quem eatenus non videram. Comitabantur Eius Majefatem nonnulli Patriarchæ, Prophetæ, Apoftoli, Evangeliftæ, & Fundatores Ordinum Religioforum, ex alijs autem Sanctis veniebant pauciffimi, quos inter erat S. Pater Ludovicus de Ponte. Poſtquam mihi Dominus appropinquaviffet, ſubſtitit, impertiens mihi, omnibusque illis, quæ erant in meo cubiculo, tantam ſancam benedictionem, & progrefſivulterius aſcendit cū toto eo ſacro comitate

ad ecclesiam Ierosolymam, ubi sese universi, etiamque ipse Dominus quia homo, prostraverunt coram Patre aeterno. Magnus hic Deus & Pater dedit omnibus suam sanctissimam benedictionem, & Filium suum Christum IESUM praeterea est amplexatus, summoque cum amore ac majestate illi dixit: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Circumspexi deinde (prout tum Divina Majestas disponit) & vidi, omnes eas catervas diabolorum se infra moventes ad proficiscendum, quemadmodum fecerant Sancti Angeli, sed movebant se, alij alios sequendo, instar damnatorum ad triremes, vinctorum suam catenam: cumque multum conarentur progredi, nihil proficiebant. Licet enim ad aliquot passus procederent, totidem passibus rediebantur. Cum autem adverterent suam imbecillitatem, ad exequendum suum propositum, tanta erat ipsorum indignatio & rabies, ut se mutuo invaderent, mordendo se more canum. Anteriores, qui erant instar ducum, & specie externam magis proceri, robustiores, & crudeliores, conquerebantur de caeteris, aspernantes illos objugando, tanquam pusillanimes, & ignavos; hi vero querebantur de illis, deique eorum inertiam, eod quod primum obtinentes locum, non aggredierentur strenue & generose suos hostes. Tandem postquam acti in furias fuissent aliquamdiu hunc in modum rixati, ijdem diaboli, sicut fieri solet, dum aliquid grave magno impetu cadit ex alto, non valentes subsistere, ruerunt in regiones infidelium, quae, ut intellexi, erant in Imperio Turcico, ubi videbantur quiescere, cum ibi nemo reperiretur, qui nefandis ipsorum repugnaret conatibus.

Postea conversa ad Deum (quia animadverti, quod mihi vellet ostensa mysteria declarare) audivi illum haec dicentem: Scito, omnium istorum haeticorum, & infidelium propositum tendere, ad eliminandam ex mundo fidem Incarnationis tui Filij, ejusdemque conceptionis per-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

actae operam Spiritus Sancti, & veritatem realis praesentiae in Sacramento Altaris, ac propterea illos conspirare, & inire foedera, contra Catholicos. Itaque, mi Domine, ajebam ego, cum sic se res habeat, bene fiet, si Principes Catholici collegerint copias, & formaverint exercitus, ut eos aggrediantur. Dic mihi, respondit Dominus, si quis in foro videret duos tauros feroces, possentque se recipere in theatrum, quid illi esset agendum? Prodessetne eos invadere, ut subnervarentur; an verò se constituere extra periculum? Mi Domine, reposui, clarum est, temerarie acturum, qui hos tauros aggredieretur, tam manifesto se exponens periculo perdendae vitae. Sic autem se hic res habet, dixit Divina Majestas: cum hostes sint adeo potentes, melius fiet, si sua defenderint confinia, & fuerint quieti. Bene est, subjunxi; attamen quis contra te potest prevalere? Contra me, respondit Dominus, nemo: verum non sunt ea apud me Fidelium merita, ut eorum causam invertam communem rerum cursum, vel ut inter me & inter ipsos interponam quampiam aniculam, quae illos protegat à mea indignatione. Domine, dixi tum ego, necesse profecto est, ut, pace tua, agam apud te advocatam, ne castiges tua Catholica Regna, sed ut illa defendas à suis hostibus. Quod ego faciam, respondit Dominus, erit, ut te auferam ex mundo, ne id agas.

Hoc mihi cum Deo agenti evenit, à quo intellexi, sicut alias praeterlapsis diebus dixeram, non expedire Regi Hispaniae, ut invadat Angliam, sed ut sua tueatur confinia, atque defendat, & sit quietus. DEUS nobis impertiat lumen, ut nos conformemus cum ipsius voluntate.

Qua sequuntur, scripta sunt anno sexcentesimo trigesimo secundo, initio Julij, undecim mensibus, antequam hac Virgo migraret ad meliorem vitam. Pater Michaël de Orenja apponit sua manu in margine haec verba: Istud scriptum continet ea, quae Ve-

R r

ne-

nerabili Marina acciderunt versanti cum DEO, quando Rex Svecia gerebat bellum in Germania, & Hollandi invaserant Trajectum. Hactenus illius Confessorius, qui cum ipsa coram conferebat de omnibus specialibus circumstantiis, quas illa in suis scriptis non exprimebat. Dicit porro Virgo taliter.

Dum anima mea versaretur in Dei præsentia, vehementer dolens, tenerèque Deo conquerens, quòd permitteret, tametsi gravissima essent nostra peccata, ut hæretici tantâ pollerent potentiâ adversus Fideles ipsius Ecclesiæ, addidi cum magno sensu ac dolore: Tot urbes, tot munitiones & regiones, mi Deus & mi Domine, perdidisti, quas inimici nostri occupaverunt. Verè, Domine, ignoro quomodo id facias, tantâ nos exercendo afflictione & angustia. Non potest sic esse, neque ita fieri oportet: per infinitam bonitatem tuam & misericordiam miserere populi tui Catholici. Hæc & similia verba repetebam, atque cum ardenti affectu, quem ipsemet Deus in meo corde excitabat, conclusi dicendo: Necessè est me illuc, Domine, cum tua venia, pergere, necessè est me eò ire, & interficere ac disperdere illos hæreticos, ita ut hac in re præstem, quidquid tuâ, adjuvante gratiâ, poterò. His dictis, mea anima videbatur jam velle abire à conspectu sui Dei, ut se conferret ad eas ditiones. Videns me Deus ita comparatam, dixit mihi graviter: Quid dicis Anima? videris non esse tui compos. Nullo modo perges ad istas regiones, atque de hoc esto certa. Omnino, Domine, agebat mea pauper anima, per mitte me pergere. Non perges, Anima, subjunxit Dominus, neque tua profectio quidquam prodesset; noli mihi nunc esse importuna; verè enim tibi dico, incolas illarum urbium rescituros, quem lacescant, & meæ justitiæ suam esse debere locum. Scito, me in ijs urbibus fuisse graviter offensum peccatis illorum, quos vocatis Catholicos. Non sunt enim omnes mihi ita fideles, sicut existimatis, ideòque nè mihi hac de re loquaris. Necessè est, ut comburam & consumam paleam, purum autem triticum

claudam in horreis meis: & nemo attinget electos meos, quia etiam capillos capitis ipsorum dinumeravi, & nullus peribit; Angelis quoque meis mandavi, ut illos portent in volis manuum suarum, nè cespitent pedes eorum. Novetis perterea, esse valde necessarium, etiamque incumbere Regibus Catholicis, & Principibus Fidelibus, ut constituerint, & iam constituant Gubernatores quàm fidelissimos suo DEO, suoque Regi: alioquin enim hinc summa oriuntur damna. Ex quamvis mihi esset gratum, si id incideres; tace tamen: quia nihil profunt, neque profuerunt, quæcunque ipsis nomine meo sunt dicta, quanquam sufficientes haberent rationes, ad ea credenda, tum quia non aliter senserunt in suo corde, tum quòd sint experti, quid ipsis propterea evenerit: unde tantæ fuerunt ortæ desolationes, paupertas, & ruina populi Christiani.

Mea anima audivit omnes hos DEI sui, gravissimè, ac tam divine, adeòque patheticè prolatos sermones, ut fuerit ætonita, summèque obstupuerit, & idcirco se prostraverit ad pedes sui Domini. Quantumvis autem anima mea nihilominus retinuerit occultam confidentiam, erga bonitatem illius magni Domini, à quo confortabatur, animadvertens tamen, quòd Dominum initio, ut mihi videbatur, fuissem audacter, & incautè allocuta, rogavi illum, ut mihi ignolo: retinuerim inurbanitatem. Bene est Anima, agebat Dominus, bene est: non tam sola fuissem locuta, quàm tibi videbatur: Sis in æternum benedictus, dixit tum mea anima, quia hoc tuo dicto me es consolatus. Existimo certè, quòd propter tantam tuam bonitatem, plumbeos habeas pedes ad nos castigandos, neque te possis vincere, ut id facias, & quòd te geras in tantam amantis cujuspiam patris, dum is, filio promerente ut castigetur, tantam ea in re tantam difficultatem, ut dicat famulis accipijs: Volo hunc puerum terrefacere, & quamvis illum possem punire, utæ nihilominus benignitate, ideòque tantum simulabo correptionem; vos autem alie-

advenietis, ut conciliatis pacem, ipsūq; è meis manibus eripietis. Hanc firmam confidentiam, mi Deus & Domine, quavis occasione erga te semper habere cogito, & nomine omnium dicere illud Jobi: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Interim mea anima est passā profundam celsatim, & postea sibi restituta non cessabat agere Deo suo gratias, illumq; benedicere propter omnia ipsius opera, & misericordias. Amen.

Huic scripto invenio adjunctum aliud, ejusdem anni & mensis, ubi P. Michaël de Orenja adnotat, quid Venerabilis Marinae quoad dicta bella evenerit. Licet verò minus contineat instructionis (quod nostrum nunc est peculiare argumentum) quia tamen concernit præmissa, volui illud hic apponere, ut appareat, quantum hac Virgo suis precibus juverit, ut furor Suecicus cohiberetur. Sic itaque suā manu scribit Pater Orenja. Die S. Anna, anno sexcentesimo trigesimo secundo, quo id scribitur, Venerabilis Marina mihi dixit, se ante octiduum vidisse, quod grandis armatorum Angelorum exercitus fuerit egressus è caelo, cum vehementi tympanorum, tubarum, ac fistularum strepitu, & pulchro ordine proficiscens processerit ad eam regionem, in qua manent exercitus Catholici & hostiles, quodque isto Angelorum exercitu conspecto, innumerabilis ibidem existens cohors diabolorum deseruerit suas stationes, idemque diaboli incredibili celeritate fugientes, se precipitaverint ad mare, ac descenderint sub aquas, ita ut illos tuum ultra non conspexerit: Sancti verò Angeli, postquam fecissent quendam circuitum, veluti ostentantes suam potentiam, redierint ad cælum. Alia die vidit eos demones, qui se immerserant aquis, prodivisse ad terram, veram tanquam contritos, afflictos, & viribus fractos. Dixit præterea Venerabilis Marina, se nudius tertius, in vigilia S. Jacobi, vidisse prodeuntem ex caelo eundem exercitum Angelorum eodem, quo dictum fuit, modo. Non conspexit tunc demones, vidit tamen, multos ex innumerabili eo exercitu caelesti, remansisse inter milites Catholicorum exercituum. Contemplabatur ipsos, factaque suā supputatione, prout illi id hic representabatur, videbantur ei contra quateros hostes mansisse singuli An-

geli. Cateri regressi sunt ad cælum. Elucisq; ipsius Confessarius P. Michaël de Orenja, ego verò revertor ad materiam nostræ instructionis, & concludo præsens caput epistolæ hujus Virginis ad virum illustrem ex Proceribus Hispania, ac Ministrum Regis Catholici Domini nostri, absentem, optantemque redire ad agendam vitam privatam, relicto officio publicis. Monet illum, non semper convenire, ut honorifica deserantur ministeria ab eo, quem Deus requisitis dotibus instruit, & liberat ab ambitione, sed ut ea obeat ad Dei gloriam, & in obsequium sui Regis. Sic autem loquitur Venerabilis Marina.

Deus sit in anima Tuæ Dominationis, largiatūque tibi suum sanctissimum & divinum amorem. Mi Domine, accepi binas Tuæ Dominationis, & gratiæ loco habeo, quod me certiore reddas de tua valetudine, quanquā doleam, illam non esse tam integram, quam desidero. Spero in Deo, te, ubi redideris in Hispaniam, melius habiturum. Deus Dominationem Tuam deducat ita prosperè, ac ego in miserabilibus precibus meis ipsum supplex oro: magno enim mihi in Domino est solatio, quod mihi Tua Dominatio scribat, te brevi discessurum, multoque magis quod mihi significes, quis tuus sit spiritus, & quæ bona animæ tuæ desideria, quibus summè optas, ut quietè, & absque negotijs Deo quam ferventissimè possis servire. Verumtamen, prout Dominatio Tua dicit, tandem unumquemque oportet in suis rebus exequi, quod decreverit, ac disposuerit Deus. Quandoquidem, mi Domine, talenta, quæ magnus iste Deus cuius imperitur & committit, non sunt sepelienda, neque lucerna ponenda est sub modio, sed necesse est ijs uti, & impendi debent, quemadmodum exigit major honor & gloria, amor ac obsequium ejusdem Domini, atque ad majus beneplacitum sanctissimæ ipsius voluntatis, defixis semper oculis in hoc felici ac divino scopo, in quo unicum animæ nostræ consistit bonum, & æterna ejusdem beatitudo. Ego, mi Domine, soleo dicere, quod sanctæ occupationes, officia utilia ac necessaria, quæ habent Reges, & in suis Rebus publicis injungunt

Vita Mar. de Escolas P. 11.

R 2

clien-

clientibus, homines non reddant malos aut imperfectos, sed malus illorum usus, dum non exequuntur Divinam voluntatem, & leges ac præcepta Dei Domini nostri, ita ut impleantur & perficiantur ad literam, ut ajunt, atque sine glossa. Cum autem credam & confidam in Deo, Tuam Dominationem progredi, & profecturam hac viâ regiâ & securâ Divinæ voluntatis, & observantiæ sanctissimorum ipsius præceptorum, non magnopere sollicitor, aut doleo, quòd te videam occupatam obsequio Regis, cui servire debemus,

tanquam naturali Domino, cum talem nobis ipsum dederit supremus Rex Regum, & Dominus dominantium. Benedicta sit Ejus Majestas in æternum, decore Tuæ Dominationi suum sanctissimum imperitum, ac divinum amorem. Magnæ mihi curæ est, & erit, ut faciam, quod à Dominatione Tua jubeor, in meis miseris conditionibus. Singulari affectu sum solatio, quòd Domina mea Agnes, & parvulus Domini eâ fruatur valetudine, quam ipse exopto. Deo gratias, qui Dominationem Tuam conservet. &c.

CAPUT XXV.

Docet, quantum boni reperitur in tolerantia ad verforum.

Cum hac Virgo tantas, adeoque exquisitas adversitates, tam asperos & iniustatos cruciatus amore sui Dei sustinuerit, dignata est illi Divina Majestas, ad animandam ipsam, ostendere in nonnullis visionibus thesaurum absconditum, qui inest cruci, & quomodo afflictiones patienter tolerate, sint fodina, ex quibus magis quam undecunque, suas anima eruit spirituales divitias. Quamvis autem multa hac de re fuerint dicta, recensebo tamen brevi isto capite quadam specialia exempla hujus virtutis, quibus excitemur & instruamur, ad gloriose audendum aliquid, ut cum Christo Domino, amabilissimo Servatore nostro, patiamur, ad quod nos animare debemus metu incurrende pene, ut ne primum quidem in via perfectionis gressum faciamus. Sic verò Veni: Marina loquens de eo, quod evenit in Novembri anni millesimi sexcentissimi vigesimi sexti, ait.

Transégi ultra quindecim dies in magnis doloribus & cruciatibus corporis, ita ut noctu diuq; ne momento possem quiescere. Videbar mihi deponi ex meo paupere lecto, & collocari supra quiddam, quod erat durissimum. Adfuit festum S. Andreæ Apostoli, & Deus mihi tum explicuit causam hujus afflictionis. Conspexi grandem crucem, tam altam, ut adæ-

quaret altitudinem hujus mei cubiculi: erat gravissima, quia stabat erecta, atque tota meo pectore incumbebat. Angeli mei Domini ad me venerunt, & ita in longum exportectam, ut jacebam, cruce prædicto modo pectore inlidente, me tulerunt ad cœlestem Jerosolimam, quòd pervenientes, abstulerunt ex me crucem, eamque reliquerunt foris, & introduxerunt me in eam beatam civitatem, ac præsentaverunt Deo, cujus Majestas me perbenigne & amanter excepit dicendo: Bene venis amica mea, deditque mihi suam sanctissimam benedictionem, & mea anima quæ evolavit instar columbæ, ac introivit in illud Divinum Esse, ubi diu fuit fructu ineffabilibus bonis. Postea sum ducta à meo Domini Angelis ad meum angulum. Cum illos interrogarem, cur non fuisset ingressus in cœlum cum cruce, quam utique ad eam portam tuleram, responderunt mihi, in cœlo non reperiri, neq; illic ingredi cœcem, eò quòd ibi nihil aliud reperitur, quàm quies, crucem verò ferendam ac tolerandam esse in hac vita.

Post paucos abhinc dies, perseverantibus semper molestiis & cruciatibus meo miserabilis corporis, vidi me in meo lecto jacere extensam super crucem, ubi acerbissimos dorsi, humerorum, & brachiorum patiebar dolores, meòque pedes sur-

Etiam esse positus supra pedem crucis. Videbam præterea crucem sustentari à quatuor Angelis, in quatuor ejusdem extremitatibus, quasi illam aliquantum elevarent, nè contingeret lectum. Hoc modo constitutam me secundò tulerunt ad cœlestem Patriam: ferebant me tamen per amœnissimos velut campos, abundantes delicijs & gloriâ, ubi tanquam ex occasione, magnâ sum fruita sva vitate, ob quam vehementer respiravi, & spirituali sui affecta voluptate. Ibi crux remansit, & Angeli ingressi cœlum me præsentaverunt Majestati Dei Domini nostri, qui me benevolentissimè suscipiens, & quodammodo simulans se nescire, quid mecum actum fuisset, mihi valde amanter dixit: Unde venis Anima? quomodo venis? Ego magnâ sinceritate & simplicitate Domino recensebam, qualiter me Sancti Angeli tulerint super eam crucem, per illos deliciosos campos; quanto cum gaudio, & consolatione, ac pace hos pertransiverim.

Nunc te, Anima, plurimum salvere ju-beo, dixit Dominus; responde autem mihi præterea ad hanc meam interrogationem: Quid malles? patine crucem, quam his diebus sustinuisti, an frui delicijs, quas in ijs tam jucundis campis percepisti? elige quidquid volueris, dabo tibi, quod tibi magis placuerit, in eoque satisfaciam, & promitto, me tibi id daturum: adverte verò, quidcunque horum duorum elegeris, futurum conforme voluntati meæ, nè te hoc dubium reddat sollicitam. Audivi, quod mihi à Domino proponebatur, & respondi illi quàm maximo potui meæ animæ affectu, atque ex toto proripsum corde: Mi Domine, hæc vita mortalis non est tempus, aut locus quietis; malo sinè comparatione pati crucem mihi à te impositâ, quàm frui illis delicijs & gloriâ, quæ mihi à te fuit ostensa. Tum mihi Divina Majestas amabilissimè dixit: Fiat, quod elegisti, estq; melius & acceptius oculis meis. Polliceor autem tibi per memetipsum, quòd tibi pro isto actu, quem elicivisti, dū maluisti pati, tot sim daturus gloriæ gradus, quot modò assequi non potes cogitando. Juslit me Dominus deinde reduci

ad meum angulum, prius tamen circumduci per illam cœlestem civitatem, ut recrearer ijs, quæ illic reperiuntur. Quantumvis verò tales, ac tam stupendæ essent illius visionis deliciæ, desiderabam nihilominus, ut abbreviarentur, propterea quòd ardentè optarem tolerare meam crucem: atque ità reversâ ad meum cubiculum, me deprehendi in ea cruce extensam, & sustinui priores dolores, eodèmq; modo in ipsa permaneo, dum id scribitur, secundâ nempe Decembris. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

In fine prælixi scripti, quod jam alibi retuli, ubi Ven. Marina enarrat visionem, quam à Deo habuit quadam die Dominicâ, vigesimâ quartâ Januarij anni sexcentissimi vigesimi septimi, dicit ad præsens propositum hæc verba.

Eadè die, horâ secundâ prometidianâ, post modici temporis somnum evigilavi, sentiens, præter consveta meorum morborum symptomata, gravissimos stomachi dolores, atque tam graves pectoris ardores & dorsi, quàm sentirem, si intrando in materialem hunc ignem, quem videmus, in eo ustularer. Sustinui hanc afflictionem integrâ illâ nocte, perque eam rotam non vidi meos istos Sanctos Angelos, usque ad sequentem diem. Tum ipsis dixi: Ubi fuistis mei Domini, quòd vos non viderim in vehementi hac afflictione? Respondit mihi nomine omnium Sanctus meus Angelus Custos: Hic omnes fuimus præsentès, dum patereris. Quid ergo agebatis? subjunxi ego. Plurimum gaudebamus, dixit ille, & recreabamur, videntes te cum tuis cruciatibus certantem; quem admodum hîc recreantur, qui spectant in foro tauros, dum felicem vident certaminis successum.

Hac in scheda ista loquitur, cujus doctrina multum est conformis ijs, que scribit Apostolus, & Sancti Patres, dum ajunt, Justos in suis tribulationibus esse spectaculum, & velut ludum festivum, Deo & Angelis ejus. Nec ea, que tolerantur, opus est semper esse tam gravis, hominum opinione, quàm sunt illa, que retulimus. Ex rebus, qua in se spectate existimari possent modica, Deus novit graves pro suis

suis amicis cruces elicere, ipsiſque occasionem præbere inestimabilis meriti in eo, quod hic exigui esse momenti judicaremus. Vidimus supra, adeò fuisse naturalem cujusdam personæ agendi rationem Venerabili Marinæ toleratu difficilem (quamvis ab ipsa toleraretur cum magna patientia) ut illam Deus ei spectandam exhibuerit in specie asperi flagelli. De eadem loquitur in fine sequentis visionis, quam his verbis refert.

Feriâ tertiâ, die decimâ quintâ Junij, anno sexcentesimo vigesimo sexto, mihi Deus dixit: Anima veni mecum, & quiesces. Duxit me Divina Majestas secum ad cælum, ubique me constituit in altissimo loco, unde vidi Dominum, & Divinum ipsius Esse quasi solum & se junctum ab universis cœlestibus Palatinis, ubi mihi per claram ac distinctam noticiam manifestavit, quod nos docet fides, & in alijs hujus generis visionibus dixi, quàm sit Deus independens à suis amicis, & quomodo per se ipsum, seque solo sit infinitè beatus, atque ex mera sua immensa bonitate & liberalitate talibus pretiosissimum suæ gratiæ & gloriæ communicet thesaurum. Vidi insuper, qualiter ex Divino hoc fonte singuli haurirent, juxta suum meritum ac statum, & quamvis id, quo ipsos replebat, esset tam multum, ille tamen æquè maneret plenus & abundans, ac antea. Prodivit subitò ex eo summo Esse quædam lux & splendor Divini ignis, qui me corripuit, & occupatam inflammavit, totâque incendit instar ferri, quod impositum in ultrinam totum apparet igneum. Videbar mihi ego ipsa esse fornax ardens amore mei Dei, & interea tam stupendis ac divinis fruebar bonis, ut nequeant ab ulla lingua explicari. Post hoc vidi Majestatem JE su Christi Domini nostri, in cuius sacrosanctas manus corruì quasi exanimis, & quando mihi sui reddita, deprehendi me in meo cubiculo. Dum ad illud perveni, quidam Sanctus Angelus ex supremis mihi ostendit maximam crucem, quæ mihi visa fuit gravissima. Natura suo officio non defuit, & exhortuit, existimans mihi ab ea, more solito, intentari gravem quampiam afflictionem. Tum Angelus

mihi dixit: Anima, nè timeas; licet enim tibi appareat tam gravis, non erit tibi multum molesta. Significavit mihi Dominus, esse eam crucem, quam plerumque sustineo, dum tolero naturalem indolem cujusdam personæ. Ipse sit benedictus, & laudetur. Amen.

Cum magnus iste Deus & Dominus agnoscat, ac aestimet tantopere valorem fructuum, quos anima ipsum amantes eliciunt ex tolerantia ad verborum, benignissimè inquiri modos, quibus, dum nihil habent tolerandum actu, patientur affectu, & quando differi afflictiones, quibus sustinendis par non esset deus natura, confortantur à gratia, ut eas desiderent, atque anima hac ratione idem referant lucrum, quod ex actuali patientia ex se ipsis percipere. Id apparet ex eo, quod Venerabili Marinæ, postremo prope felici & sermosè ipsius vitæ anno, evenit cum Deo, nobis ab ea est descriptum, ut sequitur.

Die Sabbathi, tertiâ Martij, hoc anno sexcentesimo trigesimo secundo, hora circiter duodecimâ noctis, mihi fuit à Deo ostensa terribilis crux, quæ me vehementer terruit, & consternavit, non propterea suam magnitudinem, siquidem tanta solummodo erat, ut ei posset superponi corpus humanum juxta staturæ; sed quòd mihi Divina Majestas in illa reprobaret multas calamitates & afflictiones. Veritabam me inter meas curas & affectus in omnem partem, offerendo me, ac resignando in divinum beneplacitum, quàm optimè poteram. Quanquam vero se anima ab hac visione abstraheret, statim tamen ad ipsam revertebatur, cum gravi naturæ dolore, ac mœstia. Dum igitur quodammodo luctarer cum his timoribus & anxietatibus, vidi illam crucem se inclinantem ad me: appropinquavit autem mihi paulatim ita, ut eam possem amplecti. Tum mihi Deus indicit ingentem animi & promptitudinem; quâ sum eandem circumplexam amplectens, offerens me ad potentiam quidquid Divinæ Majestati placeret. Tum ipsa crux se derepente elevavit, circumplexam admirandis radijs & luminibus respicientem, atque circumdata ab Angelis ascendit ad cælum, donec mihi penitus dispareret.

Interea me Deus est allocutus, & dixit mihi: Noli cogitare Anima, id quod vidisti esse prænuntium magnæ culpam afflictionis, quam à te nunc velim specialiter tolerari, sed fuisse tantum dispositionem ac inventionem meam, ut offerendo te, prout fecisti, ad patiendum cum omni resignatione, crescas in eodem amore, & merito ampliorum spiritualium emolumentorum. Atque ut videas, quid sis modò affecta, veni mecum.

Duxit me sine mora Divina Majestas ad patriam cœlestem, & immensam quandam altitudinem, ubi, quidquid mihi Deus exhibebat, nihil erat aliud, quàm Eiusdem Majestas, & ipsius perfectiones, manifestatæ per quasdam ineffabiles notitias; & postquam, ignoro quamdiu, hoc spectaculo sum fruita, reduxit me Dominus, per quosdam velut gradus, donec tandem redirem ad meum angulum. Ipse sit benedictus. Amen.

CAPUT XXVI.

Utilissimæ quædam devotiones & preces, quas ex cœlo haustas, nos hæc admirabilis Virgo docuit.



Antequam ad alios sublimiores, magisque reconditos, tum dogmatica, tum mystica doctrina, modos progrediamur, quam nobis hæc magna, tantopere à Deo illuminata mulier conscripsit, atq; deinceps ad ingens animarum commodum pertractabimus, visum mihi fuit, exemplis & monitiis moralibus, quæ commemorata sunt, subjungere pias præces & preces, quas Dominus, & benedicta ejus Mater, hanc Virginem docuerunt, tanquam efficacissimas ad placandam Divinam indignationem, atq; ita obtinendum ab immensa Dei misericordia, conveniens omnium nostrarum necessitatum remedium. Placeat ejusdem Majestati propter semetipsam nos confortare, ac disponere, ut eas exerceamus, dicamûs, eâ præparatione ac dispositione, quæ ex parte nostra requiritur: hoc enim modo, sicut prudenti & debitâ pietate credimus, fuisse ad communem utilitatem dictatas à cœlo, ita à Divina Majestate sperare possumus, fore, ut ea, quæ illis fuerunt promissa, videamus completa in effectibus prosperrimis, pro nostris animabus. Exorditur autem Venerabilis Marina hoc argumentum dicendo.

Dum mea anima eliceret vehementes affectus, & ardentia desideria, conformandi se in omnibus rebus, magnis & parvis, cujuscunque modi essent & conditionis, cum Dei voluntate, offerendo ipsi quidquid poteram, meam vitam, meam ani-

mam, & quæcunque à Divina bonitate acceperam, dixi meo Domino: Quid faciam, mi Deus, ut à tua misericordia obtineam tantum bonum, quod omnibus viribus, & toto corde tantopere exopto? Volo, mi Domine, bonâ tuâ veniâ, adire tuam Sanctissimam Matrem, rogatura ipsam & obsecratura, quantum poterò, ut mihi dicat, mæque doceat, quomodo id mihi sit faciendum, qualiter petendum, quod pro me tanti est momenti, & cor meum tam impensè desiderat. Perge feliciter, dixit mihi tum Dominus, magna cum benevolentia, & benignitate. Hoc audito me quantocyus, & ferventi affectu contuli ad Celsissimam Reginam Dominam nostram, atque coram ea me prosterneus dixi illi quàm humillimè: Sacratissima Domina mea, Mater Dei, supplex te oro, ut me doceas, quâ ratione, qualiter, per quem, & quibus verbis mihi à meo Deo sit petendum, quod mea anima tam vehementer cupit, & est, ut me in omnibus conformem cum Divina voluntate. Summa illa Domina audivit, hilari & benigno vultu, meas preces ac petitionem, dixitq; mihi amantissimè: Expecta, Anima, expecta nunc modicum, es enim quodammodo absorpta à tuo affectu. Continuit paululùm, & mihi, quia adeò à meis desideriis impellebar, videbatur tempus longum, quo Celsissima hæc Regina diferebat responsum. Deinde, postquam,

ut

ut existimo, illud negotium contulisset cū Deo, sic mihi cum tenerissimo amore dixit: Anima, audivi tuas ardentēs preces & petitionem, cui respondens, dico tibi, te, dum magnus Deus noster & Dominus in tuo corde excitabit desideria, quæ nunc habes, debere eorum impletionem petere his verbis:

Domine mi Deus, humiliter te obsecro, per illum admirabilem, & excellentissimum actum charitatis, quem hominis causâ eo ipso momento eliciisti, quo in visceribus Mariæ Virginis assumpsisti carnem humanam, ut mihi concedas hanc misericordiam, quam à te peto, & suppliciter flagito, ut tibi cum ea placeam, serviam, teque ex corde amem.

Hæc est oratio, quam me docuit ista magna Domina; hoc medium, quod mihi dedit tanquam efficacissimum, ad consequendum complementum desideriorum, quibus anhelamus ad magnum lumen & cognitionem, ut intelligamus, quidquid est conforme sanctissimæ Dei voluntati, & cedit ad majorem ipsius gloriam ac beneplacitum, quibusque optamus gratiam, ad exequendum & opere præstandum, quod nobis divinum istud lumen dictaverit, nõsque docuerit. Licet verò ista admirabilis devotio & oratio peculiarem suam vim habeat, ad prædictos favores & gratias obtinendas, in gravibus & abstrusis, ac singularibus materijs spiritualibus earum animarum, quæ à Deo ducuntur viâ extraordinariâ; dixit mihi nihilominus eadem magna Domina, fore etiam efficacem, & mirros habituram effectus, in qualicumque persona, quæ eam adhibuerit, ad petendum à Deo, quidquid concernit salutem, & majorem profectum animæ, atque pro necessitatibus, & specialibus periculis animæ & corporis; ac denique pro omnibus rebus temporalibus, quæ non sint futuræ contrariæ divino obsequio. Deus sit in æternum benedictus; qui sicut nobis ex sua infinita bonitate tam libenter confert beneficia. ita quoque nos docet varios modos, ut ea ex liberali ejusdem manu accipiamus. Deo gratias. Amen.

Hactenus Venerabilis Marina. Ut autem

pie anima, qua hanc devotionem volueris exercere, possint excitari ad fervorem, per cognitionem hujus heroici actus, quem Christus Dominus noster & Servator, in primo sue incarnationis instanti elicit, explicabo illum breviter, imbuendo simplices, & literarum expertes personas, notitiâ accommodatâ carum captui, de sublimissimo medio, quod assumunt, ad impetrandum à Deo, quod desiderant.

Eo ipso momento, quo in purissimis visceribus Virginis Domina nostra, Verbum Divinum, æternus Dei Filius, induit naturam nostram, & est formatus Christus verus Deus & homo, statim illa anima hujus Divini Redemptoris nostri fuit tam illuminata ac beata, quam est modo, & erit per totam æternitatem. Cognovit, licet quoad naturalia esset eque filii Patris æterni, ex mera tamen ejusdem infinita bonitate, esse hominis uniti cum Esse Dei, & existere in sua persona Hominem atq; Deum. Vidit quantum ob hoc beneficium esset obligata Deo, & pari admiratione, demissione, ac amore satisfecit pro omnibus, quæ se accepisse agnoscebat. Nunquam fuit factum, neque fieri potuit, ut Dominus Deus noster perfectè ab ulla creatura honoraretur: quandoquidem etiam supremus omnium Seraphinus, etsi milies mille vicibus evaderet excellentior, semper tanquam pura creatura manet limitatus, minimèque sufficiens ad honorandum perfectè Creatorem, qui est infinitus. Solus Homo-Deus, uti est amabilissimus Dominus noster Christus Jesus, potuit excelsere omnium creaturarum debitum, & plene honorare Divinam Majestatem, quia illi inferrebat tanquam dotibus præditus infinita ac Divina dignitatis.

Inter has notitias, & affectus ineffabiles Christi Domini Delicij nostri, vidit simul idem Dominus, summum istud mysterium fuisse peractum, ut obediendo suo Patri æterno, quem admodum erat Princeps generis humani, esset quoque Redemptor. Cognovit peccatum abomi, ad nos omnes derivatum, exceptâ filii Sanctissimæ Genitricis, & omnia cætera peccata, quæ sunt commissa, & committentur, quæ ad durabit mundus. Vidit, à Divina Justitiâ fulminari communis damnationis sententiam, quam tantum pretiosissimus ipsius colubæ re poterat, & innocentissimus sanguis, pro

nobis peccatoribus effusus: atque eadem charitate, quã amabat suum Patrem, amavit nos omnes simul, & singulos divisim, adeo ut ex intimo affectu pro redimendis nobis obtulerit, quidquid ab eodem instanti egit & sustinuit, usqueadum expiraret in cruce. Hec est summa eorum, quæ ille actus continet. Idem Dominus nobis det lumen, ut ex infinitis, quæ includit, vel usam atomum aliquatenus assequamur: subito namque nobis facile creditu erit, nihil nobis ab ipsius benignitate negandum esse, si quid per illum cum debita preparatione petamus, & postulemus. Gloria sit in æternum tam amanti Redemptori, atque æterno ejusdem Patri, à quo nobis est datus. Pergit nostra Virgo referre aliam hujus generis devotionem, magis quæ gratiosas, tamen si breviores, commemorat circumstantias.

Colligebam inter atdentissimos affectus, ortos ex profunda meæ vilitatis cognitione, quam Deus meæ animæ sugerebat, & quã habitã agnoscebam, millenas mihi inesse imperfectiones, dicebamque Deo: Mi Deus, vides hic peccatricem, perditam, ingratham, omnibus refertam defectibus ac miseris, indignam, quæ coram divino tuo compareat conspectu. Obsecro te per. Et postquam huc perveni, nescio quomodo, subsistebam, ut non auderem ulterius progredi. Tandem sum conata prosequi meam orationem, ac dixi: Obsecro te per illam horam, quã pendens in cruce, tradidisti tuum spiritum in manus Patris tui æterni, ut. Tum Dominus quodam gestu, summam indicante majestatem & charitatem, interrupit mea verba, dicendo: Tace, Anima, tace. Hoc tibi soli serva. Verè enim tibi dico, te hac viã assecuturam, quidquid volueris, & nihil esse, quod istã petitione non obtineatur: usqueadeo est efficax, & auribus meis accepta. Id mihi Dominus dixit; qui benedicatur & laudetur. Amen.

Quamquam primus ille actus charitatis, de quo supra differimus, per quem se dilectissimus Dominus noster, pro tanta sui Patris æterni gloria, cum tanto suo impendio, pro tanta nostra utilitate, obrulit ad crucem, ut nos redimeret, fuerit tam admirabilis & stu-

pendus, quã à nobis est expositus; non fuit tamen inferior postremus iste actus vita mortalis, quo in eadem cruce, completo jam negotio redemptionis nostræ, in manus æterni sui Patris suum spiritum commendavit. Nam Divinus hic Servator noster magis acquiescens, quod summã, quã fieri potuit, perfectione glorificaverit suum Patrem, quã propter finita sua tormenta; magis, quod viderit satisfactum esse Divinæ Justitiæ, quã ob completam suam passionem; tradidit suum spiritum, & vitam terminavit mortalem, cum tali resignatione in sui Patris voluntatem; cum tanto amore erga homines, quos redimebat, ut, si ad gloriam Dei, vel ad majus emolumentum nostrum, necesse fuisset perseverare in agonia illius passionis, per totam æternitatem, aut repetere milies, iterumque milies millenis vicibus suas arumnas, pro quolibet nostrum, charitas ipsius prompta fuerit, & constans ad id exequendum. Benedicita sit suavissima bonitas viscerum Agni nostri JESU CHRISTI, qui tam sublimi eloquentia modo videtur Venerabili Maxima indixisse silentium, nè prorumperet in hanc divinam Conjuracionis formam, ut ipsi melius se scelerum efficaciam explicaret. Licet verò hic illi dicat, ut taceat, sibi que soli servet petitionem, cui nihil negare novit, nihilominus milies aliàs ei mandat, nè intermitat scribere, quod ipsi, cum illo agenti contingit, ut omnibus innotescat, ideoque omnes intelligant, qualiter possint diripere thesaurum ipsius misericordiarum. Transseamus ad aliam devotionem, quam hac Virgo aliã occasione à Divina Majestate didicit. Refert ipsa factum hoc modo.

Cum ex jussu & mandato DEI, atque consilio meorum Confessariorum scripsissem Madritum, ad quosdam Magnates, aliquot epistolas, concernentes reformationem morum, & alias admonitiones, quas mihi Deus manifestavit, meque intimare jussit, perlatas ad Aulam à Patre Michaële de Orenja, Rectore Collegij Sancti Ambrosij ex Societate JESU, cumque magnum hunc DEUM rogarem, ut ista monita, quandoquidem ab ipso essent profecta, acceptarentur, petivi unã, ut me doceret, quid Ejusdem

Majestas etiam à me fieri vellet; atque iussa fui ab eadem Majestate, applicare pro bono successu, quidquid novem dierum spatio agerem ac paterer, & per eandem omnes quotidie septies orationem, quam me eadem Divina Majestas docuit, dicere loco septem Horarum Canoniarum, quas recitat Ecclesia. Oratio ad verbum fuit ista:

Domine mi Omnipotens, & misericors DEUS, rogo te quam demississimè possum, per te metipsum, & per pretiosum sanguinem, profusum ab unigenito Filio tuo, per excellentissimam ejusdem meritam, unaque Sanctissimæ ipsius Genitricis; ut miseraris, sisque propitius populo Christiano, ac disponas & dirigas omnia opera nostra ad majorem gloriam & obsequium tuum, ac bonum animarum, meque adjuves, doceas, & illumines, propter tuam bonitatem. Amen. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Post hoc mea paupereula anima, loquens cum Divina Majestate, ei dixit: Quid autem, mi Domine, dabis illi, qui hanc orationem quotidie septies dixerit, prout jubes? Dominus mihi respondit quam gravissimè, dicendo: Tu facis, quod olim fecit Petrus, qui relictis laceris retibus, statim petivit premium. His dictis Divina Majestas diu tacuit, ego verò summè eram pudefacta. Deinde Dominus subjunxit: Dabo ijs, qui illam recitabunt, quod do bonis Religiosis recitantibus septem Horas Canonicas: cum enim à me doceantur, quid illis à me sit petendum, non debeo esse mihi ipsi contrarius, negando ijs, quod in ea à me petunt. Nonne autem, mi Deus, replicui, hoc est commune omnibus orationibus, quæ peraguntur, sicut oportet: Ità quidem est, respondit Dominus: sed nunquid non vidisti Patrem familias, qui suis filijs & famulis perpetuo præbet omnia necessaria, pro illorum sustentatione; in festivitibus tamen atque diebus solennibus ipsis dat aliquid extraordinarij: tale itaque extraordinarium illis dabo, qui hanc orationem per-

dicto modo dixerint. Ista fuit mea cum DEO conversatio, qui sit benedictus in æternum. Id autem accidit in Septembri, anno sexcentesimo vigesimo quinto.

Sequentem devotionem, licet sit nota, & usitata à multis annis in Hispania, spero majori fervore assumendum, tanquam approbatam à caelo: ideo namque nobis ipsam descriptam Ven. Marinæ, que recenset, quæ sit quædam illam cum Deo evenit, his verbis.

In Februario ejusdem anni sexcentesimo vigesimo quinti, postquam alia cum Domino contulisset, quæ alibi perscripta, præcepissetque mihi Eiusdem Majestas, ut sibi commendarem eos, qui miserabiliter vivunt in peccato, addidit: In peccati tuo statu, atque tot morbis, preces potes dicere preces. Conversivi exerceat quandam devotionem, dicendo quinque Orationem Dominicam, cum quinque Salutationibus Angelicis, in honorem quinque meorum vulnerum, quod mihi bene meministi. Dico tibi, multum à te boni fuisse præstitum per illam animabus tuorum proximorum. Eris Domini verbis intellexi, quod etiam oratio mentalis soleat esse prolixior, majorisq; habere effectus, quæcumq; tamen oratio vocalis, si debito modo dicatur, sit quoque acceptissima divinis ipsius oculis. Ut verò prædicta devotio aliquibus, forsitan eam ignotantibus, communicetur, volo illam sic referre, prout ego ipsam exercui, jam inde à juventute, ac disci ab Arbitro meæ conscientie. Prima oratio Dominica dicitur, cum sua Salutatione Angelica, ad pretiosum vulnus manûs dextre, offerendo illi Deo, pro felici statu Sanctæ Matris Escobar. Secunda ad manum sinistram, offerturque pro animabus Purgatorij. Tertia ad vulnus pedis dextri, pro capitibus Republicæ, Judicibus Ecclesiasticis, & secularibus, orando DEUM, ut eos illuminet, quod satisficiant obligationibus suorum statuum, & officiorum. Quarta ad vulnus pedis sinistri, pro excommunicatis in peccato mortali, rogando DEUM, ut illis concedat efficaciam auxilij, ad emergendum ex illo. Quinta ad brachium sinistram, pro iustis & castis

existentibus in gratia Dei, petendo ab E-
jus Majestate, ut ipsos in ea conservet, lar-
giaturque illis præstantissimum donum per-
leverantia. Glorificetur iste Dominus in
suis creaturis. Amen.

*Alias devotiones certi numeri Sacrificio-
rum Missæ Dominus, & benedicta ipsius Ma-
ter docuit Venerabilem Marinam, quas ipsa
nobis descripsit in quibusdam supra relatis
chartis. Faxit Divina Majestas, ut sicut ea-
rum usus erit summè proficiuus, ita quoque sit
ipsis animabus frequens, quem ob finem illas
hic appono ipsis hujus Virginis verbis, qua sic
ait.*

Majestas Domini Dei nostri docuit
meam animam, ex infinita sua bonitate,
hanc sanctam devotionem, quam nunc re-
feram, dicendo, eam esse magni momen-
ti, & multum utilem ad majorem anima-
rum profectum.

Dicenda est una Missa, de Incarnatio-
ne Domini & Redemptoris nostri Christi
Jesu, atque novem in honorem novem
mensium, quibus Eiusdem Domini Ma-
jestas delituit in visceribus Sacratissimæ
Virginis Matris suæ, ac Domine nostræ.
Alia præterea Missa, de Sanctissima Na-
tivitate ejusdem Domini & Salvatoris no-
stri. Sunt univèrsim undecim.

In prima Missa debemus à magno no-
stro Triuno Deo, per merita Christi Jesu,
& per sublimissimum ipsius Incarnationis
mysterium petere, ut dignetur animabus
nostris, ex sua gratia & misericordia, lar-
giri nova, ferventia, & efficacia desideria
ineundæ, & inchoandæ novæ vitæ, quæ
sit eximie virtutis & perfectionis, atque
obtinendi incensu & ardentis spiritus, in di-
vino ejus amore.

In novem sequentibus Missis petere
oportet, per novem illos menses, quibus
Sacratissima Ipsi Majestas, pro nostra
salute & remedio, est dignata coarctari &
includi in Virgineis visceribus suæ puris-
simæ Matris, ut nobis concedat novam
gratiam ac dispositionem, ad amplecten-
dam in rebus omnibus, & implendam san-
ctissimam ejus voluntatem, observando
non solum præcepta legis ipsius, verum
etiam consilia Evangelica.

Vita Mar. de Escob. Pars II.

In ultima Missa, quæ est de Nativitate,
orandus est Deus, per mysterium hujus re-
cens nati Domini, ut nobis, pro omnium
suarum misericordiarum complemento,
concedat felicem mortem, initium veræ
vitæ, & beatitudinis æternæ, ubi nostra
anima incipiat vivere in solo suo Deo, ipsi-
que trui, per infinitam ejusdem bonitatē,
qui sit benedictus. Amen.

*Advertendum est, non designari à Vene-
rabilis Marime in novem intermedijs Missis
materiam, quod facit in prima & ultima, id è
que videtur posse dici occurrentes ijs diebus,
aut votiva, quas cujuslibet devotio delegerit.
Secundam devotionem triginta quatuor Mis-
sarum, quam ipsa in summis angustijs & ne-
cessitatibus usurpabat, iubendo eas dici, vel au-
diendo in suo Oratorio, refert sequentibus ver-
bis.*

Inspiravit Majestas Dei Domini nostri
meæ animæ aliam devotionem triginta
quatuor Missarum, atque deinde dixit,
eam sibi placere, & se illi sanctissimam su-
am impertiri benedictionem, ac velle præ-
stare magnas gratias & misericordias ijs,
qui ipsam usurparent, favoremque ejus
itâ postularent. Praxis devotionis est hæc.

Tres Missæ in honorē Incarnationis Je-
su Christi Domini & Redemptoris nostri.
Tres de sanctiss: ejusdem Nativitate. Tres
de sacrosancta Circumcisione. Tres de
adoratione Regum. Tres de eodem à be-
nedicta ipsius Matre præsentato in tem-
plo, post quadraginta dies. Tres de fuga
in Ægyptum. Tres de festo perditu pueri,
quando fuit à sua Matre inventus inter
Doctores. Tres de baptismo ejusdem Do-
mini. Tres de passo, & mortuo in cruce.
Tres de gloriosa ipsius resurrectione. Tres
de admirabili ejus ascensione. Una de tri-
umphali assumptione ipsius Sanctissimæ
Matris Virginis Mariæ.

Priores hæc triginta tres Missæ offerri
debent in honorem triginta trium anno-
rum, quibus Divinus Redemptor noster
est versatus inter homines, & vixit in hæc
vita mortali, operando salutem nostram:
atque Beatissima Trinitas est humiliter
roganda, per merita ejusdem Servatoris
nostri

nostri Domini Jesu Christi, & pretiosum ipsius sanguinem effusum pro nostra salute, ut nobis concedat vitam sanctam, adeoque virtutibus plenam, ut sit quàm gratissima divinis ejus oculis; & sanctissimam ac felicissimam mortem, per sanctissimam mortem Christi amabilissimi Domini nostri, liberetque nos per omnia hæc sanctissima mysteria à pœnis Purgatorij, quas nostris peccatis promeremur, & eas nobis condonet. Postrema Missa de assumptione est offerenda Deo in honorem hujus Dominae, ut agat nostram Patronam apud Divinam Majestatem, pro consequendis omnibus istis misericordijs.

Dicta devotio est efficacissima non solum ad obtinendum, quod annotavimus, verum etiam quamcumque aliam rem temporalem, quam optamus, dummodo non impediat majorem Dei gloriam, & bonum animæ, quæ eam petit.

Dixit mihi insuper idem magnus Dominus noster, satis fore ad assequendos hos favores, ei qui non possit Missas dicere, si illas eadem intentione, & ad eundem finem audiret: quod si quis neque hoc præstare posset, propter legitimum impedimentum, idem obtenturum, recitando trigentes ac ter orationem Dominicam, totidemque vicibus Angelicam Salutationem, loco triginta trium Missarum, servato ordine dictorum mysteriorum; loco ultimæ verò Missæ ter Salve Regina in honorem Sanctissimæ ipsius Matris. Benedictus sit magnus iste Dominus, qui se tam liberalem exhibet in præstandis nobis gratijs. Amen, amen.

Tandem ipsam Virgo Domina nostra docuit aliam devotionem quatuor Missarum, quam nobis eadem Venerab: Marina, tanquam utilissimam, ad impetranda magna dona, ita descripsit.

Feriâ quintâ, die decimâ octavâ Decembris, anno sexcentesimo vigesimo quinto, antequam illucesceret, dum loquerer cum duabus meis sociabus de rebus spiritualibus, & proficuis animæ, ipsæque mihi referrent, quantum quædam personæ profecissent, eò quòd audivissent, vel curavissent dici Missas, de quibus alibi sum

locuta, vidi Virginem Dominam nostram, quæ me peramanter compellavit, & post alia mihi dixit, quòd me esset doctura aliam brevem devotionem Missarum, atque tam utilem amabam, ut mihi significaret, esse longè efficaciorum, quàm ego hinc possum exprimere, non solum quoad fructus spirituales, sed etiam bona temporalia, & sanitatem corporis, si non adveniant spiritui, & honori Dei. Devotio consistit in quatuor Missis, si tres dicantur ad Sanctissimam Trinitatem, singulæ in honorem singularum Personarum, & quarta Missa de ipsa Sanctissima Virgine, in honorem Sacrosancti Mysterij Incarnationis Filij Dei, in purissimis ejus visceribus. *Mia Domina, & Celsissima Regina cæli, deum ego; quomodo hæc Missæ sunt offerendæ, quæ sunt tam admirandæ efficacix? Sufficietne, si tres primæ Missæ dicantur in honorem trium Divinarum Personarum suo ordine, ac deinde in quarta, quæ dicitur in honorem illius Sacrosancti Mysterij, quando concepti Filium Dei, omnes reponantur in tuis sacratissimis manibus, ut illas præsentem Deo, ad intentionem, & pro necessitatibus illius, qui eas dicit, aut curat dici? In nomine Domini, respondit hæc magna Domina, bene ita fiet: Deus enim mihi dignatur omnia manifestare, ut intercedam pro ijs, qui se mihi commendant. Hoc mihi dictum fuit à Celsissima Regina Cæli. Benedicta sit ipsa, & benedictus sit fructus ventris ejus. Amen.*

Concludo præfens caput, movendo Letitiam, quòd Sanctissima Virgo magni fecerit obsequium sibi, & Sanctissimo ipsius Filio præstitum, in promovendis hujusmodi devotionibus, pro eo quæ egerit Venerabilis Marina gratias. Patebit id ex uno exemplo & exemplo, qui illi contigit cum Sacratissima Regina cæli, concernente corollas precatorias benedictas, de quibus in hac historia est toties sermo, per quas Vener: Marina in nonnullis animabus excitabat devotionem Rosarij. Narravit ipsa his verbis.

Die Dominicâ, septimâ Martij, anno sexcentesimo trigesimo secundo, adivi loquentem Virginem Dominam nostram

stram, & statim agnovi ipsius vocem. Post hoc eam vidi cum multis Angelis, quæ mihi suavissimo vultu dixit: Amica, venio, ut tibi gratias agam pro obsequio, quod præstas Deo, & mihi, dum promoves devotionem Rosarij per eas corollas, quas das tuis proximis. In præmium hujus obsequij tibi fero cæleste cimelium, per quod tibi communicabitur lumen, ut ad gloriam Dei bene procedas in dicendis & agendis rebus spectantibus ad ipsius honorem. Ego audiens hæc verba aspexi, quid haberet in suis sacris manibus, & vidi in ijs quandam veluti patenam, cui erat su-

perposita hostia splendens instar Solis: & cum illa præcellsa Domina suam manum admoveret meo pectori, aperuit illud absque ullo dolore aut molestia mea, ac si dif-
 fibularet quempiam thoracem, positoque intus dicto cælesti cimelio, rursus eadem facilitate clausit. Tum mihi cum magna suavitate, & indicijs amoris dixit: Nunc vale amica; & comitantibus ipsam omnibus ijs beatis spiritibus, hi reversi sunt ad cælum, & illa desijt à me videri. Laudetur in æternum Deus, qui est tam liberalis in suis misericordijs.
 Amen.

CAPUT XXVII.

Visiones & doctrina, quibus ipsi DEUS exposuit modum, quo Eiusdem Majestas consuevit ducere animas.

Post doctrinam moralem, & piissimas devotiones, quibus Venerabilis Marina nobis potest prodesse, etiam qui fuerimus segnes in cognitione, & frigidi in affectu, incipimus agere de a'io sublimiore genere eruditionis, quam Deus huic suæ sponsæ, per visiones & verba manifestavit. Erit utilissima serio incipientibus insistere via perfectionis, quæ & Magistris eorundem directoribus: solatium namque habebunt, dum hic usque comprobata videbunt documenta, quæ de isto argumento Sancti Patres, & Ecclesie Lumina nobis conscripta reliquerunt. Prima hujus generis charta, in quam incido, est, ubi sic ait.

Dixerat quispiam Religiosus, servus Dei, Confessarius cujusdam personæ virtuosæ, vivere eam internè multis à Deo præditam gratijs & favoribus, cum magnis affectibus & motibus suæ animæ, tenera devotione, atque amore sui Dei, & rebus hujusmodi, ita ut se vix inde posset abstrahere, aut ulli alteri rei impendere. Sultentabat ipsam Deus in hoc statu suis impensis, ideoque in adversitatibus & afflictionibus, quæ in hac vita nequeunt deesse, erat valde resignata in divinam vo-

luntatem, exercendo facilè, & cum solatio virtutes. Placuerunt mihi principia spiritalia hujus animæ, in qua Deus pedem prius fixit amoris, suavitatis, ac dulcedinis, quam timoris, ac difficultatum in exercitio perfectionis; id quod denotabat indigentiam istius animæ debilis ac tenellæ, atque adjunctæ à sua natura. Expendenti hoc mihi coram Deo, dixit Eiusdem Majestas.

Adverte, Marina, cum hac, & quavis alia anima, quam in simili habeo statu, meo modo gero, quem tibi nunc dicam. Æternâ meâ sapientiâ cognosco ex una parte naturam, propensiones, imbecillitatem; ex altera verò bonam dispositionem talis creaturæ. Incipio igitur illam educare instar matris ad ubera mea, sustento eam dulci lacte, gesto in meis ulnis, nè pedes ipsius cespitent; blandior illi, meque exhibeo benevolam, & omnia ad virtutem spectantia reddo facilia: atque ita progreditur sine defatigatione, & acsi portaretur lecticâ, omnem in me collocans suam confidentiam. Taliter ipsam educo, donec videam esse solidatam, ac radicatum in meo amore. Tum illam sensim finè sensu incipio ab lactare, & evolvere è fascijs, ut jam comedat panem cum crusta,
 Ss 3 suis.

fuisque incedat pedibus, tametsi eam manuducam, non absque sustentaculo ambulatorio, ac dispo, ut se in tentatione difficultatum, afflictionum, obscuritatum, meæ absentia, sic sciat gerere, ut non exorbitet, aut perdat firmam in me fiduciam, audendo aliquid quasi proprijs viribus, & laborando, me ipsi præbente auxilium, quod ei non potest deesse, quando teruncium sui liberi arbitrij dirigit ad omnia meæ voluntati conformia, mearumq; legum observationi, non volendo, vel desiderando, quamvis à me profecta solatia.

Postquam anima jam ad hunc statum pervenit, incipio illam aliter tractare, ut pote quæ talem à me acceperit virtutem & generositate, ut jam æquis possit luctari viribus cum suis hostibus, quantumvis sint fortes & feroces, eosque subjugare, & sibi subicere, referendo de ipsis felicem victoriam, & stupenda ac mira in obsequium meum operari. Quia namque me sibi seivit devincire, bene respondendo meis vocacionibus, adeo ut se mihi totam submittat, ad exercenda opera charitatis, & procurandum bonum animarum, constituit se quodam modo murum fortem inter me, & meum populum, ut avertat indignationem, & penas à mea Justitia irrogandas, dicendo mihi pari demissione, ac animositate: Hoc non fiat, mi Deus, non fiat; mihi sunt prius infligendi ictus tuæ iræ, quàm populo tuo Christiano. Dum pertingit ad istum statum, laudat me & benedicit ex corde, contestando serio, meam esse, & non suam, omnem virtutem & generositate, quam ipsi largior ex infinita mea bonitate. Agnoscit, & absque omni dubio credit, quod ex seipsa non sit ad quidquam utilis acidonea, quodque illius miseria, fragilitas, inopia, & mala dispositio ad accipienda mea dona, sit velut infinita, atque puteus carens fundo, ubi nunquam potuerit figere pedem. Hunc in modum, & in hoc statu ascendit gradatim, & crescit in admirandis virtutibus, donec perveniat ad culmen altissimæ perfectionis & amoris divini, in eo gradu, quem ipsi à mea æternitate decrevi.

Tales sunt, Marina, viz & status, quibus communiter duco animas, donec eas constituam in apice perfectionis, si me norunt sequi, & sequi mihi integrè offerre, ita ut nè minimam retineant atomum propriæ voluntatis, semper adherentes perfectæ observationi, non modò meorum præceptorum, sed omnium quoq; Evangelicorum meorum consiliorum. Quamquam verò hæc sint meæ viz convertæ, in perducendis animabus ad dictam perfectionem; pro mea nihilominus summa sapientia multas habeo extraordinarias, tametsi omnes ab hac dependentes regulæ (nullam autem extra ipsam) quod in omnibus, & per omnia debeant deservire, in modicis & magnis, suam propriam voluntatem, ut meam perfectissimè sequantur. Nunc vale.

Qui per spectum habuerit, quod docet Scriptura, & Sancti hac de re scribunt, clarè videbit, dictatum hæc à DEO fuisse venerabilis Marinæ admirabile compendium omnium, quæ reperiuntur in sacro libro, proficua ad instructionem, pro tanti momenti materia. Simili doctrinâ ipsam Divina Majestas aliter erudit, non solum per verba, verum etiam symbola, quæ sic recenset.

Decimâ tertiam Septembris, anno sexcentesimo vigesimo quinto, Deus me in quadam visione docuit vias, quibus piæ animas ducit ad perfectionem, & tunc hujusmodi. Dum Ejus Majestati exponerem affectus meæ animæ, cum magna meæ miseræ agnitione, & eorum, quæ ex me ipsa habeo (unde oriebantur illa vehementia desideria, quibus anima æstuans solet frivolem quandam sentire afflictionem & molestiam, quæ malè verbis explicatur, quamvis bene ab ijs intelligatur, qui hac viâ progrediuntur) vidi Personam Jesu Christi Domini nostri, qui mihi dixit: Anima, es fatigata, veni mecum, & quiesces; atque sine mora fui ducta ab ejusdem Majestatis ad ripam lati & profundi fluvij, licet illa aquæ rapacissimè currerent. Hic mirabiliter, ut transirem, se enim velle videtur teritatem, quæ eos fluctus essem transieram, incedendo sola; utque figerem pedem in luminibus, quæ essem vitata, & quæ

securè ad alteram ripæ partem possim transire.

Accinxi me ad transitum, & quamprimum elevavi pedem, ut eum ponerem in aqua, conspexi lumen instar stellæ, quam calcavi, & illa me sustentavit, nè mergeret. Deinde verò alterum fixura pedem, vidi aliud lumen simile priori, atque taliter per totam magni illius fluvij superficiem figebam pedes in luminibus, cum in modum, quo in parvis rivis poni consueverunt lapides, ut transcantur, & comitante me Sancto Angelo meo Custode perveni usque ad extremitatem fluvij in parte adversa.

Quando egrediebar, vidi in ripa arduum, ac difficilem ascensu clivum montis, & ignorans, quâ illum deberem conscendere, verti me ad meum Sanctum Angelum Custodem, ut me dirigeret. Ipse mihi ostendit, quâ esset ascendendum, & vidi in ea parte arbusculas floridas, aspectu jucundissimas, quarum ramis adhærendo ascendi usque ad verticem montis. Ibi rursus conspexi **JESUM** Christum Dominum nostrum, qui me duxit viâ planâ & brevi, quam deinde subsequēbatur descensus ad aliud flumen, quod facillimè pertransivi, quia me ipsemet Dominus ex sua bonitate est comitatus. Ex eo egressâ perveni ad pulcherrimum & amœnissimum pratium, ad quod se contulit ingens multitudo Angelorum ex cælo, & animarum beatarum, quæ omnes erant speciosissimæ, ac plenæ gaudio & gloriâ; atque multi ex ijs Angelis, assumptis instrumentis musicis, ceperunt illis personare, & canere melodiâ verè cœlesti. Mea anima replebatur ineffabili solatio, voluissetque cum Sancto Petro dicere, ut ibi maneremus, in tam felici loco. Verùm, postquam longo tempore (nescio quamdiu) fui fructa eâ musicâ, & sanctâ societate, ducta sum ad cœlestem Jerusalem, ad illum locum, in quo ante paucos dies singularem acceperam gratiam, de qua alibi disserui, & in cœlestibus quibusdam gradibus, in Sanctorum Angelorum brachijs constituta, fui in magnam raptâ ecstasim. Interea super me cœpit cadere copiosa & suavissima pluvia

margaritarum, unionum & gemmarum, quibus tota cooperiebar, atque in eo quasi somno spiritali & raptu Divina Majestas mihi contulit altissimam cognitionem bonorum, quæ reposita habemus in Christo Domino Redemptore nostro, & quomodo propter ipsius merita ducamur per viam hujus mortalis vitæ, ut transeamus ad æternam, qualiterque cum gratia, quam ille nobis est promeritus, vincamus difficultates vitæ, donec adæmus possessionem beatitudinis.

Post hunc raptum mihi Deus dignatus est significationem cæterorum omnium, quæ videram & pertransiveram, distinctius explicare, sequentibus verbis: Primus fluvius erat symbolum tentationum & molestiarum hujus vitæ, lumina verò in eo apparentia, per quæ ille firmabatur, sunt ea, quæ Deus animæ communicat, tam interna, quàm externa scripturarum, Magistorum, & Confessoriorum, quibus habitis anima cautè & sollicitè procedens, quamvis difficulter ac periculosè, adjuncta suo Sancto Angelo Custode, pertransit omnes illos fluctus, quin submergatur.

Mons arduus post hunc fluvium, sunt graves difficultates, quas pia anima sentit, ut ascendat ad perfectionem, etiam post perpeffas varias tentationes, & corporales ac visibiles afflictiones. Arbusculæ floridæ sunt veritates, quibus anima inhærens confortatur ad ascendendum, accedente insuper spe consequendorum bonorum, quæ desiderat: & hæc spes significabatur floribus dictarum arbuscularum.

Via plana, est quies spiritalis, quam anima interdum experitur, quando visitatur à Deo, & quæ brevi solet durare tempore, quemadmodum etiam exiguum fuit spatium vitæ planæ, quâ sum ducta.

Descensus, & alter fluvius significabat, quòd in hoc statu, etiam si anima aliquam patiatur afflictionem, hæc tamen sit similis illi, quam sentit is, qui descendit ex monte, quod sit cum modica molestia & fatigatione; omnèsque internarum, aut visibilium tribulationum fluctus concitari solitos, Deus complanct, qui securam reddidit, atque comitatur animam.

Amce-

Amœnissimum pratum, cœlestis musica, & beata cœlestium Palatinorum societas, significabant conversationem, quam animæ, quæ pertingunt ad hunc statum, habere consueverunt cum incolis cœlestis civitatis, familiariter cum ipsis agendo, affluentes in hoc fortunato confortio (sua visissimis delicijs, & aliquid de eo percipientes, quo ipsi perficiuntur, ex præsentia, & clara visione Dei.

Ascensus ad cœlum, & ille somnus spiritualis, quo ibi fui consopita, denotabat effectus remanentes in anima ex ea familiaritate: quia ascendendo per contemplationem ad cœlum, cognoscit ejusdem bona, & authorem, à quo obtinentur, qui est Christus Dominus noster: unde oritur æstimatio, gratiarum actio & amor, cæterique affectus, quos inter anima conquiescit in unico desiderio, magis ac magis sese uniendo suo Deo, absque inquietudine ac turbatione, quam curæ humanæ solent afferre. Laudetur Divina Majestas in æternum. Amen, amen.

Alijs duabus occasionibus Deus ipsam docuit regiam, & veram viam, quâ ascenditur ad contemplandam Divinitatem, esse considerationem pretiosissimæ humanitatis Christi Jesu delicij nostri. Refert Ven. Marina, que evenerunt, hunc in modum.

Sextâ Martij, anno sexcentesimo vigesimo septimo, vidi Sacratissimam Personam Jesu Christi, qui me perbenevolè vocabat, dicendo: Veni Anima, veni huc, & quiesces. Mi Domine, ajebam ego, apud tuos pedes per omnem vitam meam volo manere. Fui derepente ducta ad locum, in quo Eiusdem Majestas sedebat, & flexis genibus acclinavi caput ad genua illius summi Domini, obdormiens somno spirituali, in quo (ita id meæ animæ vivaciter repræsentabatur) me sensi concidere quasi mortuam ad pedes Divinæ Majestatis: videbar mihi esse tota ibi, corpore & animâ. Tum Dominus præcepit meis Dominis Angelis, ut me erigerent, quod cum illi facerent, idem Dominus imposuit suam sacratissimam manum meo capiti, & sic mihi fui restituta. Postea in momento sum ducta ad immensam altitudinem, ubi

michi fuit data tanta notitia Essentiæ, attributorum, & magnitudinis Dei, ut nullam eâ majorem meâ vitâ habuerim. Redivi deinde ad me, & reperi me in meo angulo: ubi, dum considerarem illud mysterium, & quid posset significare, quia id non poteram intelligere, Divina Majestas, quæ mihi per suam misericordiam non negat lumen in his dubijs, mihi dixit: Ecce, siveves considerationes, & deliciose cognitiones meæ humanitatis, comparatæ cum ijs, quibus cognoscitur mea Divinitas, sunt tam imperfectæ, quam ea, quæ carent vitâ, comparata cum illis, quæ hac sunt prædita. Ex cognitione tamen humanitatis ascenditur, ad cognoscendam meam Divinitatem, ita ut illa tunc veluti sopiatur ac emoriatur, hæc verò quasi vigilet ac vivat. Hoc te volui docere. Id mihi fuit dictum à Domino, qui sit benedictus. Amen.

Aliâ vice, 6. Majj, anno sexcentesimo vigesimo octavo, dū graviter affligerer, obvehementes affectus, & ardentia desideria, quæ mihi dantur à Deo, ut procrem bonum meorum proximorum, præsertim tam calamitosis temporibus, ducta fui à meis Dominis Angelis, ut me (sæpebant ipsi) aliquantum refocillarent, ad magnū fluvium, qui, contra quàm hic fieri videmus, videbatur sursum versus fluere. A qua illius erat clarissima & admirabilis, profunditas exigua, quæ, judicio meo, non superabat mediam ulnam, & fundam, quod percurrerebat, totum constabat quasi ex auto, margaritis, & pretiosissimis lapidibus. Ego ibam nudipes, & mei Domini Angeli me duxerunt per hunc fluvium, modò intrâ aquam, modò supra illam: accèt autem sequens aquam ambularem sursum, magnam nihilominus sentiebam levitatem, & facilitatem. Taliter me duxerunt usque ad portam cœli, & thronum Agni Jesu Christi delicij nostri, ex quo egrediebatur, & ubi suam ille pretiosissimus fluvius habebat originem. Postquam perveni, Dominus mihi dixit: Bene venis, Anima, veni, & respirabis à tuis molestijs ac afflictionibus. Eodem autem momento idem Dominus Omnipotens me

sibi animam univit, omnesque ipsius potentias quàm arctissimè: ubi diu sum fructa bonis & notitijs ineffabilibus, quæ nec enarrari possunt, neque concipi; & remanente ibi superiore parte meæ animæ, quando mihi postea sui reddita, me inveni in meo angulo. Interrogavi deinde, mota ab eodem Domino, Ejus Majestatem, quidnam illud mysterium significaret, responditque mihi ita: Fluvius ille tam pelucidus & gloriosus, per quem ascendisti, est sanguis Agni CHRISTI JESU, veri Dei & Hominis, stupendæ verò divitiæ, quas in eo vidisti, sunt virtus, ac thesauri illius pretiosissimi sanguinis. Venisti per fluvium, quia qui in solida & vera contemplatione frui voluerint unione Divinitatis, debent intrare per considerationem passionis ejus ac mortis, & sanguinis effusi pro ipsorum redemptione. Benedictus sit iste Redemptor noster, qui est vita, veritas, & via, quâ securè ascendimus ad Divinitatem. Amen.

Ex omnibus, quæ in presenti capite, & multis antecedentibus vidimus, clarè cognoscitur, quomodo Deus Dominus noster sensim sine sensu elevet animas ad majorem ac majorem perfectionem, non limitando suas misericordias, nisi ipsa terminum sibi præfigant sui comatus, ad se disponendas, & suâ pietati ac fœcundâ obicem ponant influxus liberalitatis Dei, à quo sunt creata capaces, ut immensos possint consequi thesauros. Clariùs tamen idem patebit ex eo, quod huic Virgini cum Deo evenit feriâ secundâ, septimâ Septembris, anno sexcentesimo vigesimo sexto. Narrat eventum taliter.

Feriâ secundâ abrepta ab iisdem affectibus, quemadmodum toties aliàs, quibus exopto solidè adhærere Deo, absque impedimento creaturatum, petebam id quàm vehementissimè ab ejusdem Majestate, dicebâmque illi inter alia: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Quia motivum horum desideriorum erat, ut totum cor meum traderem Deo, nihilque creatum ipsi adhæresceret, ideo subungebam: Utinam, Domine, me duceres ad remotissimum quempiam montem! Interea audi-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

vi Dominum, qui mihi respondebat dicendo. Fiat ita, per me vel maximè licet, veni mecum, & hoc ipso momento me duxit ad montem altissimum, ubi dum versarer cum DEO in summo gaudio, & quiete verè divina, vidi de repente illic fuisse accensum ingentem ignem, qui eum montem undequaque circumdabat, & invalescens appropinquabat loco, in quo eram cum DEO. Hoc viso cœpi exclamare ac dixi: Libera me, mi Domine, ab hoc discrimine, ecce enim comburatur. Divina Majestas id dissimulavit, & ille ignis me undique corceptam vi quàm potente & efficaci, tam svavi & jucundâ, totam penetravit, atque visa mihi sum fuisse ab eo immutata, & penitus purgata, sicut si hîc injiceretur in ignem vas rubiginosum, cujus flammâ purificaretur. Videns me taliter constitutam, conversa ad Dominum dixi: Verè, mi DEUS, necesse est, ut valde sim mala, cum tanto sit opus igne, ad expurgandam & mundandam fœditatem meorum peccatorum. Divina Majestas, quæ meam animam, dum hæc fierent, habebat in suis brachijs, mihi respondit: Anima, tantum perfectionis, atque donorum meorum potest creatura rationalis obtinere, ut, licet plura ac plura allequatur, semper tamen sit capax majorum augmentorum, sempèrque majores illi possim conferre gratias, dummodo ipsa magis ac magis se dilponat, bene utendo acceptis. Et verò hoc in te nunc sum executus, non ut te purificarem ac mundarem à tuis peccatis, cum jam sis munda, sed ut ampliùs perficerem dona, quæ tibi contuli, & auctiora redderem beneficia tibi à me præstita.

His verbis dictis, me Dominus ita comparatam tulit in suis brachijs ad meum cubiculum, collocansque me ibi, prætulit acsi rediturus esset ad cœlum. Ego videns me ab eo deseri, cœpi illum ardentibus affectibus rogare, nè abiret, dicebâmque ipsi: Ah, nè me deferas, mi Domine, nè me deferas; nè discedas, per te ipsum te oro. Divina Majestas simulabat, se velle abire, & ego perseverabam obsecrando, nè abiret. Dominus videns meam

T t

per-

perseverantiam dixit mihi: Quamdiu ergo me vis hęc manere? Tum eo affectu, quem mea anima, ex divina bonitate, habet adeo radicatum, ut nihil aliud velit, quàm quod vult Deus, ipsi respondi: Mi Domine, quamdiu volueris. Divina Ma-

jestas autem mihi dixit: Polliceor tibi quod propter hanc resignationem in meam voluntatem, nunquam sim à te recessurus. Ità cessavit mysterium. Sic hic Dominus in æternum benedictus, Amen.

CAPUT XXVIII.

De cura, quâ tales animæ à DEO ducuntur.



*V*idimus vias, quibus Divina Majestas ducit animas, donec eas collocet in culmine perfectionis: videamus nunc, quàm sollicitè ac attentè ducat, & quasi ex ipso ventre matris specialissimo affectu observet illas, quas destinavit ad conscendendum tam altum gradum; ac deinde multò amabiliore & vigilantiore circumspèctione provehat, quàm ullus amantiſſimus pater, deducendo chariſſimos filios ad portum. Id intelligetur ex modo, quo curam gessit hujus Virginis, qualem ipsa nobis descripsit in proluxa visione, quam habuit mense Novembri, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, ubi recenset sequentia.

Dum consuetæ meæ vacarem orationi, valde mihi metuens ob meos defectus, abrepta à vehementi affectu, dixi Divinæ Majestati: Mi DEUS, & mi Domine, propter quod peccatorum meorum, quæ adversus te commisi, mereor infernum? & quali tuæ bonitatis impulsu me ab eo liberavisti? Divina Majestas mihi statim gravissimâ affabilitate respondit, dicendo: Veni mecum, Anima, & videbis. Extimui nonnihil ob hoc responsum, & aliunde magnam concepi confidentiam erga Divinam bonitatem. Hunc meum, nescio qualem, timorem à me DEUS abstulit, duxitque me in spiritu, & ostendit mihi quendam locum inferni, unâ cum ijs, quæ ibi aguntur. Constiti ad crepidinem magni ac profundi putei, ubi vidi maximam copiam damnatorum, atque dæmonum; audivi planctus, tristissimos ejulatus, terribiles desperationes,

erantque formidabilia & indicibilia tormenta, quæ ibi sustinebantur. Fundum illius putei pertransibat rapax fluvius, vehens pestilentes aquas, à quo gravissimè cruciabantur. Tam multa ibidem mala audivi ac vidi, & adeo fui perterrita, ut nisi fuisset à DEO confortata, ea visio mihi plurimum nocuisset. Duxit me postea Dominus ad videndum profus obiter Purgatorium, quod tamen optimè agnovi, quia mihi aliis fuerat ab Eiusdem Majestate ostensum. Inde transivi ad limbum parvulorum, qui obierunt absque gratia, ante ulum rationis. Fuerunt multi, & commoverunt me ad commiserationem: vidi ipsos in loco obscuro, vehementer artonitos, & velut stupidulos, sine pœna, aut gloria.

Hinc fui à Domino ducta ad plantiæ campeſtrem, ubi conspexi congregatos multos homines & dæmones. Campus erat figura mundi, omnes erant concatenati, sicut dum damnati ad tormentum ducuntur compediti, uni catena adfixi. Miserabiles illi homines trahuntur à dæmonibus, quasi raptati. Inter alia scelera, tot ibi erant fallaciæ, mendacia, fraudes, confusiones, & produtiones, ut summopere dolerem, videndo tantam perverſitatem. Tum Dominus mihi dixit: Vidēsne Anima, quid agatur? vidēsne. Et hæc sunt in modo. Pervenimus deinde ad altum locum, ad quem descendebatur per viam, & procul ab invicem distantes gradus per illos fui à DIVINA MAJESTATE iussa descendere. Mi Domine, dicitur

non potero, eò quòd sint vehemen-
ter incommodi. Mecum, subjunxit Do-
minus, omnino poteris. Duxit me se-
cum, & nihilominus ipsos difficulter
transivi.

Descendentes postea ex præruptissi-
mo monte, in quo sui plurimùm festà, per-
venimus ad grandem campum, qui erat
juxta ripam vasti fluvij. Ibi commeabant
navibus Angeli DEI personantes, & ca-
nentes admirabiliter divinas laudes. In-
dixerunt me in unam navim, atque cum
magna svavitare, & musica transvexerunt
ad ripam adversam: inter navigandum ta-
men assurrexerunt maximi fluctus, veni-
entes ex parte contraria, & quasi obruturi
navem, quæ mihi videbatur submergen-
da. Ego vehementer timebam, verùm
Sancti Angeli non mutabantur, neq; tur-
babantur, sed prosequabantur iter cum
magna pace ac læticia, continuantes suam
musicam. Irruentibus ijs fluctibus, vidi
illos transeuntes super navem, eà salvâ
& nullo illato damno. Applicuimus
tandem ad portum, cum ingenti meo so-
lacio, & inde sum reducta ad meum an-
gulum.

Post captam modicam quietem, vidi in
cælo præparari magnam solennitatem.
Pulsabantur mysticæ quædam campanæ
singulari consonantiâ, & harmoniâ; au-
diebatur sonora musica; & Angeli se apta-
bant, & exornabant elegantissimo vesti-
tu, in quo comparebant pulcherrimi. Et
quamvis ex dispositione ac revelatione di-
vina scirent, celebrandum esse festum; ig-
norabant tamen, in cujus honorem, ideo-
que colloquentes mutuò se interroga-
bant: Quænam erit ista Anima tam felix,
pro qua tantam Divina Majestas apparat
solennitatem? atque alijs mirantibus, alij
dicebant: Quid miramur? Cùm DEUS
Dominus noster dederit suū Filium mun-
do, pro hominum commodo, quid eorun-
dem gratiâ non faciet? Hæc omnia, licet
sint tanta, multò sunt minora, quàm sit,
Deum mori pro homine. Talia inter se
conferebant illi superni spiritus. Vidi ipsos
deinde omnes descendentes ad meum cu-
biculum, comitantes Personam Spiritûs

Vita Mar. de Escob. Pars II.

Sancti, qui adveniebat, non in specie hu-
mana, sed modo quodam spiritualissimo,
sub pretioso conopeo, seu tentorio, quod
mihi repræsentabatur tam magnū, quàm
est universus mundus. Ingens erat maje-
stas & pompa, cum qua hic Dominus pro-
cebat, & postquam ad me pervenit, di-
xit mihi: Veni Anima, ad gaudium Do-
mini tui, atque exspolia te veste veteris A-
dami, & indue novam vestem gratiæ. Du-
xit me Dominus juxta se sub eo tentorio
ad cælestem Jerosolymam, & cùm illuc
pervenisset, univit me Ipsius Majestas sibi
arctissimè, introducendo me in immen-
sam abyssum sui Divini Esse, tantâ vehe-
mentiâ, ut mihi cor videretur disrumpi.
Hic subito, possibili mihi modo, divino ta-
men, ac admirabili, cognovi ineffabiles il-
lius Domini excellentias. Observabam
optimè quod videbam, & acsi in medio
tantæ plenitudinis adverterem, quid de-
esset, dicebam: Ostende mihi jam, Domi-
ne, hoc magnum arcanum, & bene mihi
illud jam manifesta. Hac intimâ unione
sum diu fruita, quâ finitâ, mea anima sen-
sit, atque etiamnum sentit, se aliter esse
constitutam, velut abalienatâ in suo Deo,
desiderando ipsum, & intelligendo, sese-
que Ejusdem Majestate oblectando, eum
in modum, quo aliquis habens pretiosum
cimelium summi valoris, recrearetur cog-
noscendo illius pretium. eò quòd ab ipso
videretur ac possideretur tanquam pro-
prium, atque ideo nunquam cessaret
ab eo aspiciendo & lustrando. Absoluto
hoc mysterio, rursus à Domino sui ducta
ad meum angulum.

Ibi mihi Divina Majestas explicuit,
quid significarent ea, quæ in præterito
mysterio videram, sic mihi dicendo: Ex-
hibui tibi spectandas pœnas inferni, ut ag-
nosceres gratiam, quam tibi præstiti, dum
te protexi, præservando te, nè caderes in
pœcata, ob quæ eæ pœnæ incurruntur.

Ostendi tibi limbum parvulorum, qui-
bus multum es compassa, ut te admonerem,
quòd te liberaverim ex gravi pericu-
lo intra uterum tuæ mætris, ubi te diabo-
lus voluit enecare, conando te suffocare,
quò devenires ad eum locum; utq; mihi gra-

gratias ageres, pro præstita tibi tunc à me gratia. Quando mihi id à Domino fuit dictum, venit mihi in mentem, quod mihi mea mater sæpe narraverat, se dum me pariebat, in summo versatam fuisse discrimine, tantumque non extinctam.

Dicebat præterea Dominus: Illi quasi gradus tam ardui, per quos descendisti, sunt alia pericula, non minora eo, quod commemoravi, ex quibus à me per præterlapsam vitam fuisti liberata. Primum jam intellexisti: alterum fuit, quod te in tua infantia dæmon voluerit ex alto loco præcipitem agere, & ego illum cohibuerim, nè id exequeretur. Tertium accidit paulò post, quod tibi diabolus voluerit persuadere, ut delires ex fenestra, dicendo tibi, esse ibi vicinissimam terram, tèque non laendam. Quartum, quando propè Conventum S. Pauli, quidam equus refractarius te erat prostraturus, & absque dubio interfecturus, nisi meus Angelus, in specie hominis, arrepto fortiter tuo brachio, te amovisset. Quintum huic simile, ex quo te aliàs liberavi. Per id, quod fueris cum meis Angelis introducta in navim, & fluctus tibi incusserint timorem, quin tibi nocerent, significatur status, in quo eras, dum prædicta evenerunt: vivebas enim inter fluctus hujus mundi, sed comitantibus te meis Angelis, à quibus defendebaris, nè tibi pericula nocerent. Hoc mihi dixit Dominus, qui propter suas misericordias semper sit benedictus.

Nescio, quâ ratione diabolus jam inde à ventre matris videatur agnovisse, aut saltem fuisse suspicatus, inferendum sibi bellum à Venerabili Marina, ut eam ex illo tempore fuerit conatus persequi. Certum est, paucas hujusmodi grandes animas repertum iri, que nobis, si ipsis Deus oculos aperiret, ad perspicienda pericula, ex quibus à Deo eruta fuerunt, non possent similes millenos enarrare eventus. Etiam que nihil facimus, videbimus in aternitate, non solum anima, verùm & corporis pericula, ex quibus nos Deus, & Sancti eius Angeli liberaverunt. In alia quoque visione, quam Venerabilis Marina habuit in festo Ascensionis, anno sexcentesimo vigesimo quinto,

cognoscitur cura, quam Deus gerit de suorum servorum animabus, tum in sollicitandis præcipuis suis amicis, ut pro illis intercedant, tum in disponendis beneficijs, quæ ipsis est exhibiturus, quando etiam minimè advertunt, ea à se obtineri. Refert factum, ut sequitur.

Aliquot diebus ante festum Ascensionis Dominus mihi significaverat, quod me esset ducturus ad locum ex quo Eisdem Majestas ascenderat ad cælos: postea verò me interrogavit, cum quo vellem ire, & quem mihi unâ ducere placeret, præturum enim se mihi eam gratiam, ut non pergerem sola. Ego dixi Divinæ Majestati, gratias ipsi agendo pro favore, quod eam adducturam meam sociam Martinam Hernandez, & quandam Monialem, insignem Dei famulam, meam amicam, & cui multum sum obstricta. Per me licet, respondit Dominus: quem autem præterea vis ducere? Nominavi nonnullas alias amicas, & socias meas domesticas. Dominus mihi dixit, ituras etiam ipsas, quam diverso modo, eò quod essent subsecuturæ aliquantò remotius. Rogavi illum quoque, ut adducerem duos Patres, quibus sum specialiter obligata, & Ejus Majestas mihi respondit, hos pariter prærecturos cum Patre Ludovico de Ponte. Post hoc, & cum hujus rei penitus esse immemor, in festo Ascensionis, horâ cetero decimâ, conspexi in meo cubiculo eam Monialem devotissimè ac humillimè provolutam in genua, & quasi præstolantem tempus. Averti, quantum potui, ab hoc spectaculo oculos animæ: deinde verò inter duodecimam & primam diei horam, vidi meos Dominos Angelos elegantissimè ornatos, & resplendentes, qui me accedendo mihi dixerunt: Jam est tempus, veni nobiscum, & ducemus te ut videas Dominum ascendentem ad cælos. Duxerunt me ad spatiosissimum campum, unâque meam sociam Marinam, ac prædictam Monialem: & postquam illuc perveni, vicinissima fui Domino, hæc vix duæ sociæ retrò nonnulli distantes, alia amicæ, cum cæteris domesticis remaneres. Vidi obiter Sanctos Discipulos, & Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte.

penes quem erant supra dicti duo Religiosi.

Dominus noster Jesus Christus habuit ad omnes devotissimum sermonem, quo finito cœpit ascendere ad cœlos, cum comitatu millenorum Angelorum, qui ipsi obviam descenderant, & Sanctorum Patrum, quos liberaverat ex limbo, ducens me, & totam illam societatem post se, mirum in modum exultantibus, & concinentibus ijs beatis Spiritibus. Cùm jam fuisset valde procul progressi, interposuit se nubes inter Dominum & Apostolos ac Discipulos, qui manserunt infra, atque ita ab his non fuit amplius conspectus. Postea, nube instar nebulæ dissipatâ, patuerunt cœli, & hic Dominus intravit triumphans, summoque cum gaudio est susceptus à suo Patre aeterno, dicente ipsi: *Sede à dextris meis, donec &c.* Omnibus quoque suis Angelis mandavit, ut eum adorarent. Hi statim se prosternentes ipsum adoraverunt, tanquam suum Deum ac Dominum, egerunt illi gratias pro beneficio, quod praestiterat mundo, & pro mysterijs, quæ in remedium animarum erat operatus. Hoc ibi in summa fuit actum, non enim suppetunt verba, ad exponendam majestatem, quâ illic singula animæ representabantur, & admirationem, quâ ab ipsâ spectantur. Peractâ istâ adoratione Dominus mihi dixit: Anima vade in pace: modò namque hic non manebis, sed aliàs, quod brevi fiet: & postquam fuisset impertitus suam sanctissimâ benedictionem mihi, Patribus, & meis sociabus, quæ me comitabantur, reversum ad meum angulum. Diu post me Dominus secum univit, denuoque duxit ad cœlestem Jerosolymam, ubi mansi per hanc totam octavam, sicut à Domino dictum fuerat.

Deinde agens cum Sancto Patre Ludovico de Ponte, interrogavi illum. Sancte Pater, si ij Religiosi, & mea sociæ non viderunt, neque perceperunt quod ego, quid illis profuit, quod ibi adfuerint? Sanctus autem respondit: Quamvis non viderint, nec intellexerint quod tu, licetque eo tempore fuissent distenti & occupati

alijs rebus (quod tamen nunc de ipsis non assero) multum illis profuit, quia fuerunt participes benedictionis, quam ijs Divina Majestas est largita. Adverte, nunquid non vidisti Patrem habentem filios sibi valde charos, de quibus, dum sunt parvuli, dormientibus, omnisque expertibus curæ, Pater ipsorum sollicitatur, procurando ijs omnia bona, & solemter cogitando, quid illis sit daturus, in quo eos vitæ genere collocaturus, ubi adoleverint? Itâ verò agit Deus, qui vobis nec advertentibus benefacit, ac tanquam amantissimus Pater est sollicitus de vestris progressibus, & quomodo majores vobis conferre possit gratias. Benedictus sit tam benignus Dominus, ac tam dignus amari. Amen.

Quâ ratione idem Dominus permittat, ut in hujusmodi animabus reperiantur levissimi, & quasi naturalis defectus, pro majore earundem humilitate, atque ad elicienda inde magna alia bona, & quàm gratiosè ac amabiliter, more suavissima matris sollicitetur de ijs purgandis ab hu exiguis nevīs, indies ipsas magis exornando & expoliendo, docuit Divina Majestas Venerabilem Marinam paucis mensibus post precedentem eventum, in quadam visione: quam illa his verbis descripsit.

Decimâ Julij, illucescente die, hoc eodè anno sexcentesimo vigesimo quinto, dum vacarè meæ consuetæ orationi, exercendo ferventes actus, ut me in omnibus divinæ subijcerem voluntati, sentiebam me cum divina gratia promptam, ut descenderem ad pœnas inferni, si id Deo placeret, fieretque sine mea culpa. Tum mihi Deus representavit pulcherrimum puteum, duplo latiore nostratibus, qui prodiens ex terra tam altum habebat tegmen, ut protenderetur ultra cœlum. Aqua illius erat purissima, cujus claritati nulla hujus mundi est comparabilis crystallus. Abstraxi me ab hoc spectaculo quantum potui: verum mei Sancti Angeli me apprehenderunt, & infernè induxerunt in eum puteum, sursumque per ejusdem aquas promoverunt, donec pervenirem ad ipsius crepidinem, quæ extabat in cœlesti Jerosolyma. Ibi comparui coram Beatissima Trinitate, in pulcherrima veste, candida instar

instar nivis, & resplendente instar Solis; atque ipsemet Trinus & Unus Dominus me alloquens, magnum erga me præferendo amorem, mihi dixit: Veni columba mea, amica mea, quàm pulchra es, & quàm places oculis meis. Mi Deus & mi Domine, aiebam ego, nihil sum; si quid habeo, tuum est, & hanc vestem tu mihi dedisti. Ità est, dixit Dominus, & si quis vitæ mortalis tibi pulvis adhæserit, millies te mundabo, reddamque puriorem ac pulchriorem. Fui quidem repleta solatio, nihilominus etiam summè erubui, & respondi Domino: Mi Deus, grande malum est, quòd, cum tu adeò sis bonus, adeò misericors & liberalis erga animas, tam singularia ipsis præstando beneficia, suaviterque eas tractando, tam magna tamen sit incuria nostra, ut nostræ culpæ commaculent ac defædent pulchritudinem, quâ illas per tuam adornas gratiam & charitatem. Tu, mi Domine, me abluis ac dealbas in flumine tuarum gratiarum, & ego me denuò coinquino. Videor mihi esse similis infanti, qui à matre comitur atque exornatur, & postquam permittitur abire, revertitur ad suas infantiles nugas, humique reptando se inficit pulvere, aut replet luto. Talis namque sum ego, mi Deus. Etiam si verò millies, dixit Dominus, fueris reversa ad pulverem & sordes, ut ais, millies te rursus mundabo; & sicut mater non fatigatur comendo suum filiolum, ità nec ego fatigabor te exornando. Ecce, Marina, hæc parvæ maculæ, de quibus loqueris, hi defectus naturales, atque inadvertenter scaturientes ex anima, & quodammodo connexi cum mortalitate, non commaculant, neque defædant animam, ità ut mihi displiceat: quin imò ex his nævulis ego magna elicio bona humilitatis, & propriæ agnitionis pro eadem anima, quâ ratione animæ potiùs proficiunt, & perficiuntur, quàm ut aliquam patiantur jacturam. Quando is, qui versatur in fodinis metallicis, eruit aurum mixtum terræ, non propterea ipsi displicet: mundat illud in igne, redditque purum. Pictor, qui elegantissimam pinxit imaginem, non spernit illam, quia relicta in conclavi obsita fuit pulvere,

sed facillimè & libentissimè abstergit, ut sit qualis priùs fuerat, etiàmque polior. Idem contingit in hoc negotio, quod tibi expono.

Post hæc verba à Domino prolata, adverti me esse indutam alio, & pretiosissimis distincto gemmis vestitu, atque Divina Majestas conversa ad suos S. Angeles, his dixit: Ducite hanc animam per totam illâ celestem civitatem, ut exhilaretur ac recreetur, & aliquid percipiat ex bonis, quæ hîc reperiuntur. Fecerunt id ij Sancti latini, ducentesque me per illa celestia forâ, ostenderunt mihi summam magnificentiam, comunicante mihi interim Deo sublimissimas notitias sui infiniti Esse, harumque immensarum perfectionum, & gloriæ Sanctorum ipsius. Et sicut hîc, dum quispiam prospicit è fenestra tendente ad forum, die solenni nundinarum, videt confusè, quid in eo proster, quid in illa hominum, bestiarum, officinarum & mercium confusione agatur; ità me ij Sancti Angeli constituerunt in quadam velut specula illius magnæ civitatis, & exhibuerunt mihi spectandum totum hujus mundi grande forum, plenum confusione & negotiatione hominum, vanas operas, & malè impensas occupationes mortalium. Inde me rursus duxerunt ad conspectum magni Dei nostri & Domini, qui me sibi arctissimè univit: quando autem mihi hæc restituta, inveni me in meo angulo, & in consuetâ oratione, quam fueram exorâ.

Elapsâ deinde unâ circiter horâ, vidi descendente ex caelo JESUM Christum Dominum nostrum, cum comitatu innumerabilis multitudinis Angelorum, magnâ conspicuum majestate: appropinquabat meo cubiculo, & ego eram perplexa atque confusissima, voluissimque me quodammodo abscondere, si potuissem: sed nec potui, neque sum permissa hanc voluntatem rejicere. Dominus se collocavit in splendida ac admirabili sede, & omnes celestes Aulici se coram eo prostraverunt, dixitque mihi: Conquiesce Anima, & attende, quid in te velim operari. Advenit, me tunc indutam veste, quali olim mihi consueveram, priusquam aegrotâ decumberem.

berem in hoc paupere lecto, cumque me prostravisset coram eo magno Domino, Divina ejusdem Majestas descendit quasi per duos vel tres gradus ad locum, in quo eram. Vidi, quod ferret in manu quoddam cimelium instar sacri reliquiarij, seu ornate hierothecæ, ubi erant velut insculpta omnia sacra vitæ ipsius mysteria, licet mihi idemmet Dominus etiam ibi videretur existere, seque ipsum portare in suis manibus, sub speciebus sacramentalibus. Accessit igitur ad me, ac diducens in pectore meam vestem, imposuit eò illud Divinum reliquarium, dumque me purissimâ suâ manu tangeret, visâ mihi sum sine dubio experiri, quod manus verè esset carnea: siquidem est omnino diversus, satque dignoscitur alius tactus usitatus Divinarum Personarum, aut Sanctorum Angelorum, quando assument corpora apparentia. Dominus iterum sedit, demittens quasi pendula sua sacratissima brachia super latera fellæ. Tum elevata à Sanctis Angelis, coramque eo flexis genibus collocata, osculata sum, eâ animositate & licentiâ, quam mihi dedit, unum è sacris ejus pedibus, & mox alterum, eodemque modo sum disjuncta sanctas ipsius manus.

His peractis se Ejusdem Majestas movit, quasi vellet abire, id quod vehementer sensi, & abrepta à ferventi mei amoris affectu, ac velut cæcis oculis, ut non adverterem meam vilitatem, dixi illi: Ergone, mi Domine tam citò abis? Tum Ipsiùs Majestas, quodammodo vices meas dolens, mandavit Sanctis Angelis, ut me de nudo secum ducerent ad cælum, quod factum est. Et cum me prostravisset coram Beatissima Trinitate, Christus Dominus noster à me abstulit illam hierothecam, quam intra me posuerat, atque Triunus Dominus me secundò univit cum suo Divino Esse, unde ad me reversa, me reperi in meo angulo.

Dubitabam de significatione illius hierothecæ, & qua ex causâ illam à me Christus Dominus in cælo abstulisset, dumque id considerarem, vidi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui me ex hoc du-

bio expeditur dicendo, quod significaverit, quando mihi fuit imposta, applicari mihi merita Christi Domini, per quæ jus habemus, ac aditum ad cœlestem patriam, ideòque dum in ea existimus, cessare hanc applicationem, quæ fit per sancta Sacramenta, quorum usus non est in cælo, dum fruimur præmio, quod nobis ea merita attulerunt. Benedictus sit semper DEUS. Amen.

Paulo post hanc visionem, Divina Majestas aliud Venerabili Matrini mysterium ostendit, ubi illam edocuit de suavissimo modo, quo non tantum bona spiritalia, sed etiam vires naturales in suis amicis conservat. Hoc evenit decimâ nonâ dicti mensis Julij, & eodem anno, quod sic refert.

Feriâ quintâ, die decimâ nonâ hujus, Dominus mihi dixit, quod me vellet ad se invitare, & excipere convivio. Extimui vehementer, & recurri ad Divinam Majestatem solitâ viâ, & modo meæ orationis; rogavi ut me illuminaret, multòque in hunc finem actus elicui. Dum me ijs occuparem, non poteram non videre, instrui juxta meum lectulum admirabilissimam mensam, tametsi parvam. Confederunt ad illam Domini Angeli mei contubernales. Angelus *Parvulus* quasi stabat, tanquam serviturus ad mensam, & meus Custos adhaerebat meo lateri. Ad caput mensæ accubuit, qui meâ opinione tum videbatur esse summus Angelorum. Ego petebam obnixè lumen à Deo, dicebamque in corde meo, ipsum solùm à me amari & quæri. Ille verò, quem existimabam esse supremum Angelorum, cum interim esset Christus Dominus, mihi dixit. Quiesce Anima, ego enim ipse sum, quem quæris; etiâque meus Sanctus Angelus Custos mihi innuebat, ut quiescerem. Itâ penitus acquievi, & vidi in mensâ patinas cujusdam cibi mystici: in una erant quasi fructus, & in alia quasi herbæ. Licet autem mihi tales apparerent, videbam tamè clarè, nec esse herbæ, neque fructus. Dominus accepit unam buccellam ex herbis, deditque meo Angelo Custodi, à quo fui, imposta in os meum. Ego eam gustavi deglutivi, & sensi in stomacho. Deinde mihi

mihî eundem in modum est data alia buccella è fructibus, utque post hoc illa patina cum reliquis fructibus fuit tradita Angelo *Parvo*, qui ministrabat, & ipse abivit, tanquam eam esset, nescio cui, oblaturus. Data mihî est & tertia buccella, è quadam re, quæ summè resplescebat. Nolebam illam suscipere, tandem tamen sumere debui, & sic fuit finitum convivium, atque mensa sublata. Adhibitis mox instrumentis musicis, canebatur is versus Davidis: *Domine labia mea aperies* &c. ac deinde: *Gloria Patri, & Filio*, &c. Et postquam audivissem hanc musicam, adverti, me versari in mea ordinaria oratione, atque in consveta mihî præsentia Dei.

Præterierunt septem vel octo horæ, & cogitavi de prædicto mysterio, quod licet optarem, non poteram tamen intelligere. Interea conspexi juxta me Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui mihî dixit. Novetis velim, Soror, datas tibi fuisse has buc-

cellas, ut tum debilis tua natura confortaretur, tum etiam tibi conferretur augmentum gratiæ, & ea, quam habes, conservaretur. Visa mihî sum hoc audito aliquantum affligi, & dixi ipsi: Si ita est, Sancte Pater, oportet me esse valde improbam, cum sit necesse, me tam extraordinariè sustentari, ut conserver in gratia. Certè Soror, respondit ille, nimia es, ac terribilis in tuis timoribus. Num ignoras, pro augmento, & conservatione gratiæ esse necessaria auxilia Dei, & nos dependere omnes ab amabili ipsius providentiâ? Interrogavi ipsum postea, cuinam Sanctus Angelus *Parvus* tulisset eam patinam? & respondit mihî: Tulit ipsam illi, quæ tibi singulari fervore & charitate sæpe mittit cibum, quo in tuo morbo reficeris; & propter hanc elemosynam, quam tibi facit,

Deus illam voluit remunerari. Ipse sit benedictus in æternum.

CAPUT XXIX.

Dispositio animæ ad contemplationem, & consequendos in ea singulares favores.



Amabilissima Dei cura, quæ has animas duci vidimus, adfert de Lege ordinaria dispositionem, quæ se illa preparant, aptando se ad gratiam Divinae vocationis, ipsas invitantis, ac dirigentis ad tam insuetam viam, à tam paucis tritam, atque ad correspondendum perpetuò acceptis beneficijs. Verum quidem est, multas reperiri sanctas & puras animas, fervientes ex toto corde, & placentes Deo, quin tamen unquam celestis mensa delibent micæ, delicias suavissimas, quæ plerumque in perfecta contemplatione percipiuntur. Occultissima sunt magni Dei nostri iudicia, qui novit ejusmodi animas confortare ad laborandum, absque mercede stipendijs, resservando ipsis vel ideo pro aternitate cumulatiorum immortalium præmiorum superabundantiam. Attamen quamvis anima purissima inveniantur absque contemplatione, nunquam est contemplationem stabilem reperire,

& perseverantem intimam cum Deo familiaritatem, nisi in mundissimis animabus. Dixi, stabilem, & perseverantem: siquidem infinita magni hujus Domini bonitas, utpote prodiga in præstandis suis misericordijs, solet quidem interdum incipientem & imperfectam animam derepente elevare, ad perfectam contemplationem, adhibendo hoc medium tanquam efficacissimum, ad illam subito abstrahendam ab omni eo, quod terrenos redolet affectus. Nihilominus certa sit talis anima, se brevi tam præclaro privandam bono, si illo abutatur, si non incipiat eâ cooperari generositate, quam exigit accepti beneficij magnitudo. Istam dispositionem, quæ in eo consistit, ut anima omnibus abrenuntiet, quæ sapiunt gustum proprium, docuit Divina Majestas Venerabilis Marinam, inter alia, quæ ipsi revelavit in Julio anni sexcentissimi vigesimi quarti, quod ab ipsa sic recensetur.

Dignatus est mihî Deus manifestare ineffabile mysterium Beatissimæ Trinitatis, & osten-

& ostensis mihi tribus magnis gradibus, qui erant in terra, vocavit me dicendo: Veni huc, Anima, & conscende hos gradus. Mi Deus, respondi, non potero. Accede, subjunxit Dominus, poteris enim me adjuvante. Accessi, & primus gradus erat ram altus, ut pertingeret ad meum pectus, videbaturque mihi impossibile ascendere, & idcirco id dixeram. Sed ille Triunus Dominus, inclinans suam majestatem & magnitudinem, me adjuvit. Pater æternus mihi porrexit manum, & conscendi hunc primum gradum. Deinde mihi eam porrexit Filius, & conscendi secundum; ac tandem porrigente mihi manum Spiritu Sancto potui conscendere tertium. Hic fui perfectissimè unita Divino isti Spiritui, ubi vidi, quomodo gloria communicaretur animabus, essentque hæ beatæ, intuyendo illud Divinum Esse. In horum mirabilium contemplatione mihi, velut absorptæ, dixit DEUS: Veni mecum, Anima, volo namque tibi alia maxima ostendere, & ducens me secum, attigit suâ sacrosanctâ manu unam meam aurem, cumque id mirarer, ac more meo timebam, quod esset actio extraordinaria, Divina Majestas hoc dissimulavit, & progrediens ulterius me rursus attigit, uti prius, dixitque mihi: *Audi filia, vide, inclina aurem tuam, obliviscere domum Patris tui.* Auditis his verbis, incepti metuere, & suspicari, utrum non aliquid retinuissem, quod non dedissem DEO, & humiliando me interrogavi ipsum, quidnam deberem oblivisci, denuoque offerre Ejus Majestati. Respondit, me hunc in modum à se doceri, quod animæ, ut ad perfectam perveniant contemplationem, non solum debeant dare omnia terrena, & affectus erga ea exuere, verum etiam omnes delicias & gustus spirituales, perfectissimè se resignando in divinam voluntatem, ut nihil aliud velint, quàm beneplacitum, & gustum hujus Domini in omnibus rebus.

Deinde mihi Divina Majestas ostendit hierarchias, atque choros Angelorum, & quomodo omnes fruuntur ipsius gloriâ, statque beati, contemplantando illam Di-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

vinam Substantiam; & obstupui præter morem, quòd, etsi omnes essent dissimiles ac differentes, admirabilis nihilominus esset eorundem consonantia & harmonia, in ea gloria, & visione DEI, quam ipsis Divina Majestas communicabat, juxta singulorum capacitatem, eo modo, quo hic ex differentibus vocibus resultat svavis & consonans musica. Ibi singulariter agnovi meum Sanctum Angelum Custodem, & alios Sanctos Angelos, cum quibus sum interdum versata, fuitque mihi id præcipuo solatio, sicuti qui peragrans extera Regna, in ijs agnoscit aliquos suos conterraneos. Postquam ista vidi, & illis fui fructa, quæ mihi Divina Majestas voluit manifestare, dignatus est me idem Dominus eadem viâ, quâ veneram, reducere ad meum angulum. Quia verò mirabar hanc specialem gratiam, eò quòd esset minùs usitata, quæsi ex eo causam, & respondit mihi, se ita voluisse docere, quòd, sicut est impossibile, animam absque singulari ipsius auxilio & favore ascendere, ad videnda ac percipienda adeò stupenda bona; ita quoque fieri nequeat, ut revertatur ad statum hujus vitæ mortalis, absque speciali favore, sinè quo natura deficeret. Ipse sit benedictus. Amen.

Quod attinet ad fidelem & perpetuam Ejusdem Majestati debitam, ab animabus incipientibus obtinere à DEO hos favores, correspondentiam, quâ se reddunt habiles ad alios novos consequendos, quamvis ea de re nonnihil sit dictum in primo libro hujus secundæ partis, apponam hic tamen unam hujus admirabilis Virginis schedam, spectantem ad præsens propositum, quæ summam omnia complectitur, & scripta fuit (prout computo, dum certum tempus non reperio) postremis vitæ ipsius diebus, ubi ita ait.

Excitavit DEUS in mea anima incensum, & ardentem affectum amoris sui, quem multi alij comitabantur variarum virtutum, præsertim verò unus vehmentissimus despicientiæ mei ipsius, ortus ex cognitione propriæ vilitatis, qui per divinam misericordiam, in me stabilissimè

U u

mè

mè perseverat, mihiq̄ue per omnem prope vitam adhæsit. Hinc fit, quòd plerumque in hujusmodi occasionibus sentire soleo, èstque cœsttica quædam admiratio infinitæ bonitatis & sapientiæ, atque altissimorum ipsius & occultorum judiciorum, in agendo tam familiariter cum aded vili creatura, & abrepta ab hoc affectu dixi DEO: Quomodo, mi DEUS, est possibile, ut in me opereris tam mira, mecùmque tot, ac tam diversis modis familiariter agas, per totum vitæ tam longævæ decursum, manifestando mihi altissima tua arcana, cum sim tam sordidum & abominabile sterquilinum, atque vas ex rudi formatum limo, & malè excoctum, non valens retinere liquorem, qui ei infunditur; cisterna rupta, dimittens aquam puram & limpidam, quâ repletur? Hoc, mi Domine, est ineffabiliter verum: quid igitur significat, te, tametsi sim talis, ita mecum agere? Jam tunc mea anima erat quasi ebria, magis sequens ductum affectûs, quàm capax rationis, ut vix dignosceret, quid loqueretur, ac proinde, quasi DEUS posset affici tædio & fatigari, perrexi dicendo: Dic mihi, dilecte mi, & Domine mi, per temetipsum te obsecro, & per infinitam bonitatem tuam, dic mihi tandem, nè te fatigem ac tædio afficiam. quam ob causam sic dispergas ac dilapides tuas misericordias, eâsque tam prodigè profundas in animam tam vilem, miserabilem & incapacem ullius boni, tam indignam, ut accipiat hæc beneficia? Dic mihi demum, mi DEUS, quod te interrogo, per te ipsum te oro.

Audivit Dominus DEVS Majestatis, summa cum voluptate & affabilitate, quod illi mea pauper anima, accensa & abrepta à suis affectibus, dicebat, atque cum eodem amore sic ipsi respondit: Anima mea, magna profectò est tua interrogatio: sciendum namque tibi est, quòd Divina mea judicia sint altissima, & secretissima, quòdque ego solus, meâ æternâ sapientiâ, possim meipsum comprehendere. Nihilominus respiciens in-

gentem tuam puram, candidam, ac sincerum affectum, & amorem, quo erga te feror, volo te consolari, tibiq̄ue ad tuam interrogationem respondere, quantum à tua capacitate potest percipi. Vocavi te à principio tuæ primæ ætatis, & simul ac audivisti meam vocem ac vocationem, verè & efficaciter mihi respondisti, sicut scis; atque postquam te ad id disposueram, ac dotibus non modò spiritualibus, sed etiam naturalibus instruxeram, tæque juvabam, illuminabam, ac docebam per totum vitæ tuæ cursum, semper fuisti cooperata, progrediendo gradatim in fidelitate & sollicitudine, quæ tot meis debebatur misericordijs. Sic, Anima, pervenisti ad statum aptissimum, ut in te mea mirabilia operarer, tibiq̄ue mea dona communicarem, quemadmodum tibi constat, & constabit deinde mundo. Ego te diligo, mihiq̄ue in te complaceo. Istud, Anima, est responsum ad tuum quæsitum. Nunc vale, & quiesce in me. Hoc dixit Dominus. Magna inde fuit in me derivata serenitas & consolatio, atque redita mihi post hunc raptum non cessabam, humiliando me, & obstupescendo, agere gratias huic magno Domino, pro excellentia ipsius operum, & admirandis divinæ ejus misericordiæ effectibus. Benedictus sit ob id, quod est in semetipso, & quod infinitus ejusdem amor agit in suis pauperculis creaturis. Amen.

Quantumvis fidelis cooperatio, quam anima contemplativa debent, & exhibent suo DEO, se ad omnes extendat occurrentes materias; quia tamen hæc via unitiva tota est amoris, atque iste tunc solum legitime exploratur, quando adversitates constanter sustinentur DEI causâ; frequentior modus, & occasiones magis continua, quibus Divina Majestas easdem animas probat ac perficit, sunt, dum animose internum, aut externum tormentum toleratur pro dilecto. Ista est via regia horum Justorum, hæc ipsa est illa, quam per omnem vitam suam, per diversa & incredibilia afflictionum & molestiarum genera, trivit Venerabilis Marina, prout in toto hujus fusa historia decursu totius apparuit.
Veri-

Veritatem ejusdem via, & securitatem illi aliquando Divina Majestas, inter alia, exposuit. Rem gestam vobis pro nostro exemplo huius conceptis verbis ipsa descripsit.

Feriâ sextâ, die trigesimâ Maij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, vidi scalam, quæ unâ extremitate erat defixa in terra, & alterâ non solum pertingebat ad cælum, sed etiam procul sursum intra illud portigebatur, donec inniteretur pectori ipsius Dei. Adhibui omnem mihi possibilem diligentiam, ut oculos animæ ab hoc spectaculo averterem, sicuti facere soleo, quotiescunque mihi id in huiusmodi occasionibus conceditur, quod mihi in hac præsentem non fuit concessum, tamen solito vehementius, abrepta à meis timoribus & pusillanimitate, conarer obistere, oprando adire Deum per meam consuetam orationem. Tandem me hi mei Domini Angeli, & alij, apprehensam cœperunt ducere per eam scalam, quamquam renitentem: siquidem non omnino profus eram destituta facultate, ad aliquam saltè repugnandum. Itâ incepti ascendere, adjuvantibus me Sanctis Angelis, & continuo vidi sub dicta scala plurimos feroces molossos, qui contra me confluentes, me conabantur impedire, nè progredere. Exiliebant sursum terribilem in modum, ut me arripere, cum impetu, quo me optabant ac volebant decerpere, quod cum non possent, mordebant gradus scalæ, ac nihilominus prærabie furentes attentabant me dilaniare.

Processi ascendendo usque ad summam scalæ, etiâque ulterius, donec essem ingressa in Deum, non intra profunditatem huius Divini Esse (sic id animæ repræsentabatur) sed quodammodo in extremam superficiem: & videntur mihi isti modi existendi intra Deum, in his occasionibus, posse aliquammodo explicari. Habet quæpiam mater parvulum filium, quem impensè amat, cuique est tenerè addicta. Talem illi affectum ac teneritudinem uno è tribus modis exhibet, vel manu eum ducendo, incedente pecto suis penes ipsam pedibus; vel attollendo ad suum sinum, ut ibi quiescat; vel

admovendo suis uberibus, sustentando illum suamet substantiâ. Itâ, quando anima has à Deo gratias accipit, quæ sunt effectus divini ipsius amoris, quamvis illam apud se habeat, videtur tamen eam aliquando velut manu tenere, tanquam dilectam & gratiosam filiam, ibique ipsi loqui, & cum illa conversari: alias eandem sibi propius admovet; exhibendo illi per arctos amplexus majorem affectum, replendo ipsam majoribus, & purissimis solatijs, communicando ei clariore notitias de suo Divino Esse, atque attributis interdum verò illam quodammodo inducit intra suum Divinum Esse, ipsumque suum cor, ubi omnia prædicta sunt longè perfectiora, ac tam alta & sublimia, dum multa cognoscit & percipit de immensa eâ abyssu gloriæ, ut anima nullatenus sciat, quomodo ab ipsa possint explicari: & quamvis anima multis annis cogitaret de modo exponendi vel atomum, ex ijs quæ ibi aguntur, non tamen posset.

Per hos tres gradus me hac vice Deus duxit, quando ex ista antedicta quasi superficie sum progressa ad interiora, atque hinc ad centrum ipsius Divinitatis, quod nec est centrum, neque superficies: sed ego ignoro alium modum me explicandi. Quando ad me redij, desiderabam scire significationem illius mysterij, quia mihi necdum fuerat declaratum. Quapropter rogavi Deum, & Divina ipsius Majestas mihi solitâ benignitate dixit duo. Primum erat, viam crucis esse certissimam & securissimam, quâ ad illum pervenitur, innuendo mihi, id, quod patior, ac difficultatem, quam experior in procedendo per has vias extraordinarias, esse dispositiones, ut Eiusdem Majestas mihi has præster misericordias. Secundum, vias, quibus animæ ascendunt ad Deum, tanquam per scalas, esse dona ipsius & misericordias, quæ suam habent fundamentum in amabili Dei pectore & corde, unde derivantur ac descendunt ad animas, & cum ipsidem ad eundem Deum revertuntur. Atque istud fuerit eo significatum, quod illam scalam, per quam descendebatur & ascendebatur, habuerit suo pectori innitentem.

tentem. Hac vice non vidi Deum in ulla specie corporea, sed per visionem merè intellectualem, absque omni figura imaginaria, quantum ad ipsum attinet; verum tamen adeò clarè ac distinctè, ut quæcunque exteriorum oculorum visio, omnisque representatio phantasiæ sit cæca, si cum isto modo videndi comparetur. Benedictus sit idem Dominus in æternum. Amen.

In alia charta narrat Venerabilis Marina modum, quo Deus viam contemplativorum distinguit crucibus, & spiritualibus delicijs, quasi ex illis spinis hi flores nascantur, denturque hæc cælestia anacleta, ad confortandam, & refocillandam animam, ut libenter sumat aloè afflictionis, quâ eam probat, reddatque robustiorem, & fidiorem in suo obsequio. Sic verò ait in libello conscripto mense Junio, anno sexcentesimo vigesimo quinto.

Paulò ante festum S. Joannis vidi unum Angelum ex *Parvis*, qui habebat in manibus crucem, cujus brachia erant æqualia, & ab unius extremitate ad extremitatem alterius protendebatur fascia, quâ per totam crucem efformabatur rotundus arcus: in junctura duorum brachiorum habebat crux acutissimam cuspidem ferream, & unâ circiter spithamâ longam. Averti oculos animæ ab hoc spectaculo, recurrendo ad Deum, sicut aliàs. Tum conspexi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui alloquens illum Sanctum Angelum, dixit ipsi: Ita cuspis reddet vehementer attonitam, ac terrefaciet animam hujus creaturæ; & meus Dominus Angelus Custos, auditis his verbis, statim ad me accessit, animando me atque consolando, ac dixit mihi: Hæc tibi cuspis non poterit nocere, si meis manibus fuerit contracta. Et hoc dicto, convenit alterum Sanctum Angelum *Parvum*, ac pertentavit manibus cuspidem, ac si eam permulceret atque emolliret. Mea anima audiens illa verba, & videns quod ab ipso fuerat factum, conquievit, & repleta fuit solatio. Tum is Angelus, qui ferebat crucem, mihi appropinquavit (compellente me Domino, ut viderem ac attenderem, quid ageretur) & cum discooperiret suum pe-

ctus, conspexi in eo pulcherrimum hiatum, seu vulnus, quod referebat speciem elegantissimarum rosarum, & relucebat instar solis. Postquam ad me pervenit, applicuit illam crucem meo pectori, transiitque prædictâ cuspidem meum pectus & cor, ita ut ad alteram dorsi partem pertransiret. Deinde eam exemit, atque ubi fuerat ingressum & egressum lumen, remanserunt tam in pectore, quam in dorso, duo venustissima signa splendidissimi luminis. Signum pectoris erat majus ac pulchrius, & simile illi, quod vidi in pectore Angeli, alterum autem dorsi erat instar stellæ. Hoc peracto Sanctus ille Angelus disparuit, neque ipsum amplius vidi.

Admirata sum istud mysterium, & alloquens Deum, dixi illi: Quid est hoc, mi Deus, & quorsum talia agendo collimas, cum mi Domine noveris, me ipsi reddi valde perplexam? Tum Sanctus Pater Ludovicus de Ponte mihi dixit: Scias velim, Soror, tantum esse amorem, quo Deus fertur erga animam, quæ ipsum amat, & ei servit, ut se eo modo cum illa gerat, quo mater cum filia, quam tenerè amat, ut, quamvis sit infans, & in eo statu, eaq; ætate incapax multorum ornamentorum, quæ illi asservat, nihilominus minime intermittat diversis exornate crepundijs modò ipsius caput, modò manus, jam aureas, jam vestes, non alio fine, quam ut sua se oblectet pupâ, & recreet. Ità magis Deus noster & Dominus, cujus deliciae sunt versari cum filijs hominum, hujusmodi illis præstat speciales favores, per quos ipsis demonstrat Divinam suam complacentiam, ac tenerrimum amorem, quo ipsi afficitur. Præterea tamen te hac occasione duo voluit docere: Primum est, ut ex vulnere, quod vidisti in pectore Angeli, estque signum proprium corporis humani, intelligeres parentelam & unionem, quâ Angeli sunt in Deo juncti hominibus. In eo verò, quod tuum cor fuerit tactum ac transfixum illâ cuspidem, ostensum tibi est, quomodo animæ per divinam gratiam, Dei que favorem, & vim ipsius amoris, eleventur ad contemplationem, quæ

est propria Angelorum: ut agnosceres, quod Verbum Divinum, sicuti est author Angelorum & hominum, ita quoque faciat, ut Angeli descendant ad conversandum cum hominibus, & ab his per charitatem quadantenus reddantur participes eorum, quæ sunt ipsis propria, quemadmodum homines ascendunt ad percipiendum aliquid ex ijs, quibus fruuntur Angeli. Alterum, quod hinc discis, est id, quod tu ipsa experieris, quomodo in hac vita pari passu procedant, tolerantia adversitatum, & gaudium, ita ut ab invicem non separentur: quandoquidem nunquã deest crux inter Dei favores ac dona, neque crux, quam Deus immittit animabus, unquam advenit tam solitaria, ut non temperetur ejusdem Domini suavitate ac dulcedine. Id mihi dixit Sanctus Pater, quo

me plurimum est consolatus. Benedictus sit idem Dominus millies. Amen.

Posterius hoc punctum, quod Sanctus Pater Venerabili Marina dixit, satis clarè representatur in eodem mysterio. Quid namq. aliud erat, crucem circumcinctam fuisse fasciã, & subtili velo, quam quod à Deo fuerit ostensum, sagittam, quã Deus suos ferit, non esse duram, quantumvis talis appareat, cum eam emittat ex mollissimo arcu, insuperque ipsam deliniant manus Angeli ejus? Et quid esse potuit, vulnus fuisse veluti rosaceum, ac habuisse speciem celestis luminis, nisi ut ostenderetur, suavissimam esse dulcedinem, qua provenienti ab ipso inest cruciatui? Laudetur charitas Dei sic tractantis animas, ab Angelis ipsius, eidem servientibus.

☉-○-(†)-○-☉

CAPUT XXX.

Diversi favores, & modi, quibus animæ contemplativæ tractantur à Deo.

Postquam in precedentibus Capitibus vidimus vias & curam DEI, ducentis anhelantes ad perfectionem animas, atque dispositionem, quam ab illis requirit, qui in via unitiva ad ipsum contemplandum aspirant; referemus favores, & modos, quibus Divina Majestas ipsam delibandas præbet celestes gratias, quas continet hoc manna absconditum, quod pro intimis amicis reservat, & ijs, qui omnia propter suum Deum dereliquerunt, amando illum ex toto corde, ipsique soli quam diligentissimè serviendo. Etiam si autem sit verum, animam, quam vis eò teneatur tendere, idque desiderare, ut se per puram contemplationem suo Deo uniat (qui omnium nostrarum ordinarum meditatio est finis) nullatenus tamen debere affectare, vel exoptare hos singulares visionum, allocutionum, revelationum, & similitum rerum favores; quandoquidem hoc desiderio præsentem demonstraret arrogantiam, & in futurum se insuperabilibus exponeret periculis deceptionum, & illusionum diabolicarum, per-

deretque donum vera contemplationis, quod affecuta fuisset: necesse nihilominus est, ut intellegat, non debere ipsam, postquam potiores jam pervicit difficultates, ac pervenit ad cognoscendum, per dulcem istum saporum, & amandum suum Deum, remittere arcum, aut negligere, ut se disponat ad omnia, qua Deus in illa vult operari. Aliud namque est, temerarie hos speciales Dei sui favores ambire, quibus ex se ipsa nunquam esse potest digna; aliud, velle ex proposito, & ex mala sua dispositione, se ijs reddere indignam. Magnum verò ea anima, quibus Deus exhibet, atque exhibebit similes gratias, percipient solatium, ubi legerint ea, que in tota hac historia fuere scripta, & præsertim que scribuntur in sequentibus capitibus: videbunt enim soluta sua dubia, discussos suos timores, & usu comprobatos modos, quibus se Deus puris cordibus communit. Nam dubio procul magnus Deus noster & Dominus voluit, in hac mirabili & prodigiosa Virgine, singularem nobis exhibere ideam, & miraculosum exemplar, unde copiosius, quàm ex alijs, multos cognoscamus modos, qui in mystica Dei cum anima familiaritate solent

U n 3

repe-

reperi. Incipit porro Venerabilis Marina, proponendo nobis visionem, per quam illi ostensa fuerunt deliciosissima mica (in quibus, durante hac mortali vitâ, vera consistit satietas spiritus) quas anime contemplative obtinent ex mensa caelesti; atque sic ait in quodam scripto anni sexcentesimo vigesimo quinto.

Die Sabbathi, in vigilia Pentecostes, pertransivit unam partem mei cubiculi magna diabolorum cohors, qui in unam inferri catenam se sublequebantur, & quidam ex ijs, quotquot illud spatium cubiculi capiebat, ibi remanserunt, tanquam interclusi & affixi. Mei Domini Angeli illos aspiciebant, & nec ijs quidquam dicebant, neque se movebant. Diaboli exhibebant torvos vultus, transfigurando se jam in pannosos & impudentes scurtas, jam in canes & bestias, mutuò sese cum rabie mordentes, donec tandem transirent, indeque discederent. Ego recurri ad Deum, atque cum affectus meæ animæ inciperent vehementer commoveri, abrepta ab illis, & ardens amore Divinæ Majestatis, dixi ipsi: Certè, Domine, si totus mundus esset meus, totum cælum, ac omnis gloria, & quidquid amplius est reperiibile, univèrsa tibi darem. Hæc mea oblatio magnopere placuit ipsius benignitati, & respondit mihi: Dixisti, Anima, quidquid dici potest; veni mecum, volo enim te ducere ad meum convivium. Et non concessâ mihi morâ ulteriore, sui subitò ducta ad caelestem Jerosolymam, ubi vidi instructas fuisse à Sanctis Angelis, mirâ celeritate, & singulari dexteritate, elegantes mensas, nitidissimè apparatus, ultrâ quàm nobis possimus imaginari. Assederunt ijs electi Dei, & vidi spiritualissimè ac secretissimè, ipsummet Deum esse cibum in eo convivio appositum, quo infinitus ille numerus spirituum, & animarum beatarum ineffabiliter oblectabatur, & sustentabatur. Observavi præterea millenas res alias, quæ me omnes rapiebant in admirationem.

Specialiter tamen vidi discursantia sub ijs sacris mensis quædam animalcula, quasi catellos, mirum in modum venustos & gratiosos; qui omnes gerebant quasdam

inscriptiones; indicantes cuiusnam essent: sicuti si gratiosissimus, plurimumque à quapiam magna Principe æstimatus catellus melitzus, ornatus esset parvulâ epigraphe, significante, ipsum spectare ad Reginam. Hi formosissimi catelli colligebant sollicitissimè & velocissimè, cum ingenti voluptate, decedentes ex ea sacra mensa micas: & agnovi optimè, ipsummet Deum esse, qui se quodammodo deiecit: bat comminutum in micas, pro horum animalculorum alimento, atque cupiebat. Absolutâ eâ representatione convivij, prodijt Angelus festinantissimè, volens eos catellos inde clam abigere: verum Divina Majestas illi dixit: Desiste, mi Angèle, & noli ipsos pellere, aut urgere ad abitum, ut discedant cum solatio. Angelus obtemperavit quàm libentissimè, & exornavit singulos catellos quodam quali parvo torque, & corollâ, quâ ratione illis fuit satisfactum, & evaserunt pulchriores. Continuo advenerunt multi Angeli Dei, & magno cum gaudio, ac solatio singuli sustulerunt suum catellum in ulnas; atque vidi, quomodo ipsi blandientes, eosdem deferrent ad terram.

Considerabam ista omnia oblectescens pariter & gaudens, bene verò intellegebam, non potuisse veras esse bestias, quibus Deus cessisset in alimentum; non poteram tamen sufficienter agnoscere, qualenam forent animæ, aut quale mihi eo modo repræsentaretur mysterium. Tunc mihi id Deus per suam misericordiam manifestavit, instruendo me, ostensas mihi ab ipso fuisse in ea specie animas contemplativas, degentes in hoc mundo, quæ magnâ curâ & vigilantia conantur placere suo Deo, à quo sustentantur caelesti cibo, cum non sit alia ipsarum fames, quàm ut cognoscant Divinam ejus Majestatem, & nauseent quæcunque illis bona & oblectamenta terra potest præbere. Deus autem, qui pro summa sua misericordia, se à quolibet, à quo tam fideliter queritur, finit inveniri, impertitur illis in hoc exilio nonnullas micas solationum ac deliciarum, quibus Beati abundanter in patria perficiuntur, ad quam hæc animæ contemplative

suo modo per contemplationem ascendunt, & unde rursus videntur descendere ad terram, quando, deductæ à suis Angelis Custodibus, revertuntur ad opera externa, concernentia divinum ipsius obsequium, & sic se disponunt, atque consequuntur majora merita, ut frequentius & gloriosius ascendant. Benedicta sit Divina Majestas in æternum. Amen.

Post duos ab hac visione menses, idem Magnus Dominus manifestavit Venerabili Marina modum, quo immensa ipsius liberalitas exquirat vias, quibus, contrahendo & restringendo sua beneficia, efficiat, ut exigua nostra capacitas illis amplius frui possit, docuitque eam, cur sese tam sepe ardentissima charitate puris animabus communicet. Hoc scriptum est plenum celesti sapientiâ, in quo Venerabilis Marina sic loquitur.

Intenta eram orationi usitato meo modo, & constituta in consuetâ mihi semper præsentia Dei. Quanquam autem sereno esse & pacato corde, anima tamen non carebat suis solitis timoribus, dum ex una parte se consideraret, quàm esset indigna, & ex alia, quàm admirandas à suo Domino obrineret gratias. Abrepta igitur ab affectibus inde provenientius, dixi Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, quomodo me permittis oecupari à timoribus, quibus angor? Anima mea, respondit mihi benignissimè Dominus, noveris, non esse conveniens, ut hæc vita mortalis transigatur absque aliquo timore. Sufficiat tibi, Marina, omnia quæ in te peraguntur, esse meas veritates, sicut tibi constat. Omnino, subjunxi ego, cum humili & amoris plena gratiarum actione, hoc mihi, mi Deus ac Domine, sufficit, & quidem abunde, neque à te aliud peto, quàm ut cognoscam tuas veritates, atque id assequar, ut tibi placeam, adimplendo in omnibus tuam sanctissimam voluntatem, etiam si vivam afflictâ, quod est verum: considera tamen, mi Domine, posse videri incredibile mundo, me ex tua manu hujusmodi consequi favores & gratias. Noli propterea affligi, dixit Divina Majestas: scis enim, quid tibi aliàs hac de re dixerim; permittite me respondere, quia mi-

hi id incumbit facere, & hujus rei rationem reddere.

Mea anima est mirata hoc dictum, & eodem amoris affectu flagrans, quo antea, replicui: Quid dicis, mi Domine, quid dicis? Habésne forsan, aut habere potes superiorem, cum sis Deus immensæ majestatis, infinitè sapiens & potens, à quo dependent, & ad quem summo feruntur desiderio omnia? non profectò. Quandoquidem ergo hæc æterna est, & infallibilis veritas, quid significat, quòd, mi Deus, dicas, à te reddendam esse rationem? Ità Marina, dixit Dominus, ità reddam rationem, vetuntamen non alteri, quàm mihi ipsi. Scias velim, à mea infinita bonitate taliter puris & mundis animabus præstari beneficia, ut, dummodo ipsæ cooperentur, & æstimando acceptas gratias, proficendo & crescendo in virtutibus, quærendo in omnibus meum Divinum beneplacitum, & intensis affectibus suspirando ad assequendam meam voluntatem, & cognoscendas meas veritates, nè errent in meo obsequio, jam illas eadem bonitas reddat habiles, ut possint coram mea Divinitate, & me Justitia, à me certâ ratione exigere, ut respondeam pro veritatibus, quibus ipsas instruxi, & pro gratiis, quas illis præstiti, quò credantur ad majorem meam gloriam, ac approbentur à mundo; atque nè favores, quos ipsidem specialiter directos ad communem proximorum utilitatem exhibui, ullatenus scandalum pariant.

Post hæc verba dicta à Divina Majestate, vidi quòd eo ipso in loco, in quo idem magnus Dominus erat, cœperit coruscare grandis stella, instar pulcherrimi Phosphori, evibrans lucidissimos radios, qui ferientes suis extremitatibus totam meam animam, & pectus, manus ac pedes miserabilis corporis, me inceperunt divinâ suâ virtute pertrahere ad se, ducentes me paulatim, donec superior pars meæ animæ quasi intimè penetraret illam venustissimam stellam, quæ mihi genuinè videbatur repræsentare magnitudinem Divinæ Essentiæ. In hoc raptu anima penitus suspensa, frucebat ineffabilibus bonis.

Quando

Quando ad me redij, postquam demissis & amantibus affectibus rogavisset Deum, ut cohiberet tam prodigiosarum gratiarum in me hinc viventem profluentium torrentem, quasi ex Ejus Majestate: Dic mihi, mi Deus & Domine per temetipsū, quomodo, cum sis infinitus & immensus, te hac vice volueris demittere & restringere in formam stellæ? cur id fecisti, mi Domine? Anima, respondit Divina Majestas, hoc facio, ut me possis complecti, totūque tuum sinum implere & vacuitatem, secundum tuam capacitatem. Dū anima me suo modo in propria mea magnitudine & majestate cognoscit, ideōque intensis affectibus me stringere ac amplecti desiderat, & non potest, vehementer paupercula angitur & affligitur: unde mea immensa charitas interdum facit, ut me ipsum contraham & coarctem, quasi me adaptando ad mensuram animæ, quo facto ipsa deludit suam aviditatem, sicimq; suam fallit, ac si me quodammodo totum complecteretur.

Hoc Domini responsum magnā meam animam affecit admiratione, multōque amplius svavissimus modus familiaritatis, quā mihi id dicebat: & cum ipsum rogavisset, nē suos pretiosissimos thesauros tantopere erga me, adeō illis indignam, prodigeret, subjunxi: Domine mi Deus, scisne forsan, cui loquaris? Novi equidem bene, id te, mi Domine scire. Cum igitur cognoscas, qualis sim, quomodo mecum tam amanter agis? dic mihi id per tuam bonitatem. Tum Dominus eadem gravissimā benignitate, quā prius, mihi denud respondit: Ecce Anima, quidam ē meis Teologis dicunt, animam, dum existit in gratia, satis esse dispositam, ad me sumendum quotidie in Sacramento, & dicunt bene, loquendo indistinctē & genericē, nam si particularis quispiam casus spectetur, id nequaquam convenit fieri: gravis enim est irreverentia, impudentia, ac temeritas, quod anima non gerens feriam majoris sui profectus curam, neque habens passiones suas mortificatas, cum cæteris requisitis præparationibus, velit ad me tam frequenter accedere. Quo ta-

men non obstante illi suam rationem existimant esse sufficientem, ad concedendam quotidianam Communionem sacram. Quapropter quanto rationabilius, meæq; bonitati conformius erit, ut ego me munda & puræ animæ, semper versanti in mea præsentia, & exoptanti ac desideranti efficaciter mihi placere, qui omnium ipsius cogitationum est finis & scopus, tam familiariter communicem, eam illuminem & instruam, meāsque ipsi manifestem veritates? Profectō non excedo modum, spectatā meā bonitate, & amore, quo similes animas diligo, nec non eo, quo illæ mihi respondent, cum sint mihi tam fideles. Hæc est responsio ad tuum dubium. Nunc vale, & quiesce in me. Humiliter me, & sui delibuta solatio, dum audirem hunc magnum Dominum, qui in æternum laudetur. Amen.

Modum illum, quo se Deus communicat animæ, coarctando se, ut se ejus capacitati attemperet, Divina Majestas alius Venerabilis Marinam docuit, quem ita exponit.

Decimā sextā Februarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto, quæ fuit Dominica prima Quadragesimæ, dum meditarer mysteria Evangelij ejus diei, & multum mirarer, voluisse Divinam bonitatem, pro nostro exemplo, ut Filius Dei post tam diuturnum jejunium pateretur tam, atque tentationes diaboli, quod docemur contra ipsum pugnare, eundemque vincere, fui abrepta ad eum statum, in quo mea anima his diebus plerumq; versatur, & perpendit immensitatem ac magnitudinem infinitam Dei, ita ut agnoscat, semper superesse infinities plura intelligenda, unde indicibilibus exardescit desiderijs, ut plura percipiat. Interea mihi fuit à Domino dictum: Adverte, quod bonum sit eum, qui friget, accedere in proportionata distantia ad ignem, ut calefaciat corpus, & visum pulchritudine flammæ exhiberet; si vero ingrederetur in ignem, ita commoda perderet, atque adurentem. Consistens in litore maris, fruitur svavitatis aurâ, & amœno aquæ aspectu; sed illud vellet intrare, submergeretur. Ita contingit animabus in statu hujus vite

Expecta autem modicum, & videbis aliquid. Conspexi mox Angelum eximie excellentiæ, majestatis ac potentiæ, & significabatur mihi, ipsum esse, atque vocari magni consilij Angelum. Juxta eundem erat alius Angelus speciosissimus, priore tamen longè inferior. Vidi quoque immensum mare limpidissimarum aquarum cœlestium, & quasi inauratarum, quarum species erat pulcherrima, & supra modum jucunda. Apprehendit me ille summus Angelus, demersitque in eas aquas, & quantocyus extraxit, ac elevavit ad quandam lucem, quæ apparebat quasi naturalis, quanquam inaccessibleis: dum verò eam contemplerer, demersit me secundò, statimque eadem celeritate extraxit, elevando me ad aliud, non materiale, sed intellectuale lumen, ubi me Deus absque figuris multa de seipso & stupenda edocuit: deinde tertio me demersam extraxit, sicut prioribus duabus vicibus, ad aliud lumen pariter intellectuale, quamvis multò superius ac subtilius, in quo mihi tot, atque talia manifestavit, ut sicut parvum vas impletur, si in illud infundatur magna copia aquæ, & potior ejusdem pars effluit, ita etiam non potuerim capere tantum lumen, fuerimque in eo quodammodo submersa & perditâ, tamen non sine cognitione earundem rerum, quamquam ita, ut ego illam nesciam explicare. **DEUS**, qui novit, qualiter id fiat, nobis largiatur gratiam, ut æstimemus ipsius dona, iisque bene utamur. Finitâ hac visione me repertum juxta Divinam Personam **JESU CHRISTI** Domini nostri, qui me magnâ suavitate reduxit ad meum angulum, mihiq; manifestavit, se fuisse eum supremum Angelum, qui mihi illa admirabilia monstraverat.

Ante paucos dies mihi aliâ occasione, de hoc eodem argumento, quòd se videlicet Deus coarctet, atque non totum animabus, ob ipsarum incapacitatem, communicet, cogitanti dixerat hæc verba, ut solaretur mea ardentia desideria: Marina, nè te affligas: Si enim cuiquam, qui debili esset ac brevi præditus visu, daretur grandis thesaurus omnium divitiarum

Vita Mar. de Esob. Pars II.

mundi, ut totius fieret dominus, ac tantquam talis ab eo possideretur, quamvis ipsum totum non posset tam clarè videre, quam alius, qui polleret acuto visu & claro, non propterea tamen minùs esset illius dominus: ita hæc, etiam si non videas, neque percipias omnia bona, quæ tuæ animæ proponuntur, non ideo illa minùs possides. Benedictus sit tam bonus Dominus, qui tantâ familiaritate agit cum suis pauperibus creaturis. Amen.

Eodem anno, octavâ Majj, mihi Dominus dixit: Veni mecum Soror, & ostendam tibi hortum, quo meliorem tuâ vitâ non vidisti, ibique tibi instruem deliciosissimum convivium. Fui statim à Divina Majestate ducta ad cœlum, & collocata in pulcherrimo ac amoenissimo horto, qualem nec imaginatione possumus assequi: ubi mihi Dominus spectanda exhibuit tam grandia, adeò plena majestate & gloriâ, ut præ magna admiratione & gaudio ipsi dixerim: Istène, mi Domine, est hortus? hæc est consummata beatitudo. Angeli subito instruxerunt in medio illius gloriosi horti mensam parvam, sed plenam splendoribus gloriæ, superpositâ mappâ, & elegantissimis mantilibus. Ad unam mensæ partem assedit Sacratissima Persona Spiritus Sancti, in figura humana: sed illa imago mihi statim disparuit, atque idem Dominus, ibi spiritualissimè existens, mihi repræsentavit suum Divinum Esse, ad quam repræsentationem explicandam, licet eam anima cognoscat, clarissimèque intelligat, impossibile est verba reperire. Allata deinde fuerunt spiritualissima fercula, ex quibus mihi idem Divinus Spiritus porrexit tres buccellas, proferendo nonnulla verba, quæ ego non intellexi, & interponendo moram inter unam & alteram buccellam, ac si expectaret, ut una priùs stomacho incorporaretur, quàm altera. Quâ ratione id fiat, dicere nescio: constat mihi tamen certò, quòd mea anima in una buccella perceperit saporem Dei, in altera luminis & cognitionis ejusdem Dei, atque tertia fuerit talis, tanquam si mihi integrè fuisset datus totus Deus. Tum mihi Dominus di-

X x

xit:

xit : Confertur tibi denuò magnum donum sapientiæ, & cognitionis divinæ. Eo ipso momento fui correpta illo suavissimo fomno spiritali, de quo sum toties locuta, ubi anima quievit, & cum magna pace ac serenitate est fruita ineffabilibus bo-

nis : postea verò me sibi DEVS univit altissimâ unione, in qua aliquamdiu permansi, donec mihi reddita me reperi in meo cubiculo. Benedictus sit hic magnus DEVS. Amen.

•••••(H)•••••

CAPUT XXXI.

Prosequitur eandem materiam.



Eriâ quintâ, decimâ quintâ die Maij, & in Octava Ascensionis, dum gravissimè affligerer doloribus pectoris & stomachi, venerunt ad me iidem isti Domini Angeli, dixeruntque mihi cum suavi quodam imperio : Soror, veni nobiscum ; & statim me, quin id possem evitare, duxerunt ad cœlestem Jerosolymam, ac præsentaverunt Divinæ Majestati, quæ ipsis dixit, ut me circumducerent per eam beatam patriam, quò modicum illius aspectu exhilararer, ac refocillarer. Itâ factum est. Duxerunt me per plateas, & fora pulcherrima cœlestis civitatis, ubi quid videatur gloriæ & pulchritudinis prorsus diversæ ab omni eo, quod potest concipere imaginatio, impossibile est recensere. Postquam autem in id fuisset impensum nonnihil temporis, rursus me deduxerunt ad meum angulum.

Ibi captâ modicâ quiete, audivi hos meos Dominos Angelos dicentes : Divinus Sponsus venit ; quo audito elevavi oculos animæ, & vidi (prout id tunc præsentatur) in cœlo Dominatorem Dei Spiritum sese movere, & cœlos, ob reverentiam illius immensæ Majestatis concuti, tantumque in tota ea aula fieri motum, & quasi strepitum, significativum adorationis & venerationis, ut non suppetant verba, quibus id declaretur. Eo ipso tempore conspexi pulcherrimum ex cœlo descendentem, atque me versùs motu lento & gravissimo venientem Solem, quem comitabatur innumerabilis exercitus gloriosorum spirituum, quorum multi infer-

viebant illi Divino Soli, quasi vice umbellæ, alij loco throni, & alijungebantur quodammodo munere stipatorum ac assecularum hujus Domini, omnesque summa cū reverentia protestabantur, se ipsius esse servos. Illuminata cœlitus bene intellexi, hunc Dominum non esse Sacratissimam Personam Spiritus Sancti ; non agnovi tamen tum, quænam alia Persona esse posset. Idem Divinus Soli mihi appropinquavit, atque evibrando lucidissimum & acutissimum radium, tantâ vi corripuit meum pectus & cor, ut ipsa quoque natura sustinuerit dolorem. Prædicunt deinde alij quatuor radij, qui perstrinxerunt meos pedes & manus, ubi gero sacra stigmata, eundem mihi imprimentes dolorem & cruciatum, quo prius radius affecerat cor, itâ ut retinerem in omnibus ijs partibus quandam veluti dolorificam palpitationem, quæ aliquamdiu duravit. Tunc denique cognovi esse secundam Personam Beatissimæ Trinitatis, quæ mihi specialiter hanc præstiterat gratiam, & in ea figura Solis sese occultando comparebat. Cùm eadem verò majestatem & comitatu, ac descendat, rediit ad cœlum.

Remansi sola, semper tamen in illa mea solita præsentia Dei, & sic orando me ad ipsum converti, dixique illi : Quid est hoc mi Deus ? Profectò gratiæ, quas mihi prestatas, sunt adeò frequentes, ut dolere possit, an tu illarum sis author. Respondit mihi tum Dominus quàm benignissimè : Dic Anima, quis propter omnes homines in virgineis MARIÆ visceribus homo factus est. Filius Dei, Domine, etc.

Bene est, subjunxit Divina Majestas; & quis, cum tantus esset ipsius amor, est natus in paupere præsepio, quis fugit in Ægyptum, totamque vitam egit in summa rerum necessitatum penuria? Respondi etiam celeriter: Filius Dei, mi Domine. Hunc in modum me interrogabat, percurrendo omnia vitæ ac mortis ipsius mysteria, & ego eodem tenore respondebam. Post hoc Divina Majestas conclusit dicendo: Cùm igitur Dei Filius tantum egerit, passusque fuerit pro hominibus, & si necesse fuisset, idem pro singulis egisset ac passus fuisset, quid est mirum, ab eodem ob animam, quam singularissimè amat, eas præitari gratias, quas experitis? Hoc tibi do signum, me esse, à quo hæc in te peraguntur mirabilia, quod nunquam sis caritura meo sancto timore. His dictis Dominus conticuit.

Audivi deinde in caelo alium, similem præcedenti, motum, cum eo strepitu & concussione omnium columnarum illius cælestis civitatis, atque, prout apparebat, totius mundi, quo significabatur majestas & magnitudo Dei descendens, & vidi Sacratissimam Personam Spiritus Sancti, uti mei Domini Angeli initio hujus visionis dixerant, venientem ad meum cubiculum, cum comitatu infinitæ multitudinis cælestium Aulicorum. Non exhibuit se mihi tum summus iste Dominus spectandum in ulla specie corporea, per visionem imaginariam, sed in visione intellectuali. Ingressus est autem meum cubiculum, me plurimum erubescens & metuente, atque alludens ad id, quod paulò antè in me fuerat operatus Filius Dei, dixit mihi: Nunc bene es disposita pro eo, quod in te operabor. Conspexi statim duos tantum digitos divinæ manûs, qui me modo spiritualissimo ac decentissimo, qualis est Dei, vestiebant & adornabant, pretiosis ac mysticis ornamentis, de quibus in alijs chartis loquor, atque hac ratione exornatam me Divina Majestas secum univit ac duxit ad cælestem Jerosolimam, ubi in eo Divino Esse quievi, & frui sum bonis, quæ nec potest, neque scit lingua humana explicare. Reversa deinde ad me ex hoc

Vita Mar. de Escob. Pars II.

raptu, me reperi in meo loco. Deus sit benedictus. Amen.

Dum Venerabilis Marina loquitur de gratijs, quas ex liberalissima DEI manu suscepit mense Septembri, ejusdem anni sexcentissimi vigesimi quinti, refert novum gradum contemplationis, sibi à DEO communicatum, qualem nunquam, per tot intima cum DEO familiaritatis annos, fuerat experta. Est valde notabile, quod in ea charta his verbis describit.

Per hos dies multæ occurrerunt occupationes, ex conversatione cum proximis, quæ me, etiamsi omnia, de quibus agitur, concernant honorem Dei, sive jam sint temporalia, sive spiritualia, nihilominus aliquantum impediunt in meis exercitijs, & affectus animæ interim velut coercentur: cessante autem occupatione profiliunt cum impetu, majorique vi prorumpunt, ut præ eorum vehementia mihi videar discumpenda. Dum itaque sic essem comparata, Dominus mihi dixit: Anima, es fatigata propter violentiam tuorum affectuum, provenientium ex agnitione tuæ vilitatis, & ardenti desiderio assequendi majus meæ voluntatis beneplacitum. Veni modicum mecum, & quiesces. Derepentè me Dominus secum duxit in arcta unione, & videbar mihi velut federe ad pedes Domini in oratione quieta, ac somno spirituali, capite acclinato ad sacrum ipsius genu, cognoscendo in hoc modo contemplationis multa de Divina Essentia, & Divinis attributis, quiescentibus, & quasi sopitis omnibus sensibus externis, atque suspensis in profundo silentio omnibus inquietudinibus imaginationis, ocellis animæ portis, prohibito in eam ingressu omnibus hujus vitæ mortalis rebus, ut hunc in modum nunquam aliàs plura possint videri.

Ità me magno affluentem solatio Deus elevavit ad alium altiore gradum contemplationis, cujus mihi modus fuit visus mirabilis, eò quòd illum nunquam fuerim experta. Res ità se habet. Sicut hîc, dum quispiam quietè dormit, sævavia interdum habet somnia, in quibus se videre existimat sibi jucunda; ità protus (quantum uti possit

X x 2

possumus exemplo) mea anima sopita in prædicta quiete, alium inivit modum cognitionum, acsi revera somniaret. Somniabam autem, me esse mortuam, & animam separatam à corpore jam frui Deo in beatitudine, réque ipsâ mihi videbar in ista contemplatione oblectari bonis æternis, sicut illis oblectantur Beati, & mea anima erat plena, satur, atque contenta Deo. Itâ sui diu constituta, verum optimo tempore evigilavi ex his, ut sic dicamus, somnijs, & deprehendi me in eo primo gradu contemplationis, in quo inchoaveram orationem: erat autem, nostro more loquendi, somnus spiritualis, & quies in Deo, quin tamen somniarem de sublimiore quopiam bono. Tum svavibus animæ affectibus incitata dixi Divinæ Majestati: Ah mi Domine, & mi Deus! Cæcus somniabat, se videre, & somniabat, id quod optabat. Bene nunc agnosco, me adhuc degere in vita mortali: quòd essem mortua, & beata te fruerer, fuerunt somnia. Nequaquam, Soror, dixit Dominus: omnia certo modo fuerunt vera. Ausculta: si quæpiam Princeps in remotis degens terris, jamque per Procuratores magno Regi desponsata, dum proficiscitur ad capiendam possessionem suæ coronæ, somniaret, se jam in regio sedere throno, & sui palatij frui splendoribus, possidendo gloriam & opulentiam sui statûs, nonne diceretur, istud somnium non fuisse omnino sterile; neque gaudium, quod dormiendo perceperat, extitisse prorsus irritum & inane? siquidem revera intra paucos dies esset repertura, quidquid somniaverat, eoque fruitura. Idem verò tibi suo modo evenit in his, quæ tu sic vocas, somnijs, cum fuerint veritates. Ostensa tibi fuit gloria cælestis non inaniter, sed ut illâ exhilarareris, eamque experireris, quam es quantocyus possessura, dum non quasi sopita, & abalienata à sensibus, sed vigil in lumine immortalis ingredieris, ad potiendum regno, quod tibi præparavi. Summo mihi hæc Domini verba fuerunt solatio, & quando sum ad me plenè reversa, deprehendi me in meo angulo. Benedictus sit millies tam benignus Deus, Amen.

Sequenti capite de novo attingitur hic modus contemplationis. In alio ejusdem anni scripto, ubi, etsi non notaverimus diem, colligere est, rem gestam esse paulo post præcedentem visionem, sic ait.

In eo statu, in quo Deus meam animam conservat, prout aliàs dixi, ingens est ipsius aviditas ac desiderium, magis magisque cognoscendi hujus summi Boni, quod est Deus, ut ipsam tantò amplius possit amare. Licet namque anima hoc Bonum contempletur, quantumcumque tamen illud agnoscat & amet, temper intelligit, infinita sibi deesse cognoscenda, & amanda in suo Domino. Idcirco crescit intimum desiderium progrediendi ulterius, quantòque plura ipsi ex eo Divino esse manifestantur, tantò magis augetur ejusdem fames, ut plura cognoscat. Ex verò mirum est, animam in hac tam ardentium desideriorum constitutam ustrina, ut ipsi videatur consumi, dum illa nequit cohibere, aut adimplere, nihilominus aliunde re ipsa esse, nescio quomodo, ita in voluntatem & beneplacitum sui Domini resignatam, ut, acsi nihil aliud desideraret, nihil velit amplius, quam id quod à Deo fuerit constitutum.

Cùm idem Dominus sit adeò benignus, ac tantopere vices illorum doleat, qui ipsius tantummodo causâ affliguntur, ut me consolaretur, multis me & varijs modis docuit, impossibile esse, spectatâ hujus mortalis vitæ capacitate, ut pauper anima perfectam assequatur suorum desideriorum impletionem. Quadam magis vice, inter alias, id ipsum ab eo sui sic edocta. Vidi Jesum Christum Dominum nostrum in specie sublimissimi Angelum, quem, per lumen mihi ab ipso communicatum, non aliter agnovi, quam quòd dicit Angelus magni consilij, & dixit mihi: Veni mecum Anima, volo tibi ostendere quiddam mirabile. Reluctata sum quantum potui, donec tandem eò redigeretur, ubi anima ultra nequit resistere. Dedit me Ipsius Majestas per vias inusitatas, per montium clivos, ac deinde per valles, descendentibus interea ex cælo tam copiosè ac densis folijs rosarum, quam cadere so-

lent flocci nivium. Multa ex illis cadebant super me, à quibus contegebar in facie, & alibi, ut mea anima magnam inde perciperet suavitatem & consolationem. Ambulavimus, donec perveniremus ad litus vasti maris, cujus aquas aspiciebam, non extendendo visum ulterius, quàm ad spatium, quod solet occupare magnus fluvius. Apparebant mihi aquæ tanquam inauratæ, sed ita ut transformarentur in varios colores, similes his, quibus collucet iris. Dominus autem mihi significabat, illud immensum mare esse symbolum Divinæ Essentiæ, atque varijs coloribus representari Divina attributa. Tum ille sublimissimus Angelus videns me esse ita constitutam, & quòd non attollerem oculos, neque exporrigerem visum, ultra illud breve spatium, de quo dixi, me iussit oculos elevare, totumque mare perlustrare. Aspexi, & vidi obiter mare quaquaversus extensum, adeò per infinita spatia diffusum, ut mihi videretur interminatum. Miranti mihi tam singulare spectaculum, dixit ille magnus Angelus: Visne transire istud mare: audeſne illud transfinare? Nequaquã, Domine, respondi. Age, subjunxit ipse, & ingredere has aquas. Non, non, dicebam, quia ibi submergerer, ac suffocarer; & sine mora me ad ipsum converti, atque interrogavi: Audeſne verò tu Sanctissime Angele, illas omnes pertransire? Respondit mihi eo modo, quem nescitem explicare, ita nihilominus, ut clarè intelligerem, mihi id ab illo partim affirmari, partim negari; unde ipsi statim dixi: Itaque, Domine, si tu non audeſ, quã ratione vis, ut audeam ego?

Interim vidi decidentem ex cælo infinitam copiam earum rosarum, quæ per viam pluerant; dum autem caderent super illud mare, acsi essent ineffabili modo præditæ intellectu, adorabant ipsum & venerabantur. Tum intellexi, sublimissimum illum Angelum, à quo fueram ducta, esse Christum Dominum, qui ut est Deus poterat immensum mare Divinitatis omnimodè pertransire, non verò æquè ut est homo. Intellexi præterea, illis roſis significari Angelos Dei, ipsum adorantes,

qui nos in montibus ac vallibus, representantibus varietatem viarum, & eventuum hujus mortalis vitæ adjuvant, confortant, & solantur, tanquam ministri hujus magni Dei, quem animæ possunt quasi ex litore magis minùsve contemplari, prout illas Divina Misericordia disposuerit: ingredi verò in ejusdem profunditatem, eamque penitus pertransire est impossibile. Redivi ad me ditata, & recreata tam divinâ instructione, reperique me in meo angulo. Benedicita sit Divina Majestas. Amen.

In prima parte hujus historiae habetur alia visio, in qua Venerabilis Marina indicat, à Christo Domino, in quantum est homo, licet omnia cognoscat, quæ Deus cognoscit, non tamen cognosci adæquatè, aut eadem perfectione, quod ipsum hoc loco dicit. Non poterat Christus Dominus, quæ homo est, mare Divinitatis totaliter pertransire: quamvis enim illud aliquatenus totum pertransit, non eâ tamen perfectione. & comprehensione totali, quæ id potest ut Deus. In alia charta recenset, quod illi agenti cum Deo evenit anno sexcentesimo vicesimo sexto, in Augusto, atque describit sequentibus verbis.

Multum fui fatigata conversando cum proximis, quibuscum multa, ex beneplacito Dei, & jussu mei Confessarij his diebus contuli, pro quarundam spiritualium ac temporalium necessitatum remedio. Et quia desiderabam, quanquam cum magna resignatione, ut sola cum Deo agerem, dicebam illi: Ah mi Domine, utinam me duceres ad quampiam solitudinem, ubi absq; strepitu creaturarum sola te possem alloqui! Eodem momento conspexi Divinam Majestatem, quæ mihi dixit. Fiat licet, Anima, promisi namque me ducturum animas mei cupidas ad solitudinem, ubi secretò, & sine tumultu mecum loqui possint. Vidi subito multos Angelos Dei, qui in immensa altitudine ædificabant incredibili celeritate tabernaculû, quò absoluto illud eadem velocitate aptaverunt & adornaverunt, ut esset quàm elegantissimè concinnatum, atque non aliter resplenderet, quàm si ex cælesti igne esset constructum. Intrâ idem erat positus magnificentissimus thronus, in quo se

collocavit Majestas Domini Dei nostri, qui me vocavit, & ad se pertraxit, inclusitq; in suum sacrum pectus, ubi mea anima innatabat Deo, secretissimâ perfruens pace, & ineffabili gaudio. Dum autem huic (vavissimâ quieti divini otij indulgerem, quod quidem nequit explicari, dixit mihi Dominus: Anima, hæc est solitudo, ad quam potes ascendere, & quâ frui poteris, ubi, & quodocunque volueris. quibus verbis dictis fuit illud mysterium finitum.

Aliâ die, quæ fuit trigesima Augusti, alloquens in oratione Deum, dicebam illi: Mi Deus, & mi Domine, en adest pauper mendica, infirma, & vulnerata; atq; alia hujusmodi verba, quibus Ipsius Majestati representabam omnes meas miseras, & quid de me sentirem. Deinde me converti ad meos Sanctos Angelos, dixique ipsis: Mei Domini, dicite id Deo, quia hoc ipsû scietis melius exponere. Bene loqueris, responderunt illi, bene potes in tuo proposito progredi. Tum vidi Christum Dominum nostrum, qui mihi peramanter dixit: Quid habes Anima? quid tibi est? Cui ego: Tu mi Domine es omnipotens, poterisque me à meis infirmitatibus liberare. Adfuit Ejusdem Majestas in vestitu, quem gerere solebat, dum viveret in mundo, tametsi is totus esset splendidus atque gloriosus, & dixit mihi: Sum Deus omnipotens, & tuus Dominus, tuus Magister, tuus Medicus, & dico tibi, te non laborare morbo, à quo cureris, sed indigere, ut confirmeris in sanitate; & constituens me subito in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, atque coram eo divino throno, bene mihi precatus est, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, te confirmo in sanitate & vita. Observavi specialiter illud dictum: & in vita; videturque me illa benedictio totam penetravisse, & confortavisse animam cum omnibus ipsius potentij, quin etiam corpus videtur novum sensisse vigorem.

Interea mihi in mentem venit, respondendum mihi esse dubio, quod mihi à quodam Religioso fuerat propositum, concernens directionem animæ, cujus illi

cura incumberebat; unâque mihi occurrit responsum, quod ipsi deberem dare. Illa cogitatio me afflixit, & conabar eam excutere. Advertēbam autem etiam, à summo illo Domino, præbitis indicij attentionis, observari has meas sollicitudines. Tum ego ipsi non sine verecundia dixi: Pudet me, mi Domine, quod, cum coram te versor, de alijs rebus cogitem, quàm de eo solùm, quod mihi à te dicitur. Non agis hæc in re malè, respondit Dominus: quin imò istæ cogitationes mihi magnopere placent. Sicut enim aliqua magistra gaudet, dum videt puellam, suam à principis discipulam, usque adeo profecisse in arte præstanter tractandæ acus, ut jam aliam possit magistratam agere; ita ego rectior, quando video in tuis cogitationibus hanc doctrinam, quam es traditura illi, qui te interrogavit, eò quòd ego te eam docuerim, ipsamque à me didicisti. Benedictus sit hic Dominus. Amen.

Concludamus præsens caput aliâ oratione, quam hæc mirabilis Virgo habuit sextâ Majj, anno sexcentesimo vigesimo octavo, ubi clarè cognoscitur benignitas amantissimorum viscerum magni Dei nostri & Domini, qui se communicat puris animabus. Referi illam, ut sequitur.

Orabam eliciendo vehementes affectus, ortos ex notitia mei, & à me agnita veritate meæ vilitatis; accedebant deinde gloria conformitatis cum divina voluntate, & celeris ad perfectionem progressus, modo ordinario, qui communiter usurpatur ab alijs animabus. Conspexi statim Jesum Christum Dominum nostrum, qui mihi dixit: Quid habes, Anima, quid vis? Mi Domine, respondi, nihil præter te. Quod quidem non vis aliud, (subjuxit Dominus, veni ad me, & quiesce. Idem Dominus tulit in suis manibus meam animam (quam videbam in specie splendidissimæ luminis spiritualis) ad caelestem Jerusalem: præsentavit me suo Patri æterni, quem prostrata adoravi, ac deinde lætissimè. Christus Dominus, amabilissimus Servator, me posuit in brachijs lætissimi Patris, qui me sibi univit, & elevari ad immensam altitudinem sui Esse, etc.

fui proflus perdita, & quasi submersa in pelago tam sublimis cognitionis. Paulò post ad me rediui, & agnoscens acceptam gratiam dixi illum sacrum versum: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari suo.* Christus Dominus noster me denuò reposuit in brachijs sui æterni Patris, qui me quàm benignissimè suscipiens mihi dixit: O Anima, quantum me exhilaravisti cantico, quod dixisti! & conversus ad suum Sanctissimum Filium: Accipe, aiebat, mi Fili, hanc animam, & gere ipsius curam, protege eam, donec illam in æternæ constituas vitæ securitate. **JESUS CHRISTUS** Dominus noster, quæ homo, se prostravit, adorando suum Patrem æternum, atque libentissimè accepit in adjunctum sibi præceptum; suscepit me in suas ulnas, & collocavit ad suam manum dextram, dicendo mihi: *Sede à dextris meis.*

Mox fui à quibusdam Sanctis Angelis pretiosissimo exornata torque, & alijs cimelijs, quemadmodum à Deo iussi fuerant; imposuerunt capiti meo coronam, & in unam manum sceptrum, in alteram autem auream clavim. Eram velut attonita, dum tantas res considerarem, ac dicebam Divinæ Majestati: Mi Domine, quale est hoc mylterium? Scito Anima, respondit Dominus, omnes cœli incolæ esse Reges, deberique ipsis sceptrum & coronam, ut tanquam tales inserviant Regi Regum. Ista ergo regia insignia, quibus te nunc vides ornatam, denotant, te capere possessionem regni, quo in æternum suo tempore fruereis. Et ista clavim, mi Domine, replicui ego, ad quid prodegit? Bene est Anima, dixit Dominus, scies id postea. Tunc ter fui depressa, & quasi immersa in solum illius cœli, totidemque vicibus elevata sursum; & Dominus mihi dixit: Age Anima, jam est tempus, ut revertaris ad tuum angellum. Hoc mandatum audivi dolens, ac invita, nec me potui continere, quin Ejus Majestati dicerem: Ah mi Domine, noli me amplius sursum ducere, iterumque deducere ad meum angulum! quando tandem tecum in perpetuum manebo? Bene id fiet, Anima, dixit Dominus, tuo tempore, nunc vade in pa-

ce. Nónne verò, mi Domine, aiebam ego, mihi aliquid donas? Quid tibi à me vis fieri, respondit Ipsius Majestas, quid à me petis? Mi Domine, dicebam, multa à te peto, quæ non facis. Quomodo id dicis, Anima? reposuit Dominus; concedet tibi omnia quæ petis à me. Audi: nunquid non, dum aliquid à me petis, semper unà desideras, ut faciam, quod sit conforme meæ sanctissimæ voluntati, cedatque ad majorem meam gloriam? Quando itaque non facio quod petis, ideo fit, quia non conducit ad meum honorem; atque dum non exaudio tuam petitionem, nihil fit, quod non sit proflus conforme tuo potiori desiderio. Postea mihi Dominus explicuit significationem clavim, quòd nempe esset donum, ut possem ascendere ad arcana, & sublimitatem cognitionis Dei, quando docunquæ vellem: siquidem sinè ista clavim, quæ est divina concessio, nenò potest eò descendere. Ità valedixi Domino, & inveni me in meo angulo.

Restituta meis sensibus adverti eandem clavim in mea manu, & dixi meis Dominis Angelis: Cui usui mihi erit hæc clavim, mei Domini? quis mihi illam servabit? Illi me diutissimè sunt intuiti, & inceperunt præclarâ melodiâ canere Laudes DEI, gratias ipsi agendo, pro eo quod est in semetipso, & pro præstitis mihi beneficijs. Sanctus autem meus Angelus Cultos mihi deinde dixit: Applica tibi istam clavim, hic enim potest asservari. Applicui illam mihi, & sensi, ab ea intimè penetrari meam animam. Benedictus sit hic magnus Dominus, propter tam mira opera. Amen.

Quòd Ven: Marina dicat, datam sibi fuisse à Deo facultatem, ascendendi ad cognitionem Dei, quotiescumq; vell. intelligendum est instar aliorum donorum, & promissionum universalium, quæ à Deo fieri solent hujusmodi animabus ut nempe posset, quandoquæ vellet, ascendere ad has altissimas notitias nunquam autem volebat, nisi ad id à Divina Majestate efficaciter vocaretur. Et quia tam frequenter, quàm vidimus, à Deo vocabatur ad communicationem hujus luminis, dici optime potest, quòd habuerit clavim sacrâ istius conclavis, ad ingrediendum pro suo libitu.

CAPUT XXXII.

Alij arcanissimi modi, quibus se DEUS sanctis animabus communicat.



Visiones, quas hoc Capite commemorabo, sunt prorsus mira & singulares: quamvis autem certum earum tempus determinare non potuerim, probabiliter tamen conjicio, illas esse anni circiter sexcentisimi vigesimi sexti. Primam Ven: Marina ita exorditur.

Magnus Deus & Dominus noster tantus est Magister, tam Divinus Artifex sublimium ædificiorum, ut infinitâ suâ sapientiâ, sciat, ac possit tam diversas conjungere massas, quàm sunt aurum & argilla, atque ex ijs tam solidam ac pretiosam, & undequaque adeo admirabilem & perfectam construere fabricam, ut, quisquis illam consideraverit, possit existimare, omnia esse perfectissimum aurum, eò quòd argilla tam artificiosè ac dextrè sit adaptata, ut non disconveniat ab auro, neque ab ea confusctur aut diuinuatur pretium erecti ædificij, aut solidorum ejus fundamentorù, imò exornetur & illustretur, sicut cimelium pretiosissimi metalli illustratur ab encausto. Benedictus sit millies, iterùmque millies propter talia opera, quæ sunt manifesti bonitatis ipsius, potentix, & sapientix effectus. Ità videlicet planè Divina Majestas videtur operari in pauperum suarum creaturarum animabus, dum ex infinita sua clementia, & amore quo ipsis afficitur, eas vocat, ac disponit suâ pretiosissimâ gratiâ, & illæ respondent, impendendo ex sua parte vilem sui liberi arbitrij terunciolum. Sit rursus millies ac millies benedictus.

Versabar in Divina præsentia, continuis meis oppressa doloribus, ac diuturnis vexata insomnijs, præter tot annorum ægritudinem; atq; inde tantum capiebam solatium, quòd Divinæ Majestati placeat, ut ita sim constituta. Tum humili, & ex amore orto affectu, illi dixi. Mi Deus, & mi Domine, visne mihi indulgere, ut per

hujus noctis spatium prostrata jaceam ad januam tui cælestis domicilij? Tacebo, mi Domine, nè verbum proferendo, & præstolabor elemosynam, quam mihi tuâ liberali ac divite manu impertieris, insulari cerosi mendici, qui se prosternit ad portam palatij, & expectat, donec Rex egrediat, ut videns illum tam morbidum, misereatur ipsius paupertatis, jubatque ei subveniri. Ecce, mi Deus, anima mea est infimissima, pauperrima, omnibus bonis destituta. Dominus Majestatis audit, quod ab ipso tantis desiderijs & affectibus petebam, respiciensque me suis benignissimis oculis, amantissimè mihi dixit: Omnino, Anima, omnino do tibi facultatè, ut facias, quod postulas. Hæc verba Deus protulit modo quodam adeò sublimi, ut se partim ostenderet esse omnipotentè Deum, partim autem exhiberet Patrem tam amantem, tenerum, & compatiensem meis miserijs, ut, etiam si id mea anima nesciat explicare, optimè tamen seiverit experiri, & quidem tam potenter, ut in intentos erumpens affectus amoris, erga hanc summam bonitatem, fuerim modicum suspensâ, & abrepta in illum magnum Deum. Post ex hoc raptu sum reversa, ac dixi Divinæ Majestati: Mi Deus & Domine, bene scis, me esse compositam ex terra, & miserabilem, neque posse meis viribus ita ascendere: sinè te penitus aberrabo, cum ex me nihil valeam: sed nec etiam quidquam volo, quàm tantummodo assequi tuam sanctissimam voluntatem, tanquam taliter indignissima, ancilla. Bene est, Anima, dixit Dominus; bene cognosco tuum affectus: veni nunc ad locum, de quo te locuta, meus enim Angelus, tuus Cultus, meo nomine & jussu te in eo constituet.

Aspexit deinde Divina Majestas meum Sanctum Angelum, ac si ei mandaret, quid illi esset agendum, qui me felicitate, sed modestissimè elevavit ex meo opere lecto, & in ipsius brachijs sui coarctato

somno spiritali altissimæ contemplationis. In momento autem me sustulit ad fores ecclesie Jerosolymæ, ad quarum limen me collocavit. Quamvis essem sopita eo somno mystico, bene cognovi, quod Angelus suo se facto spoliaverit pallio, illudque instar cervicalis suppoluerit meo capiti. Hic aliquamdiu continuavi illam orationem quietis, & somni spiritualis. Verum paulò post (eo modo, quem alibi descripsi) huic velut somno & quieti supervenit alius altior gradus contemplationis, qui est arcanissimus modus somniandi. Somniabam igitur, nec enim id aliter possum explicare, idem quod priori vice, cum majore advertentia & claritate, meam animam jam migravisse ex mortali corpore, conclusisse hanc vitam, stui jam in perpetuum Deo in beatitudine, atque hoc jam sermone fieri, & me sine dubio experiri. Videbatur mihi interea multum temporis effluxisse, quamvis nequeam dicere, quam longum fuerit.

Tum sicut hic quispiam, facto magno strepitu, expergitur ex somno, in quo quiescit, & abruptis sua jucunda somnia, plenè evigilavi, personantibus suavissimis vocibus cœlestis musicæ, quæ Angeli Deo canebant, atque dulcissima tractabant instrumenta, laudando illum & benedicendo, propter infinitam ipsius bonitatem & potentiam. Surrexi subito, & contuli me quam celerrimè eò, ubi illa Divina melodia resonabat: licet autem essem tam pannoſa, & malè vestita, elsetque ingens pudor & verecundia, quam patiebar, dum me viderem inter eos Dominos Angelos, tam splendidè vestitos & ornatos; aliunde tamen tanta erat aviditas & affectus laudandi cum ipsis Deum cantu, ut me non potuerim cohibere, quin ad ipsos accederem. Retrahebat me vilitas vestium, quibus eram induta, atque ampliùs ruditas absontæ vocis, sed non poteram me quodammodo continere; quantòque majorem mihi vim inferebam, ut me refrenarem, tantò majore impetu me impellebat meus affectus, ad laudandum magnum Deum nostrum & Dominum. Tentavi ergo aliquoties, ut id facerem, toridèque vicibus

Vita Mar. de Escob. Pars II.

abstinui, donec tandem veniret quidam Sanctus Angelus, & me duceret, atque collocaret in medio illorum sacrorum musicorum, & cœlestis chori, qui erat quasi è regione Divini throni.

Divina Majestas tunc huic Sancto Angelo, & mihi mandavit, ut soli, & simul caneremus: *Gloria in excelsis Deo*; quod factum est, & nescio quomodo acciderit, ut mea vox admirabiliter consonaret voci Angeli. Deinde totus ille cœlestis chorus perrexit, donec perveniret ad illum versum, cujus verba sunt: *Quoniam tu solus sanctus*. Atque tum se omnes prostraverunt coram Divina Majestate, rursumque surgentes finiverunt psalmum. Dominus eundem Sanctum Angelum, & me de novo jussit cantare alium versum, qui fuit: *Sit nomen Domini benedictum*. Cui universi responderunt: *Ex hoc nunc, & usque in sæculum*. Tertià vice intonando diximus: *Benedicat nos omnipotens DEUS, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. & omnes responderunt: *Amen*. Iterum se omnes prostraverunt, atque Dominus Majestatis ipsis est bene precatus: optimè verò intellegebam, fuisse tres benedictiones trium Divinarum Personarum, quæ, nescio quâ ratione, unam solam, & unius solius Dei benedictionem componebant.

Mirabar summopere, videndo tam admiranda Dei opera, neque parum stupebam me ipsam, observans, me non habere ampliùs laceram & vilem vestem, in qua adveneram, sed esse eleganter ac splendidè indutam. Videbar mihi absque dubio ibi tota existere cum anima & corpore; nam optimè adverti, superiorem partem animæ fuisse raptam in ecstasim, & arctissimè unitam suo Deo, tanquam esset submersa, penitusque perdita, ut ipsi videretur impossibile inde exire; partem tamen inferiorem cum natura lutea, quantumvis tum exornata & resplendente, fuisse aliunde tam debilem & prostratam, ut eam necesse fuerit, à Domino Deo, & à meo Sancto Angelo Custode, tanquam blanditijs refocillari, confortantibus me, donec reponeret in meo paupere angelo, ubi me præter morem sentio naturæ

Y y

viri-

viribus destitutam, ac si quodammodo carerem meliore me vivificante parte animæ.

Taliter sum his diebus constituta. Benedictus sit Deus, qui id vult. Unâ harum noctium vidi duos dæmones, qui, velut afflicti ac desperati, millenos edebant gestus capitibus, brachijs, & reliquo corpore, seque in omnem partem versantes dicebant: Quid nobis est agendum? quid infelices faciemus? Deus hanc animam eò abripit, quò nos facultatem non habemus, neque permittimur pervenire. Deus illam apud se detinet, nec dimittet: vè nobis, quia nihil possumus efficere. Dum hoc dicerent, quasi terrefacti, quòd se unus è meis Dominis Angelis moveret, aufugerunt, & ruerunt præcipientes usque ad infernum. Ego, quæ Dei est bonitas, cum illos jam noverim, sciãmq; non posse ampliùs, quàm velit Deus, ipsos minimi facio. Egi autem millenas eidem Domino gratias, qui sit bñdictus. Amen.

Advertendum est, canticum, sive hymnum ecclesiasticum Missæ, qui incipit ab ijs verbis: Gloria in excelsis Deo. vocari hoc loco à Vener: Marina psalmum. Pariter Sancta Mater Teresa, referens quandam visionem, quam habuit de Beatissima Trinitate, dicit sibi illam evenisse, dum recitaret psalmum: Quicumque vult &c. cum tamen fuerit symbolum S. Athanasij; ut erubescant docti, qui tantâ præditi eruditione ac doctrinâ, intelligunt, quid recitent, neque tamen promerentur spiritum, qui communicatur rudibus animabus; etiam nomina ignorantibus eorum, quæ tanto fervore exequentur. Nam plus in oculis DEI valet una drachma humilitatis, quàm multi centenarij scientiæ. Pergit nostra Virgo in alia visione, quam ita enarrat.

Agens cum Deo in mea consveta oratione, vidi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui mihi, postquam me salutavisset, dixit amcenè: Anima, scias velim, Dominum Majestatis tibi velle magnam exhibere gratiam, dispone te, & præpara, ad illam suscipiendam. Quamvis autem Sanctus id dixerit vultu hilari, nescio tamen quâ ratione, ex modo loquendi, meæ animæ visum fuerit, gratiam, quam

mihî DEVS esset præstiturus, esse quidpiam adversum & molestum naturæ, idè: que ista se cœpit exerere, ac timere. Sanctus Pater agnovit meam suspensionem, & solatus est me, atque animavit, dicendo: Noli timere creatura Dei, noli timere; quod enim DEUS tuus operabitur, cedit ad majus tuum bonum, neque crux hæc erit portatu gravis, sed levis ac svavis. His verbis, & præsentia Sancti sui animata, vidique subito descendentem ex cœlo innumerabilem exercitum Angelorum, qui comitabantur Sacratissimam Personam Patris æterni, & Sanctissimi ipsius Filij, CHRISTI Domini nostri. Ità venerunt ad meum cubiculum. Ego timens, perplexa, ac tremens petivi, meo more orando, à Divina Majestate magno affectu, ut me illuminaret, ac non permitteret errare, in cognoscendis suis veritatibus, aut etiam in minimo recedere à sacratissima sua voluntate. Tum mihi magnus iste Dominus, singulari amore & benignitate, dixit: Bene, creatura mea, bene dicis; malem mihi placuit iste tuus affectus, & petitiò. Sed nunc attende ad id, quòd tibi volo monstrare, & in te operari.

Hoc auditò, defixi oculos in eo sacro mysterio, ità ut illos nè uno momento inde potuerim avertere, atque vidi æternum & summum Patrem in humana, sed subtilissima ac spiritualissima specie, qui habens ad dexteram suam unigenitum suum Filium JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, deponit quàm gravissimè ex sacro ejus capite aureum elegantissimum diadema, splendens diu Sole, & eadem gravitate illum erat pretiosissimâ quasi regiâ veste, quæ erat indutus, relicta ipsi aliâ tunicâ interiore, quæ erat pretiosissima, & candidior niye. Vidi deinde, quòd idem Dominus noster JESUS CHRISTUS sic ceperit sudare à suo sacro capite, usque ad sacratissimos suos pedes; guttas sanguineas, decurrentes usque ad solium, cui Ejus Majestas insistebar, quòd solium mihi videbatur referre pulcherrimum colorem cœli. Sic illa alba et

mystica vestis tota fuit velut conspersa ac tincta guttis illius pretiosissimi sanguinis. Taliter iste amabilissimus ac Divinus Salvator noster aliquamdiu vivacissimè representabat meam animam dolorem, angustiam, ac derelictionem toleratam eam nocte, quàm in horto Oliveti oravit suum Patrem æternum, & sudavit.

Postea Divinus hic Pater, exiit istam sanguinolentam vestem suum dilectum Filium, relictam illi aliam, cujus candor & splendor erat ineffabiliter gloriosus, & mandavit nonnullis Sanctis Angelis, quibus eam tradiderat, ut me vestirent illam sacrosanctam tunicam, tinctam pretiosissimo sanguine sui Filij: quod ipsi fecerunt, & nulla hominis lingua potest explicare effectus, quos mea anima sensit ob eam vestem, aut modum, quo intelligebat, sibi applicari virtutem pretiosissimi sanguinis nostri Dei & Salvatoris JESU CHRISTI, atque cumulatissimum fructum ipsius meritorum. Fuit verò mirum, naturam, dum anima tanto ditaretur thesauro, sensisse, disponente id sic Deo, quendam quasi dolorem, cruciatum, & afflictionem. Retinui hanc vestem aliquo tempore, nescio, quamdiu, & ijdem Sancti Angeli, qui me eam induerant, me deinde illam exuerunt, ac deposuerunt, ignorans ubi, quia Deus hoc à me videri noluit. Deinde absterferunt quodam quasi linteum mystico, quod mihi adhaeserat ex eo divino sanguine, & cum magna reverentia dederunt dictum linteum S. P. Ludovico de Ponte, à quo pariter fuit acceptum ad manus, & ostensum reliquis Sanctis illis presentibus Angelis, quod ipsi sunt venerati tanquam sacras reliquias, ubi cognoscebant immaculatum sanguinem Divini Agni. Sanctus Pater reddidit linteum Angelo, à quo ei fuerat traditum, & iste illud abstulit, atque DEO similiter non placuit, ut viderem, ubi ab ipso reponeretur.

Post aliquod temporis intervallum, quo cum profunda admiratione spectaveram Divina mysteria, visio desijt, & accedentes ad me duo Angeli Dei, induentesque me splendidissimam vestem, me duxerunt,

Vita Mar. de Escob. Pars II.

suam singuli occupantes latus, ad celestem Jerololimam, & presentaverunt Divinæ Majestati. Deus me aspexit cum magna complacentia, dixitque mihi: Bene veneris, creatura mea, bene veneris. quid vis pro tuo solatio & gustu? dic mihi. Non scivi, neque potui respondere (svavissimis verbis illius immensæ Majestatis; sensi tantum, excitato in me vehementissimo divini amoris affectu, me totam ardere, ac deinde perfectè & arcuissimè unitam huic magno Deo, in quem superior pars meam animam immigravit, seque penitus immerfit, dum pars inferior maneret in priore statu: nescio autem, nec, licet scirem, ullo modo explicare possem, qualiter hæc duæ partes animæ appareant, tanquam ab invicem separatae. Mox ijdem duo Sancti Angeli me duxerunt ad quendam admirabilissimum locum cæli, ubi conspexi quasi sculptam effigiem & figuram meam, quam aliàs videram (quod quidem magis miror, & minus intelligere scio, quàm quæcumque mihi Deus, præter se, in eo cælesti palatio ostendit) & cum hanc meam imaginem contemplerer, cognoscebam unam, superiorem partem meam animæ nihilominus esse absconditam in Deo.

Postquam sum aliquamdiu in magna ecstasi immorata huic visioni, ducta fui ab ijdem duobus Angelis ad meum angelicum, ubi tantopere stupeo tam magna opera, ut existimem, quòd nec vellem de tali mysterio loqui, neque ipsius meminisse. Verecundor coram magno DEO nostro, veneror altissima, & arcanissima ejus judicia, ago illi gratias quas possum, pro eo quod est in semetipso, & quod est erga suas pauperes creaturas. Sit ipse miles benedictus.

Amen.



Yy2

CAPUT

CAPUT XXXIII.

Concluditur hoc argumentum, commemoratis admirabilioribus modis, quibus se DEUS sanctæ animæ communicat.



S admirabiles sunt modi, quibus magnus Deus noster & Dominus se communicat sanctis animabus, quos hæcenus vidimus; admirabilissimus procul dubio est favor, quo Divina Majestas egit cum Venerabili Marina in visione, quam ipsi diu durantem exhibuit, dum, hac perpetuo oculis illius obversante, interim etiam alias haberet visitationes Beatorum, atque novos modos æthiissima cum suo Deo unionis. Videtur id juxta meam supputationem, & spectatis quibusdam alijs circumstantijs, evenisse sub dimidium anni sexcentissimi vigesimi sexti. Recenset ipsa suo Confessario omnia, sic dicendo.

In nomine Domini nostri, & Sanctissimæ ejus Matris. Atenen. Postquam, præter meam diurnam infirmitatem, sustinui terribiles cruciatus & symptomata, redacta sum ad confinia mortis, visumque mihi fuit, advenire horam transitus ex hoc exilio. Divinâ autem Majestate ita ex altis & arcanis judicijs res disponente, ut, licet inter tot afflictiones ac dolores non perderem ordinariam præsentiam Dei, carerem nihilominus deliciosis visitationibus & gratijs, quibus me, sua mihi manifestando mysteria, solebat continuè animare, atque si quem hujusmodi favorem præstaret, is tamen esset brevissimus & profus transitorius, eò quòd videlicet adverteret, vires naturæ esse prostratas, ut tum non posset in rebus majoribus servire, ac opem ferre spiritui; accidit, ut, cum aliquando manè sic essem constituta, ut dico, mea anima viderit descendentem summa cum pompa ex caelo Majestatem magni Dei nostri, non in alia specie aut figura, quàm constante ex spirituali & subtilissima materia, instar transparentis speculi, cui quodammodo inerat lucidissimus Sol, ex cujus Divinis radijs oriebatur pu-

rissimum, & inaccessible lumen. Hoc mysterium tegebatur aliquantum à spiritualissimo velo, quod partim attemperebat, & accommodabat meo captui visum lumen; partim verò confortabat visum meæ animæ, ut illud possem sustinere, atque cognoscere. Comitabatur hunc magnum Dominum & Deum nostrum quidam, qui mihi videbatur esse quàm eminentissimus Angelus, tanto præditus splendore & majestate, ut mea anima caligaret, neque ipsum tunc ullo modo poterim agnoscere. Eundem summum Dominum, & supremum Angelorum, quem secum adducebat, sequebatur innumerabilis exercitus Beatorum Spirituum, & Sancti Patriarchæ Religiosorum Ordinum, de quibus mihi Divina Majestas ante paucos dies dixerat, quòd me jamhi, jam alijs essent frequentius visitaturi.

Accessit verò istud magnum spectaculum, prædicto modo, quàm proximè ad locum, in quo eram. Dominus se constituit è regione mei, & is supremus Angelus ad meum latus sinistrum, cum incredibili mea admiratione ac verocundia. Divina Majestas me derepentè secum univit, per quendam præsentiam sui Divini Esse tam vivacem, tam arcanam, & penetrativam modum, ut multò magis existerem in eo immenso Esse, quàm in me ipsa, adeò ut me nec imbecillitas naturæ, neque acuti dolores, qui ex mira Dei dispositione in omni suo perseverabant vigore, possent ab hac æthiissima unione separare, ipsa-ve ullatenus impedire. Hæc tantopertentè invalescebat, meque stringebat, ut me absque dubio existimarem mortuam, & meam animam esse in manibus Dei. Quando autem aliquantum ad me revertebat, fiebat id modo tam extraordinarium, ut revera possem judicare, me resuscitatum. Ista visio duravit diu, atque dum hoc ten-

pore loquerer, manifestissime advertebam, lingvam ab alio intra me existente moveri, & mea verba formari, cum id à natura debili nequaquam posset præstari. Quia hoc nunquam fueram experta, tota eram propterea cogitabunda, & meus Sanctus Angelus Custos mihi tum, Deo jubente, dixit, quòd ipse meam lingvam moveat, & per me loquatur. Mirabar vehementer, crucis rigorem, & acerbiter dolum, quos patiebar, nullà ratione mitigari, tamen conspectus magni Dei, & eminentissimi illius Angeli, qui stabat ad meum latus, me summopere consolaretur atque recrearet, ità ut evidenter agnoscerem, meam prostratam naturam confortari à Deo, cui eram unita, & vitam miraculosè conservari, qui modus miraculi perseveravit tribus circiter mensibus.

Quadam vice, hoc ipso tempore, Divina Majestas me, ineffabili modo unitam dicto mysterio, abripuit ad cœlestem Jerusalem, ubi mihi manifestavit inenarrabilem suæ Divinæ Essentiæ magnitudinem, & gloriæ, quâ Beati fruuntur, præbendo meæ animæ delibandam unâ quasi guttam illius Divini liquoris, quo ij cœlestes Palatini replentur & satiantur. Hoc non diu duravit, quia statim fui à Domino reducta ad meum angulum, ubi ex quodam gestu Divinæ Majestatis, unâque illius supremi Angeli, intellexi, quòd velent abire, meque privare visione mysterij, quo tam diu fueram fruita, dixerunt enim mihi: Vale Anima; acsi abiturirent. Ego à vehementissimo affectu incitata, mihiq; vim inferens, surrexi, & intinè afflicta exclamavi. Nequaquam, mi Domine, nequaquam te oportet abire, mi DEVS, non debeo te deserere. Necessè est, ut vel me abducas, vel mecum maneat; perpende mi Deus, quid tibi ex his duobus magis placeat; quia alterutrum est faciendum. Hoc indicibili æstuans desiderio sum amplexata pedes illius supremi Angeli, & cum tam propè accesserim, conspexi in ijs, unâque in manibus & latere vulnera, atque agnovi ipsum esse Redemptorem nostrum ac Dominum JESUM Christum. Tum, acsi non essem mei compos, cœpi

ardentissime dicere: Tunc es mi Deus, & mi Domine? Tunc es o JESU, dilecte meæ animæ? Et quomodo latuisti, aliâq; præte personam tot diebus tulisti? Verè quædam mihi apparebant indicia, te esse meum JESUM, meum Deum, & meum Dominum; atque hæc dicendo stringebam fortius illos sacratissimos pedes. Ipsi Majestas autem mihi dixit: Surge, Anima, & quiesce in me; quia nec tu me deseres, neque ego discedam. Interea anima mea fuit rapta in profundissimam ecstasim, penitusque in Domino abalienata. Quando verò sum ad me reversa, idem mysterium denuò obverfabatur meis oculis, sicut antea.

Per hoc tempus Sancti Patriarchæ Ordinum Religiosorum sæpe invisebant meum cubiculum, modò hi, modò alij; semper tamen singulariter honorantes, atque admirabiliter venerantes præsentem ibi Divinam Majestatem: præsertim autem quadam die, quando me visitavit S. Benedictus, Dominus ipsum jussit sedere, & me consolari brevi spirituali sermone, animamque meam recreare. Prostravit se benedictus Sanctus coram Domino, & accepta divina ejusdem benedictione surrexit, atque ad me accedens, & sedens ità locutus est: Anima, & creatura Dei, Divina Majestas te tot exercet doloribus, te suâmet manu excruciat, ut natura videatur penitus deficere. Verùm hac viâ in te admirabilissimos accumulatur gratiæ thesauros, qui tibi parem promereantur gloriam, ut ità, divino ipsius aspirante favore, consequaris illum eminentem statum, quem tibi jam inde ab æterno destinavit. Esto igitur bono animo, & habeto solatium in tuo Deo: breves enim sunt dolores, requies verò æterna. Redde infinitas Domino Deo tuo gratias, pro eo statu, in quo te modò constituit, ubi hoc magno & cœlesti frueris mysterio, quod tibi cum tam specialibus representatur circumstantijs, & mira magnificentia, ad majus tuæ animæ emolumentum, ut ijs explicandis nulla sit par lingua, quæ dicere possit, quomodo id fiat, ac proinde manet soli Deo reservatum, à quo infinita sapientiâ & omni-

nipotentia peragitur. Tantum tibi dico, Anima, te per sublimem & ineffabilem unionem in Deo, & ipsum in te existere, tam arcto vinculo, quod a tuo Deo procedit, ut nunquam sit dissolvendum, aut cessaturum. Nunc vale, ac mane in tuo Deo. Finivit Sanctus sermonem, iterumque coram Deo prostratus illum rogavit, ut mihi impertiretur suam divinam benedictionem, quam Eiusdem Majestas Sancto & mihi benignissime dedit. Ita Sanctus Patriarcha abiit, cum comitatu multorum Angelorum gaudentium, ac si ei gratias agerent, pro divino spiritu, quo me fuerat allocutus, & solatus.

Alias mane, dum hujus celestis mysterij visione essem occupata, fuit in anima exciratus ille affectus, qui semper in fundo mei cordis perseverat, ut quam perfectissimè placeam huic magno Deo: atque cum eodem desiderio, quod tum erat ferventissimum, cœpi dicere quosdam versus, exprimentes meum ardorem, & cum illos proferrem, abripiebar in ecstasim. Subito mihi sum visâ flexis genibus canere meos versus, meque per intervalla, coram ea Divina Majestate, ad certa verba procumbere. Ultimâ autem vice post has prostrationes assurgens vidi, conscriptos fuisse ab Angelo Dei versus, quos internè canebam. Multum id sum mirata, & fui magis abalienata. Postquam ad me redij, deprehendi me decumbentem in meo lectulo, prout semper facio.

Deinde, præterlapso plus quam unius horæ spatio, mihi ille summus Dominus, qui præsentissimus cum magna benignitate aderat, dixit: Dic age, Anima, viderisne tibi posse hoc Divinum mysterium, quod oculis tuis obversatur, penetrare? Respondi eâ celeritate, quâ solet ardentissimus affectus: Omnino, mi Domine, omnino mi Deus, poterò. Itaque veni, Anima, instabat Dominus, & præsta quod dicis. Tunc modicum hæsi, quia mea anima iterum iterumque in novam abrepta admirationem, considerabat illud sacrum mysterium, eidemque sensim sine sensu, ita Deo disponente, appropinquabat in specie spiritualissima, instar exigui vaporis, ac si foret

delicatus (svaliter olens fumus. In hac figura mea anima adivit ac penetravit istud sacrum mysterium, quasi totum pertranscundo, & eodem momento fuit ducta ad celestem Jerosolimam, disparente ipsum eodem sacro mysterio, quod pertransiverat. Quamprimum pervenit ad illum sacrosanctum locum, quidam Sancti Angeli ipsam prostraverunt coram Beatissima Trinitate, & exhibuerunt chartam, cui erant inscripti versus, quos ego cecineram, atque alius Angelus annotaverat. Et Deus sibi in ijs complacuit, deditque meæ animæ suam benedictionem, ac dixit illi: Anima, ascende ulterius ad immensam altitudinem, ubi me invenies, & alio modo videbis.

Mea anima, quæ se, dum coram Sanctissima Trinitate procumberet, humanâ viderat præditam figurâ, fuit statim in specie illius spiritualis vaporis ducta ad sublimissimam altitudinem, quò perveniens conspexi ipsam rursus in humana specie. Ibi illi Deus manifestavit res altissimas, & specialissimas contulit notitias suæ Divinæ Essentiæ, ac perfectionum, & postea ei dixit: Progredere, Anima, adhuc enim tibi est altius ascendendum, & ibi videbis mysteria, quæ tibi ostendam. Dictum, factum. Duxit illam Divina Majestas ad immensam aliam, & summam altitudinem, quæ cujusmodi sit, nulla potest eloqui lingua. Hic se anima deprehendit in secretissima quadam solitudine, & in suo Deo, ita ut in eo loco nihil aliud esse videretur, quam Deus & mea anima, quæ in tam sublimi gradu unionis tantummodo quaquaversum circumspiciebat, nihil videns præter Deum, & amplius Deum. Postea in editissimo loco apparuit admirabilissimum ac divinum cœlum, plenum pulcherrimis & fulgentibus stellis, quæ suis radijs pertingebant ad terram, ac feriebant poetarum & corda multorum famulorum, acque mularum Dei, degentium in diversis regionibus. In medio hujus stellati cœli (quod instar tentorij tegebat illam miram solitudinem) erat singulariter quædam tam grandis, ac adeo coruscans stella, ut videretur esse Sol. Ex hac mystica stella,

seu Divino Sole, prodivit eo impetu evibratum, quo solet emitti sagitta, divinum lumen, quod attingens pectus & cor meæ animæ (quæ, ut dixi, jam induerat speciem humanam) illam prostravit, privando ipsam quodammodo vitâ. Adrenerunt continuò quidam Sancti Angeli, meque mystico testam velo sustulerunt in sua brachia, ubi abivi in ecstasim, & me penitus perdidit: reversa autem ex hoc raptu me reperi in meo angulo, verùm sentiens vehementem dolorem, & habens pectus impetu spiritûs elevatum. Interea mihi objiciebatur, & à me spectabatur mysterium, quod mihi Deus à tot jam diebus repræsentat, qui mihi dixit, me fuisse ab Angelis ex ea altitudine per eosdem deductam gradus, per quos me ipse sursum duxerat; præterquam quòd in reditu non pertransivissem illud mysterium, sicut in habitu.

Tot denique sunt res, tamque mirabiles & novæ, quas contemplando hoc cœleste mysterium experior, ut, quamvis illud declarare, ac distinctiùs exponere summè optaverim, quòd à capacibus nonnullis ingenijs intelligeretur, & inde perciperetur fructus, adverterim tamen, id ipsius esse impossibile meæ capacitati: quæ de te mihi varia animo revolventi, quin possem meo desiderio satisfacere, Deus, qui hoc agnovit, dixit: Animadvertite, Anima, ego sum omnipotens, & eminentissimus, atque habeo infinitos modos, quibus me communicem animabus, diversissimis ipsis manifestando. Quia illarum salutem ardentissimè desideravi, factum est, ut manerem in Sacramento sub accidentibus panis & vini, totus existens in toto, & totus in qualibet ejus particula, ut me sic latentem, & hoc velo cooperatum, anima, quæ me vivâ fide cognoscit, possit suscipere, se mihi unire, fieriq; particeps mearum gratiarû ac spiritûs. Quod si meus amor, potentia ac sapientia istud, & alia fecerunt opera, quæ omnem humanû excedunt intellectum; éstne multum, denudò à me, cum in scientia, potentia, & amandis meis creaturis, semper sim idem, plura alia fieri, quæ ob sublimitatem &

mysterium sint me digna? Tale est mysterium, quod coram te habes, & modus, quo illud pertransivisti. Quandoquidem enim sum immensus, infinitus, & omnipotens Deus, sicut existo in cœlo, ita etiam ubivis alibi, & in quocunque sum loco: atque juxta mensuram meæ gratiæ, ac dispositionis, quam anima habet, cui me volo communicare, eidem arcano modo me manifesto, ut me possit complecti, attemperando me ipsius captui, & reddo illam spiritualem, atque ita conforto, ut me suo modo possit comprehendere, seque totam replere. Et sicut tu taliter transformata, penetrando mysterium, quod vides, te mecum univisti, variâque conscendisti altitudines, donec pervenires ad eam mysticam solitudinem, & observando illam figuram cœli stellati, quâ me communico meis amicis, percepisti aliquos meæ communicationis modos, multosque alios per totum vitæ tuæ decursum es experta, ita infiniti alij in mea omnipotentia supersunt modi, & gradus diversissimi, quibus me dilectis meis animabus communicem, ut omnes & singulos ego solus possim perfectè comprehendere. Istud tuo dubio, Anima, reddo responsum, quo potes desiderio tuo satisfacere. Benedictus sit Deus in æternum propter tanta ac tam rara, quæ admirabiliter operatur. Amen, amen.

Concludamus præsens caput, & argumentum, quod pertractamus, raro favore, quem Christus Dominus Venerabili Marine exhibuit, scribendo, & subsignando quandam schedam, pro ejusdem Virginis solatio. Quamvis enim hæc de re fusè in primo libro hujus secunde partis scripserim, reservavi tamen in hunc locum gratiosam visionem, ex qua admirabiliter possit cognosci, quàm consueverit esse intima, & familiaris Dei cum anima sancta conversatio. Refert hæc mirabilis ipsius sponsæ eventum his verbis.

Divina Majestas excitavit in mea anima ardentos affectus, & vehementia desideria, à quibus præter morem impellebar, ad me ipsi denuò ex toto corde meo tradendam, ut nihil, & nulla superesset cura, quam non consecrarem meo magno Deo, donando illi integrè, ad majorem ejus gloriam

riam & honorem, omnes cogitationes, verba & opera miserabilis meæ vitæ. Abrepta igitur in mea solita oratione ab hoc interno impulsu, qui erat potentissimus, dicebam Ejus Majestati. Mi Deus & mi Domine, volo meâ propriâ manu scribere nonnulla verba, quibus comprehendatur, quidquid nunc sentio, & hanc schedam subsignare meo nomine, ut illam perpetuò apud me gestando, idem absque intermissione dicam ac repetam. Existimo, mi Domine, hanc rem meis desiderijs allaturam magnum solatium. Expendebam hoc meum dictum, ac deinde rursus dicebam: Verùm quid agam, mi Deus, cum propter meum diuturnum morbum, atq; extremam debilitatem, & quia jam propè excæcata careo visu, non possim scribere? Talia verò non sunt scribenda manu alienâ.

In hac affectuum varietate, qui in intimo meæ animæ fundo ardebant instar ignis, vidi Christum Dominum, qui me benignissimè intuens, pari mihi benevolentia dixit: Quid agis, Anima; quale est tuum exercitium? qui sunt isti tui affectus, quibus ad eò æstus & exardescis? Venerabilissima Dei præsentia, atque dulcissima verborum suavitas, me mihi aliquamdiu eripuerunt, reversa verò ad me dixi illi: Mi Deus & mi Domine, tu bene perspectum habes cor meum, omnèsq; ipsius recessus; & quòd optaverim aliquid scribere ad majorem tuam gloriam, ac solatium, & satisfactionem meam: sed non possum scribere, eò quòd sim debilis, & patiar defectum oculorum, sicut nôsti. Hoc, mi Domine, considerabam, ideòque ignoro, quid agam. Bene est, Anima, dixit Dominus, optimum est tuum exercitium, placet mihi. Quòd autem ob tuam debilitatem non possis scribere, noli affligi: adsum namque ego, qui loco tui scribam, quidquid volueris, tibi que gratum fuerit. Postquam id dixit, advenerunt duo Angeli, qui exhibuerunt requisita ad scribendum, provoluti in genua juxta Dominum. Ipse apprehendit calamum, atq; cum majestate divina, in qua à mea anima agnoscebatur Esse Dei & hominis, cœpit scri-

bere in membrana, quæ erat candidior nive, omnes meos affectus ac desideria, restringendo illa admirabiliter, ad quinque, ut videbatur, lineas, caractere cæruleo & aureo. Dum mea anima interea esset attonita, ac attentissima tam sublimi mysterio, defixis in eo oculis, ita ut nè uno momento se posset abstrahere, quando Dominus cessavit scribere, convertit se ad me, dicendo: Anima, à quo hæc scriptura est subsignanda? quid tibi videtur, qui id faciet? Quia ego præconceperam, quòd me per eam vellem obligare, statim promptissimè & ferventissimè respondi: Domine, à me debet subscribi. Tunc illam subscribes? ajebat Dominus; considera bene, an sit conveniens, ut à te subscribatur. Omnino, mi Domine, dicebam ego, bene id consideravi, à me est subscribenda. Adverte, subjunxit Dominus, dic mihi, Anima, dum quispiam exolvit alteri debitum, cui incumbit subscriptio apochæ, nisi illi, qui accipit & recuperat, quòd ipsi debebatur? Quapropter, cum tu præcipuè coneris extinguere debitum, exolvendo mihi quàm optimè potes, multa, quibus mihi es obstricta, mihi competit subscriptio. Ah, dixi tum, mi Domine, ita profectò se res habet, sicut dicis: ego miserabilis sum rudis, quæ me ipsam necio intelligere. Dominus subsignavit sub eò schedam, scripsitque: *Ego Christus Jesu.* & acsi in hoc nomine agnosceret vim suæ Divinitatis, osculatus est illud reverentat tanquam homo, ac tradidit schedam eandem Sancto Angelo, qui juxta ipsum erat, ut ipsam mihi ferret.

Sanctus Angelus venit ad me, & procumbens in genua, honorando characterem ac subscriptionem magni Dei nominis & Domini, quam adferebat, dixit mihi: Anima fortunata, & à tuo Deo, ex intuitu ipsius bonitate & misericordia, dilecti suscipe istud illius donum. Dum autem mihi scriptum vellet porrigere, accessit meus Sanctus Angelus Custos dicens, mihi esse muneris, ut mihi donum à Domino missum applicet. Alter Angelus instabat suo proposito ejusdem mihi applicandi, quandoquidem ipsam Dominus cœ-

isset cum dono. Tum eos Dominus gratiosissimè est intuitus, atque declaravit illis ineffabili modo suam ea in te voluptatem. Meus Sanctus Angelus Custos, tam facilè, quàm diffibulatur thorax, aperuit meum pectus, & acceptà ab altero Angelo scripturà, applicuit mihi illam, posuitq; intra meam animam, Sanctus autem Angelus, à quo fuerat allata, accessit, & clausit meum pectus, ut esset, quale erat prius, rursumque dedit locum meo Angelo Custodi, & iste superposuit vestem, quàm antea tecta fueram: omnes enim has minutias, sic Deo volente, mea anima distinctissimè observavit.

Videns & considerans benignitatem, atque misericordiam talis Domini, sum passa magnam ecstasim, ex qua mihi modicum restituta vidi Eiusdem Majestatem discedentem, quæ, datà mihi suâ sanctâ benedictione, mihi valedixit, quo factò abibat cum multorum Angelorum comitatu. Verùm mea anima, quia grata venerabatur acceptum beneficium, & ob illud colliquecebat amore, vehementer dolens, quòd ipsum videret abeuntem, cepit exclamare dicendo: Quomodo abis, mi Deus: quomodo me deseris, mi Domine? quâ ratione id fit? quo pacto me non abducis tecum? qualiter me hinc re-

linquis, mi Domine? Divina Majestas simulans, me à se non audiri, mandavit duobus Angelis, ut reverterentur ad me consolandam, quod illi fecerunt, & dixerunt mihi, nè me affligerem, paulò post enim me migraturam. At ego abrepta à meo affectu, & velut excæcata meo dolore, quamvis id ab ipsis diceretur, respondi: Ah mei Domini Angeli, hoc vos ipsi excogitavistis, dicitisq; tantùm, ut me consolemini in tam gravi afflictione: ego namque non audivi, fuisse vobis à Domino injunctum, ut mihi tale quid nuntiaretis. Illi me intuiti, vices meas dolendo, dixerunt: Nónne verò, Anima, scis, nihil à nobis posse fieri, vel dici, absque Dei voluntate? Interea ante me comparuit aurea nebula, sicut aliàs, atque ità mea anima cessavit videre Dominum, & ipsius Angelos, unde fuit penitus à se abalienata. Quando postea ex hoc raptu redij, mirabar supra modum talia opera Dei, neque poteram oblivisci eorum, quæ videram, prorumpentibus magis magisque ferventibus amoris, & gratiarum actionis affectibus, erga tam bonum Dominum, sese ità communicantem vilissimæ & miserabilissimæ creaturæ. Sit ipse millies, iterùmq; millies benedictus.

Amen.

CAPUT XXXIV.

Instructio mystica, & monita hujus Virginis, ad intelligendam internam spiritus agendi rationem, atque DEUM inter & animam communicationem.

IN præcedentibus Capitibus nos hac Virgo, tanquam singulariter à Deo illuminata, docuit praxim vitæ spiritualis: cum visiones nobis ab ipsa enarrata, nihil sint aliud, quàm præclarissima exempla, nobis ob oculos posita, variorum modorum, quibus se hic liberalissimus Dominus communicat sanctis, & contemplativis animabus, ubi ipso factò comprobata possint videri monita ac documenta, quæ nobis Doctores mystici, & Sancti Patres, super Canticum Salomonis, distinctius conscripserunt. In Capitibus mox secuturis aliquid intelligemus de theoria, quæ illi, utpote Doctrinæ hujus arcana & nobilissima scientia ascetica, fuit à DEO communicata. Quantunvis autem hæc minimè nova sint doctis, cum præpò omnia in Sanctis Patribus Ecclesia scripta reperiantur, erit tamen etiam illis solatio, & non exiguo ad Christianam animi demissionem stimulo, ubi viderint,

Vita Mar. de Escobar Paris II.

Z Z

rint,

runt, Virginem literarum expertem, de tam sublimibus materijs, tam accuratè, desinitè, & prudenter loqui, quàm posset quisque in triplici Theologia, scholastica, positiva, & moralis, versatissimus, sine quarum notitia periculosè in theorica hujus quartæ Theologia mystica proceditur: quemadmodum quoque parum secuta sunt, & interdum prorsus exorbitantia quorundam judicia, qui triplicis tantum illius Theologiae periti, nullà quartæ prædicti notitiâ (quam anima sancta hauriunt ex libro contemplationis; docti autem ex studio, quod admirandis hujus generis libris impendunt) intrepidè suam interponunt auctoritatem, in approbandis ac defendendis, vel reprobandis & condemnandis spiritibus, eâ facilitate & confidentiâ, quâ resolverent casum aliquem moralem, aut sententiam ferrent de quapiam propositione. Censuratio spirituum requirit plus divini luminis, & plus continet difficultatis.

Non observabo hic alium ordinem, quàm illum, quem invenio in ipsis scriptis originalibus, sequendo successionem temporis, quo ab hac admirabili Virgine dictabantur. Ità verò orditur, exponens, qualiter anima soleat acquiescere, postquam Deo, intimè cum ipso agens, aliquid proposuit.

Hæc divina, inquit, Deum inter & animam communicatio, quantum à me explicari potest, sic peragitur. Divina Majestas communicat superiori parti animæ, extra omnem imaginationum & figurarum tumultum, atque strepitum, ex mera sua bonitate, maximum lumen; quo habito, pro captu creaturæ, permittitur cognoscere infinitum bonum, imensum esse, plenum ineffabilibus perfectionibus. Sic anima intelligit, quòd illam DEUS ipsius alloquatur; agnoscit veritatem, quâ ab eo instruitur, talitèrque disposita amat suum Dominum, alloquitur, interrogat, orat, eique respondet. Et hæc omnia sunt absque strepitu verborum ex parte Dei, etiâque animæ. Hæc agendi ratio & collocutio est secretissima & inexplicabilis; quandoquidem ipsam quoque loquelam, interrogationes & petitiones animæ, videtur ipsemet DEUS disponere & operari, ità ut, Eiusdem Majestate a-

gente, anima firmiter decernat de negotio, de quo fuerat in tam deserto silentio actum: quemadmodum si duo aliqui se in abstrusissimo conclavi clauderent, deliberaturi de re magni momenti, & postquam sibi inicem intima cordium fororum aperuissent arcana, ex ea consultatione sapiens proveniret discussæ materiæ dispositio, & conclusio. Acquiescit anima, & redditur certa, quòd sciat, ac habeat, & conservet in se ipsa veritatem, ac decretum in æterno Divini pectoris pronunciatum Sacratio, tametsi idem decretum & veritas, permaneat in illo Divino pectore, sicut antea; eum in modum, quo speculum crystallinum à Sole, dum ei radios imprimit & speciem, transformari videtur in alium solem, quantum sit certum, solem secundum totam suam substantiam, vim, & splendorem, permanere tanquam causam superiorem, dum aliquos speculo suos communicavit radios, quin eisdem perderet, aut abalienaret.

Agens deinde Venerabilis Marina de diffidentia concepta veritatis, quando se divinum lumen quasi ul: rō imprimit anima, aut quando anima idem divinum lumen quodammodo exigit, sequè cum admirabili propolâ firmitate ac destinatione coram eo constituit, sic loquitur.

Quædam, dum ad idem aspiciuntur lumen, si te ex uno colloces latere, exhibent hanc speciem; si verò ex alio, jam aliam diversissimam repræsentant imaginem, ut videantur mutavisse figuras & colores. Idem evenit in ijs rebus, quæ cognoscuntur, & in veritatibus, quæ intelliguntur, dum considerantur allacete Sole Divino, ut si illas velut in diversis situ spectemus, diversæ nobis tum appareant ac transformantur. Causa hujus rei exiguo meo judicio, est, quam nunc dicam. Ipse DEUS quasi sponte occupat animam, & suis collustrat radijs, elevando eam, ut cognoscat, quod illi manifestat, aut veritatem, quâ ipsam de quapiam negotio imbuat. Imprimatur ei res visa, & veritas, qualis in se est, & qualem illi DEUS monstravit. Fit nihilominus

minus, ut anima (eò quòd, ad majorem Dei gloriam, impensè desideret, illud negotium, plurimùm conducens ad divinum honorem, videre conclusum) postea idem expendat, se quodammodo cogendo, sibi que occultam quandam vim inferendo, ad repræsentandam sibi eandem rem, quam viderat ac audierat, & se reddendam illius quàm capacissimam: quia verò tantopere assuevit versari in divina præsentia, divinifque illis collustrari radijs, videt eam ipsam rem prorsus diversas præ se ferentem species, tamen eæ semper sint bonæ, & respiciant divinum obsequium: quamvis enim lumen sit idem, diversimodè nihilominus communicatur. Nam in priore casu nos lumen occupat quasi ultrò, invitamur ab eo, ducimur, abripimur, ad videndum, quod objicitur; in altero autem, nos ipsi videmur illud invitare, provocare, ac attrahere velut violentè, ut nobis rursus ab eo repræsentetur, & quando à nobis ita conspicitur, jam in illo deprehendimus diversam speciem, & formam differentem à prima, ac si à nobis in alio situ videretur.

Quæstio nunc est, cuiam ex his duobus, quæ ostenduntur, cum utrumque sit bonum, atque ad divinum tendat honorem, anima debeat inniti, ut secundùm illud ferat judicium, & operetur: quamnam ex his illuminationibus sequi debeat, ut disponat de meliore negotij expeditione? Respondeo, debere illam inniti prior, quod ipsi divina lux ex se objecit: nam etiam si postea fuerit constituta in præsentia Dei, & in conspectu ejus luminis, ab hoc tamen illi istud objectum non exhibebatur, sed ab ipsa anima, quæ de eo, licèt bonâ intentione ratiocinabatur: & quid quid diversum deprehendit longè est inferius, minùsque efficax, quàm quod illi Deus ostenderat. Id inde apparet, quòd prior illa veritas ac designatio divina remaneat quasi in perpetuum insculpta, & infixæ animæ, quidquid tandem apparenter exsurgat ad eam disturbandam; alteri autem cor non videatur adhærere, cum sit res evanida, ac talis, ut anima se possit ab illa abstrahere. Denique priore occasione videtur esse naturale opus divini lu-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

minis; in altera velut ectypon artefactum, quod ab ipso nostro spiritu efformatur. Non erit facilè, præsentè eodem lumine, distingvere genuinum ab adumbrato, nisi quis diuturnam internorum animæ motuum habuerit experientiam.

Modos, quibus Deus secretissimas sui ipsius communicat notitias, viam ordinariam, quæ elevat animam ad contemplationem, pericula & fraudes demonis, quæ hic possunt intervenire, atque alias utilissimas animadversiones, ad directionem spiritus, adnotavit Ven. Marina in quodam scripto, ubi sic ait.

Interdum Deus, ex divina sua bonitate & misericordia, abripit animam, non petendo ab ea, quod ajunt, licentiam, quia etiam appareat ipsam fuisse cooperatam, eò quòd nec sibi aliquid repræsentaverit, neque inferiorum potentiarum vacaverit exercitio. Tum, quando illam derepente in profundissima extasi ungit suæ Divinæ Essentiæ, ac divino perfundit lumine, ostendit ipsi in momento, velut arcanis comprehensa notis, altissima mytheria. Videt quandam immensitatem, & infinitam majestatem; videt juxta captum hujus mortalis vitæ, & secundùm lumen, quod illi confertur, quid sit Deus, & quidem in divina quadam caligine, quæ ab ipso Deo illustratur, & ab illa nequit comprehendi, multòque minùs explicari. Tantùm videtur dicere cum Propheta: A, a, a, vidi arcana Dei; vidi divina mytheria; & cum Sancto Paulo: Nec oculus vidit, nec auris audivit, neque intellectus humanus capere potest, quæ præparavit Deus dilectis suis. Cognoscit, quomodo omnia creata dependeant à providentia & conservatione ejusdem Domini; quâ ratione ipse sit objectum beatitudinis Angelorum, & gloriosarum animarum; qualiter unum sit omnium rerum principium & finis, carens fine & principio, una prima causa, atque unum supremum & absolutum in omnia dominium. Ac demum anima eo tempore versatur tanquam in immenso mari, quod est Deus, & amplius Deus, ubi est impossibile figere pedem, aut fundum invenire. Apparet tunc divina attributa veluti in compendio, ita ut nullum

Z z z

fin.

singulariter discernatur. Et licet interdū, quando huiusmodi raptus incipit, aut finitur, Deus soleat animæ monstrare quasdam imagines, vel figuras imaginarias, dū tamen intratur in prædictam unionem, nulla intervenit loquela, imago, aut figura, quæ possit adaptari imaginationi, & sensibus internis, longè verò minùs externis. Omnia peraguntur in superiore animæ portione, suntque purissimè intellectualia.

Quod si istam animam, dum ex hoc raptu revertitur, interrogemus, quid in suo Deo viderit, seu cognoverit, difficillimè id scit dicere, tantùmque rusticâ barbarie levia quædam potest præbere indicia, qualia sunt, de quibus suprâ dixi, ut is qui ipsius spiritum regit, aliquam possit formare conceptum de eo, quod illi evenit. Si eam ulterius interrogemus, quales in ipsa effectus tantarum rerum visio produxerit, respondebit, eos esse, stupendam quandam consternationem, inexplicabilem admirationem, specialissimam & experimentalè cognitionem sui Dei; nonnullam quodammodo deliberationem beatitudinis sanctorum, amorè illius Domini tam penetrantem ac fortem, tam purum & generosum, ut, si in balance hinc omnia istius mundi bona, & quidquid Beati habent gloriæ in celo, posset ponere; inde verò vel minimū veniale peccatum scienter commissum, ipsique diceretur: Si hoc peccato offendis tuum Deum, dabitur tibi in æternum omnis ea beatitudo; absq; ullo dubio, & obfirmatissimo animo mallet perdere omnem illum thesaurum, & quotquot forent imaginabiles, quàm committere illud veniale peccatum, ideo solùm, quòd adverteretur infinitæ illi bonitati, quæ est dignissima amari, & quam ipsa cognovit. Hoc autem facit cum tam profunda sui iudicij & clara deliberatione, tam impetuosâ sui affectûs vehementiâ, ut, si per impossibile commutatis vicibus fieret Deus, atque Deus in ipsam converteretur, indubitanter existimet, quòd se abdicatura esset Divinitate, ut eam possideret ipsius dilectus; & redacta ad inopiam, mendicitatem ac miseriam, summè gauderet, quòd illam per-

mutationem fecisset in ejus honorem. Id nunc possum pro mea ruditate dicere, de conditione & effectibus illius raptus.

Quod attinet ad securitatem, esse videlicet opus Dei, quidquid hic agitur, id mihi profusum verum videtur: siquidem in arctissima ista unionè, ubi nullæ extant imagines aut figuræ, in ea divina caligine illustrata ab ipso Deo, quæ reperitur in superiore portione animæ, ac tantummodo intra intellectum & voluntatem clauditur, non vidi, nec sum experta, dæmonem se posse immiscere, vel aliquid fingere, quantum intelligere possum, & spectato speciali lumine, atque profundâ notitiâ, quam Divina Majestas meæ pauperi animæ contulit, ad cognoscendas has tam reconditas materias.

Signum, quòd anima ad hanc intimam unionem ascenderit, ac perceperit tam profunda mysteria, est, si harum rerum tam vividam & indicibilem retinear notitiam ac memoriam, ut cum suo magno solatio & fructu, quotiescunque vult, possit quasi præsens spectare, quidquid cum suo Deo egit: videtur enim retinere nescio quas quodammodo scintillas illius admirandi luminis, quod ibi accepit. Et licet is, qui aliquando vidit Romam, rediit in Hispaniam recordatur, dum vult, eorum quæ illic spectavit, ita hic fit: quantum ista comparatio sit abjectissima ad hoc explicandum, & hæc materiæ ita ab invicem differant, sicut cælum à terra. Sunt denique tam diversæ notitiæ, quæ remanent, ut, si acutissimus quispiam intellectus veller viâ ordinariâ, & absque eo lumine, quasi spectare simile mysterium, id ipsi accideret penitus impossibile: & quantumcunque intellectus hoc modo accedat, credat esse opus suæ rationationis, sequæ millies millenis gradibus distare à proposito.

Magnum discrimen, quod Venerabilis Virg. Marina assignat inter reminiscentiâ ejus, qui fuit unitus Deo, & alterius, qui vidit Romam, videtur posse explicari: hujus enim memoriâ conservat species in sua imaginatione, qua cum tempore diminuitur, & obtunduntur: ipsa si id non fiat, sunt tanquam imagines mortuæ.

& intentionales vivarum & realium imaginum, quas reliquit Roma: memoria vero illius, qui se univit Deo, cum nullam viderit imaginem & figuram, nihilque in imaginatione reliquerit, quod possit obtundi, & omnia fuerint merè intellectualia, videtur resinere ipsum indefectibilem Deum, eundemque sentire tanquam realiter presentem, ac videre, quod ante cognovit, quanquam multò minore claritate, veluti coopertum quibusdam velis. Unde provenit, quòd, licet memoria rerum naturalium, que fuerunt vise, producat aliquos effectus, ij tamen sint ordinarij, & quasi exanimis; altera verò illa reminiscencia objecti, effectus producat vivaces, ac tam efficaces, quam dictum est. Pergit nostra Virgo docere alias sacras notitias, & sic ait.

Alio quoque modo solet magnus Deus noster illuminare animam, elevando illam ex via ordinaria, & in medio hujus viae quasi manu apprehendendo, ut eam exalteret, ac perducatur ad sublimè sui Divini Esse, & eminentissimorum attributorum cognitionem, quod sic fit. Anima inchoat suam consuetam orationem, considerando humiliter ac attentè, dum in se excitat affectus amoris, aut exercet actus aliarum virtutum, magnitudinem sui Dei, infinitam ipsius potentiam, bonitatem, & sapientiam, atque alia hujusmodi mysteria. Tum verò videtur advenire Deus, replete illam lumine, reddendo habilem, ut aliquid videat de Divino Esse, ejusdemque perfectionibus. Nunquam tamen hæc notitia pertingit ad illam excellentiam, quæ deprehenditur in ea suprema unione, de qua dixi supra: quia in visione, de qua nunc ago, videtur prodire lumen ex Deo, instar pulcherrimi fulguris, quo anima perfunditur; in illa verò, de qua superius sum locuta, non derivatur lumen à Deo ad animam, sed anima ingreditur in centrum ejusdem luminis, & plerumque ante cognitionem, quæ hinc à Deo communicatur, Divina Majestas efformat, & exhibet animæ quasdam imagines, & figuras symbolicas mysteriorum, quas producit in imaginatione vel ipse Deus, vel Angelus, vel Sanctus, à quibus ex Divinæ Majestatis beneplacito anima visitatur. Hæc

imagines, & figuræ imaginariæ magnæ sunt vi præditæ, & adferunt quanda quasi veritatem, ita ut plurimum satisficiant animæ, à qua videntur. Sunt propterea diversæ ab illis, quas efformare solet propria nostra imaginatio; atque si quis deditus orationi in his efformandis est nimius, incidit in periculum; cum diabolo sit facillimum (permittente Deo) se transformare in Angelum lucis, & simulare imagines boni spiritus: quamvis animam puram, sinceram, non illusam, & nihil aliud optantem, quam servire Deo, ipsumque amare, sine ullo appetitu, imò cum detestatione singularitatum, dum tantum aspirat ad procedendum viâ ordinariâ, ipse Deus illuminet, illique ineffabili modo largiatur speciale lumen, nè decipiatur, utque singula intelligat, distinguendo has imagines ab illis, ac discernat, quæ sint boni, aut mali, vel proprii spiritus. Effectus, quos hæc visiones imaginariæ, quando proveniunt à Deo, relinquunt in anima, sunt optimi, & adferunt magnum fructum: sunt enim istæ visiones valde conformes nostro modo cognoscendi in vita mortali, cum nostræ intellectiones semper dependant à speciebus & figuris. Taliter anima optimè respondet Deo, seque disponit ad supremum gradum visionis, de qua supra sermonem habui.

Notanda est differentia, quam Virgo ait intercedere inter notitias, que percipiuntur in illo primo raptu, de quo superius egit, & in hoc secundo, de quo nunc loquitur, in quibus idem objectum, quod est Deus, tam diversimode cognoscitur, eò quòd anima in priore ingrediatur quasi in centrum divini luminis, in posteriore autem lumen prodeat à Deo, ad illustrandam animam, ac si diceremus: In secundo Deus afficit animam, seque ei ostendit, quasi ipsam visitet, ac apud eam maneat in eodem conclave; in primo autem non tam manet apud Deum, quam in Deo; non est qualiscunque conversatio & colloquium, sed unio: in secundo Deus tanquam ex mensa sue gloriæ mittit anima ferculum, quæ in eodem cum ipso moratur conaculo, sed aliquantulum remota; in primo illam quodammodo secum collocat ad eandem mensam, ut tanquam sponsa sumas ex omni-

bus escis, & ex eadem cum suo Domino patina: in secundo anima fruitur Deo, quem cognoscit, aspirando ad illum; in primo non tam eo fruitur, ipsamque cognoscit, ac si aspiraret ad bonum nonnihil remotum, quàm spirat bonum, cui est intimè unita. Denique in secundo Deus, & ejusdem fruitio, atque cognitio ingrediuntur in animam, sese quasi restringendo, juxta limitatam ipsius capacitatem; in primo anima intrat eo modo, quo Beati, in suum Deum, & illius thesauros, quasi ibi se dilatando & extendendo, ut perfruatur omnibus. Multa alia dicuntur de hoc argumento à Sanctis Patribus, tanquam expertis, qua nos, tam felici carentes experiètià, quamvis legamus, vix divinando attingimus; & quanto plus dicimus, signum est, eò minùs à nobis intelligi: quandoquidem visus hac in re probari videtur, nullo illum subsequente silentio; atq. dum Sancti nobis magis & melius volunt explicare, que senserunt, fatentur, se ignorare modum eorundem exponendorum. Subjungit Venerabilis Marina aliam parvi momenti instructionem, quanquam magis perceptibilem.

In ordinaria via meditationis, præsertim autem incipientibus hoc sanctum exercitium, prodest plurimum, si assuescant formare species, sibi que repræsentare figuras suà proprià imaginatione; in meditando vita Christi Domini, efformate imagines mysterij: ut, si expendatur natiuitas, repræsentare sibi tuguriolum Bethlehemicum, præsepce, & reliqua, quæ in eo reperiuntur; si consideretur Passio, ponere sibi ob oculos montem Calvarium, cum omnibus, quæ ibi aguntur. Optimi sunt effectus, & ingentes fructus, qui hinc eliciuntur. Licet autem dæmon quandoq. has figuras quàm vivacissimè soleat imitari, ingerendo illas nostræ imaginationi, ut faciat animam evanescere, credentem se jam habere divinas visiones, postea que seducat, donec illam præcipitet: si tamen anima se ipsam non vult fallere, seque verè ac sincerè aperit experto & prudenti directori, facile est detegere versutiam. Nam hæc repræsentationes diabolicæ solent animam reddere tepidam, absque ferventibus veræ cum Deo familiaritatis affectibus, relinquentes illam quafi tristem,

ac tædiosam, & sinè animo revertendi ad orationem: quanquam iste hostis sit adeò millenis alijs modis fraudulentus, ut magna sit opus circumspectio, & lumine, ne assequatur suum finem. Sinus humiles, acquiescamus, & millenas agamus Deo gratias, quòd nos permittat versari in suis atrijs, & ingredi per ostium Christi crucifixi: quâ ratione, si Deus velit, & anima se disponat, obtinetur omne nostrum bonum, & ascenditur ad perfectionem, ad amorem divinum, nec non unionem Dei & animæ, atque ad cætera, quæ inde consequuntur.

Ego saltèm nunquam vidi, neque sum experta, nec etiam unquam intelli à Deo, animam posse perungere ad hæc divina fastigia, nisi priùs intraverit per illum regiam portam JESU CHRISTI nostri dilecti & Domini, fueritque satiata ac locupletata cælestibus, atque divinis thesauris, provenientibus ex pretio ipsius sanguine, sanctissima ejusdem vita, & morte crucis: quod quidem in ea debuere esse quodammodo impressum & obdignatum, ita ut habeat quafi in se ipsa scriptum librum sacrosanctorum mysteriorum nostræ redemptionis. Et quando omnia ista reperiuntur in omnibus miris, & superioribus rebus, quas anima potest à suo Deo contemneri, semper aliquid ex his bonis quàm spiritualissimè sentit, quin idcirco impeditur, aut retardetur in eo altissimo gradu, ubi à Deo constituitur. Hoc ego intellexi, neque mihi Divina Majestas unquam aliquid dixit in contrarium. Verum id non prohibet, quòd minùs iste magnus Deus à Dominus possit, si velit, quamquam animam ad hæc superiora ac divina fastigia elevare, quamvis illam non ducat per gradus consuetos, de quibus hic scribo.

Quando anima sibi hunc in modum videbitur derepentè ascendisse, debet accuratè considerare & examinare, quis hujus ascensus sit author, quomodo fuerit peractus, & quare, quòsque relinquat effectus: possunt namque hic intervenire specialissimæ, ac diversæ causæ, & Divina Majestas id rarò facit, nisi ob graves altissimorum suorum, & arcanissimorum justitiam

ciorum rationes: ideoque, quantum est demergere in abyssum nostri nihili. Deus in nobis, semper nos debemus humiliter sit benedictus. Amen.

CAPUT XXXV.

Continuat eandem materiam, & instructionem.

Patermissis quibusdam notioribus modis alloquiorum, que contemplativi solent experiri, prout sunt verba in aere formata, que intrant per auditum exteriorum, & alia delicatiora ac subtiliora, que tantum percipit imaginatio, qui duo modi possunt provenire à bono vel malo spiritu: & licet sit difficile talia discernere, inveniuntur tamen multa, eaque clarissima in sacris Doctoribus indicia, ex quibus director spiritus plerumque potest indagare, & interdum cognoscere principium, unde oriuntur: aggreditur Venerabilis Marina docere alium modum alloquiorum merè spiritualium, consistentium in solo intellectu, per que se bonus spiritus communicat animæ, & signa pro is dignoscendis; quod verè nihil est aliud, quàm explicare, quantum humana ruditas patitur, linguam Angelorum, sic vocatam à Sancto Paulo, qui loquuntur per communicationem conceptuum. Ità verò dicit.

Quando Deus, vel ipse Angelus, aut quispiam Sanctus, alloquuntur animam puram ac mundam, & humilem, protusque alienam ab omni vano appetitu huiusmodi extraordinariorum favorum, ut nihil dicam de alijs sensibilioribus, utuntur quodam arcanissimo & sublimissimo loquendi modo: infunditur enim ingens lux animæ, quâ habitâ simul ac est locutus Deus, vel Angelus, aut Sanctus, anima clarè cognoscit, quis ipsam alloquatur, longè distinctius, quàm hic agnoscamus vocem illius, cum quo sæpe conversamur, tamen ipsum non videamus. Et quamvis tum se non manifestet Deus, aut ipsius celestes ministri, ex eo ipso nihilominus, quod dicitur, quàm optimè ineffabili modo intelligitur, quis loquatur, atque semper quod dicitur, est sanctum, proficuum, & necessarium. Hæc delicatissima alloquia

non resonant, vel tinnunt; non sunt mollia vel gravia, aut aliquid simile. Quodsi quis dixerit tale quidpiam in ijs reperiri, id sinè dubio fiet ideo, quòd non noscat, nec fuerit expertus istud genus alloquiorum, de quo hic ago; sed aliud multò inferius: nam dictus modus loquendi est penitus spiritualis. Voco autem ipsum alloquia & verba, quia nobis, perinde ac si talia forent, representantur à veritatibus, quas Deus, aut ipse cœlestis spiritus, habent in mente, quasi inde ad nostram transferrentur. Effectus horum alloquiorum sunt notissimi: ingenerant enim animæ profundam reverentiam, admirabilem venerationem Dei, & servatâ proportionem, Angeli, vel Sancti loquentis; sanctum timorem, qui similes eventus semper comitatur; profundam animi demissionem, & exigui meriti cognitionem; magnum affectum erga silentium, quo abstinetur à verbis naturalibus, etiam in rebus bonis, nisi præcisè sit loquendum propter profectum animarum, atque alios similes effectus, quos adfert omnis cœlestis communicatio.

Sunt & alij alloquiorum, pariter subtilium & interiorum, modi, quos Deus in hoc genere multos habet: quando nempe interdum animæ imprimat aliquam veritatem, quæ in ipsa permaneat tanquam insculpta & indelebilis. Aliàs, dum Divina Majestas vult ab anima videri mysterium, quod illi proponitur, utitur ineffabili modo, quo eam reddit attentam. Et sicut hic, dum quispiam alium jubet videre, quod non observaverat, indicat objectum digito, dicitque ipsi: Aspice hoc; ita Deus absque designatione, & nullo dicto verbo, quasi indicando dicit animæ, ut aspiciat, quod illi videndum exhibet. Atque hoc sacrum imperium adeò infigitur animæ, ut, licet ipsi nihil indicetur manu, nesciat, qualiter tamen designetur certus locus, qui

fit aspiciendus, & non alius, dicaturque illi, ut aspiciat, licet nullum verbum proferatur. Multi sunt alij modi similes: sed nunc viribus sum debillimis, & non possum plura dicere. Deus sit semper benedictus.

Quamvis omnes effectus, qui hic à Venerabili Marina recensentur, sint communes cuiunque supernaturali communicationi; specialis tamen affectus erga silentium, & fuga conversationum, licet bonarum, videtur præ cæteris convenire his alloquijs. Nam sicut ex conversatione cum Creatore, naturaliter anime adhæret avulsio à creaturis; ita ex colloquutione cum ipso oritur tedium proferendi, vel audiendi verba humana. Et sicut hic alicui, qui callet politum idioma Aule, dissipat inculta loquela rusticorum; ita quoque dum anima absque ullo strepitu vocum, aut copia verborum, addiscit linguam Aule cælestis, & idioma Angelorum, jam existimat, linguam humanam esse rudem, eaque quodammodo offenditur, quantumlibet sit elegans, eò quòd loquatur, quasi balbutiendo.

In alio scripto Venerabilis Marina descendens ad differendum de profunditate, & modo occultissimo, quo Deus aliquando loquitur, atque de tumultu, qui inde in anima suscitatur, dum, licet existimaverit à se omnia fuisse intellecta, nihilominus advertit, eventum non respondere quoad omnia ijs, que intellexit; proponit quasdam magni momenti admonitiones, qua etiam doctioribus ac peritioribus Magistris spiritus possunt prodesse, & sic ait.

Magnus Deus noster & Dominus habet, tum in se ipso, tum etiam in suo modo agendi, summa arcana, adeò sublimia, & mysterijs plena, ut rapiant in admirationem etiam sublimissimos Seraphinos. Hinc fit, quòd, dum animam tam diversimodè a loquitur, sicut aliquoties dixi, anima cum lumine suæ capacitati communicato, nequeat penetrare omnes circumstantias eorum, quæ ipsi dicuntur; aut mysterium, & conditiones tacitas, cum alijs occultissimis cautelis, & reconditis sensibus, quos continet sententia, quam percepit, atque id, quod ex sibi ostensis, didicit. Quemadmodum, si hic quispiam se constitueret in litore immensu maris, &

extenderet visum, quantumcunque posset, ad perlustrandam attentè latitudinem, longitudinem, & profunditatem illius oceanus, nec non multa, quæ ibi producuntur; accessum ipsius & recessum; ingressum aquarum & egressum; atque secretos sinus & vias, per quos allabuntur, & omnia quæ in suis includit visceribus; quidquid tandem videret, esset modicum, idque tantum magis in superficie apparet: sic etiam suo modo accidit animæ veritanti cum suo Deo in hac superiore communicatione. Quocirca interdum evenit (Deo ita, ex altissimis suis iudicijs, & majoris boni causâ, disponente) ut anima aliquam divinam veritatem intelligat; Deus tamen eandem veritatem ejusmodi involvat circumstantijs, adeoque occultis & subtilibus velis, ut pauperula anima, non intelligens sibi aliquid celari, non percipiat potissimum veritatis mysterium, eò quòd hoc remaneat in ipso Deo, qui tam in sua Essentia, quàm etiam in loquela, est incomprehensibilis.

Contingit deinde ex divina dispositione, ut illud, quod anima, secundum suum modicum & limitatum iudicium, audivit, ac intellexit à Deo, existimans esse manifestum & certum, prout sonabat, tamen non eveniat, aut succedat, quemadmodum ipsa sperabat. Et ecce hinc indicibilem turbationem, acerbissimam afflictionem pauperis animæ: jam se arbitratur illulam, putatque se, sicut hac vice fuit decepta, iudicando esse loquelam Dei eam, quæ talis non fuerit, cum non sit eo modo impleta, quo speraverat, ita quoque animam semper fuisse deceptam. Tempestas, qua inde suscitatur diabolus, ad affligendam animam, & ingenerandam ipsi dissidentiam, ac turbandum magistrum, à quo regitur, si is minùs habeat doctrinæ & experientia, quàm conveniat, nequit ullis verbis explicari.

Idcirco, quando id eveniet animæ, que revera vivit in sancto timore Dei, & intemè desiderat se conformare cum divina voluntate, ipsiusque cognoscere verba & sequi, ac habet cætera omnia adjuncta, & que conditiones, quas exigit virtus de pe-

fectio vitæ, nec non in reliquis signa, quod regatur à bono spiritu; non turbetur ejusmodi anima, neque credat, se errare ac decipi, & non fuisse divinum alloquium, quod tum percepit, sed imposturam mali spiritus. Sciat, potuisse esse divinam veritatem, & re ipsâ fuisse, si est experta effectus & indicia, de quibus aliàs dixi, quod soleant Divinam vocem consequi: modus tamen & conditio, unde ipsius impletio dependebat, illam occultaverunt, unde factum fuit, ut deciperetur in iudicando. Vehementer timeri potest, nè diabolus animam etiam sanctam tentet hac diffidentia, ut ab eo profrenatur, ac deturbetur ex sublimitate suæ contemplationis, suæque cum Deo familiaritatis; quod esset summum malum ac damnum, non so-

lùm redundans in hanc animam, sed etiam in multa alia concernentia gloriam Dei, & bonum aliarum animarum, quod diabolus hac viâ intendit obtinere. Ac proinde sicut esset gravissimum malum, damnûmque indicibile, diabolus habere pro Deo, & illius alloquia pro divinis, ita suo modo est terribile, & summum malum, habere vice versâ Deum pro diabolo, & ipsius veritates pro mendacijs mali spiritus, aut saltèm pro spiritus proprii illusionibus, atque delirijs nostræ imaginationis. Deus nos adjuvet, propter semetipsum, detque nobis suum sanctissimum lumen in tam difficilibus materijs, ut in omnibus assequamur sanctissimam ejus voluntatem.

* *

CAPUT XXXVI.

Aliæ animadversiones doctrinæ mysticæ.

DE eodem argumento, quod modo pertractavimus, Venerabilis Marina scripsit alicuiam brevem, sed perutilem admonitionem, ex qua potest anima intelligere, quando debeat (cum agnoscat, quod ipsam Deus alloquatur) existimare, non omnia sibi fuisse dicta, quæ negotium quoddam continet, atque fuisse occultatam aliquam circumstantiam, & sic ait.

Quando anima meticulosa ex sua natura, seque in omnibus cupiens conformare cum divinis veritatibus, & sacratissimæ magni Dei nostri voluntatis beneplacito, audit in arcano ejusdem alloquio aliqua hujus Domini verba, ac tanquam attonita non perdit suos timores, neque liberè potest dicere, an eventurum sit, necne, quod illi revelatur, imò in corde suo sibi ipsi dicere videtur: Quid ego his rebus arduis possum intelligere? ita sum comparata, ut possim falli, nisi illuminer à Deo; atque postea incipit dubitare, non utrùm eam allocutus fuerit Deus, sed an intellexerit, necne, quid sibi dixerit, signum est, non omnia illi à Divina Majestate esse di-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

cta, quæ negotium complectebatur, sed ex sublimi quopiam fine quædam fuisse occultata. Solet tamen Divina Majestas id ipsi plerumque declarare, quando deinde aliud evenit, quàm videatur fuisse intellectum. Propono exemplum. Petit anima à Deo vitam alicujus graviter ægrotantis, & ille respondet: Non morietur; atque nihilominus videmus ipsum tum fuisse mortuum. Deus non potuit falli, nec voluit, aut potuit fallere animam: sed reservavit in suo divino intellectu aliud verbum, ac si diceret: Non morietur in æternum. vel: Non morietur, spectatis causis naturalibus; etiam si Deus viderit, eam mortem fore certam, secundum effectus dependentes à libero arbitrio, quos ipse tum reticuit. Dixit mihi aliquoties Deus, id fieri propter sublimes fines, & arcana ejusdem judicia, licet bonus loquatur spiritus. Ipse sit benedictus.

Ex his Venerabilis Marina dictis clarè colligitur, non esse in ijs revelationibus, ubi anima timet, ac dubitat, utrùm intellexerit, aut penetraverit, quod illi indicabatur, curandum, ut secundum ipsius aliquid fiat, quondamque se Deus plenè declaret. Aliâ occasione

A a a

fuit

fuit hæc Virgo docta discernere vocem boni spiritus, à voce spiritus proprii, quod ita describit, addendo alia utilia & singularia.

Dum aliquando, præ vehementia meorum affectuum, prorupissem in quandam interrogationem, quam proposui Deo, intenta ordinariâ, sed ferventi orationi, Deus mihi gravissimè respondit, quod conveniebat. Mea anima audivit responsum, & subito tanquam confusa considerando, animòque revolvendo modum illius divinæ allocutionis & communicationis, dicebam intra me: Bone Deus! quomodo, & unde agnosco, hanc esse Dei loquelam? & respondebam mihi ipsi: Sinè dubio id eo modo accedit, quo filius agnoscit vocem & loquelam sui Patris, licèt illum non videat; & si quis alius loquatur, agnoscit, ipsum non esse suum Patrem: atq; sicut amicus agnoscit, se loqui cum alio amico, cum quo communiter conversatur, etiam dum sunt in tenebris. Hoc dicebam, licèt intelligerem, multas alias longè aliores adesse rationes, probantes certitudinem hujus cognitionis. Convertit se deinde mea anima ad Deum, dicendo illi: Mi Deus, doce me, per temetipsū te obsecro, agnoscere loquelam proprii spiritus; & respondit mihi Dominus: Bene est, nuncne primūm hac de re quæris? Satis apparet, quòd illum rarò, aut quasi nunquam audias. Et intuens meum Sanctum Angelum Custodem, dixit ipsi: Doce, mi Angele, hanc Animam, pro ipsius solatio, id de quo quærit. Tum Sanctus Angelus ad me conversus, mihi dixit: Adverte Anima, loquela proprii spiritus non producit effectus luminis, & cognitionis eorum, quæ exponit, aut exhibet animæ, quos producant divina Domini verba, & celestium ipsius ministrorum; neque adferunt eam efficaciam, ac si intimo cordi profundè insiderent; & quamvis loquela sit bona ac vera, attamen non ita fixè inhæret, sicut loquela Dei: præterea plerumque verba spiritus proprii, etiam dum est maximè illuminatus & fervens, sunt sicut flatus venti, non relinquentes vestigium, quæ pertransierunt.

Mea anima audivit cum magno solatio

hæc sui Sancti Angeli dicta, eadèmq; ex pendens statim dixit: Bene habet, mi Domine Angele, optimè id intelligo. Verūm quod mihi nunc loqueris & edisseris, videtur retonare intra meum spiritum, ac si ipse ita secum ratiocinaretur. Anima me tuculosa, respondit tum meus Dominus Angelus, quomodo potes inficiari, me esse qui te alloquor, cum me videas, ac me audias; atque dicere, aut velle intelligere contrarium? nonne est verum, sicut ipsemet scis, tameti claudere velis oculos? Quod autem nunc observas, videri nempe tibi, dum ego te alloquor, mea verba resonuisse intra te, & prolata fuisse à tuo proprio spiritu, eo fit modo, quem tibi jam pandam. Magnus Deus noster habet, etiamq; nos cœlestes ipsius nuntij habemus, multos modos conversandi & loquendi cum anima. Interdum facit, quod pedagogus docens puerum legere, à quo pulso jubetur enuntiare & repetere eadè verba, quæ audit, ut ita exiguo ejusdem pueri captui lectio magis imprimatur, faciliusque addiscat, quod ab illo docetur. Et hoc docendi modo ego nunc sum ulos: repetebat enim tuus spiritus, quod percipiebat. Aliis loquitur Deus, & loquimur Angeli, ac Sancti, tanquam Magistri in cathedra, qui habent jam adultos & capaces discipulos. Quando illi docent, sufficit, si audientes sunt attentis, conservando auditas veritates in suis intellectibus, absque ulla verborum repetitione. Omnia ista operantur magnus Deus noster, prout exigit cœlestas, necessitas, & majus bonum animæ, cui aliquid dicitur, totum sese accommodando ad majorem suæ creaturæ profitum. Id mihi dixit meus Sanctus Angelus. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Notetur hujusmodi sacra ecclia, quæ nunquam verba boni spiritus repercutiunt in anima: fortassis enim alibi tam clari non describitur. Ego verò dixerim, id esse intelligendum, quando locutio est imaginaria, vel auditur per auditum externum (nam utriusque prædictæ repetitione multiplicatur, magis figuratur species, ut sint durabiles) non certè intus illis, & intellectualibus locutionibus.

quas commemoravit initio, & quæ, dum primâ vice audiuntur, videntur indelebiter fixa permanere.

Progreditur hinc Venerabilis Marina ad discrimen, quod est invenire inter sanctos affectus & principia, unde in animam promanant, ut ex ijs feratur iudicium, quales, & cuius sint spiritus consequentes deinde locutiones & visiones. Est doctrina perquam utilis, & specialiter notanda, quæ ab ipsa sic describitur.

Duobus mihi videntur modis ferventia desideria, & intensi affectus erumpere in anima, quæ Deo servit, quando cum ijs aspirat ad insignem virtutis gradum, & opus heroicum divini obsequij. Primus est, dum illam ita movet Deus, cuius est omne bonum, ut clarè innotescat, etiam ipsam impendere terentium sui liberi arbitrij, & liberrimè cooperari gratiæ, quæ illi à Deo communicatur. Et tali casu quæri potest, utrum quod animæ tum, quoad alloquia & visiones extraordinarias, contingit prorsus conforme affectibus, quibus erat intenta, sit purè ac verè Dei opus, & ab eo solo procedens; an verò effectus ipsius desideriorum, quæ faciunt, ut sibi videatur audire, quod optabat, utendo suâ propriâ imaginatione, quæ est egregia in huiusmodi occasionibus pectrix. Revera est materia valde dubia, & sic non rarè accidere solet, quamvis aliàs Deus convenerit hos effectus supernaturaliter operati, per infinitam suam misericordiam.

Dico autem, in persona, quæ est bono prædita spiritu, virtute ordinariâ, & familiariter cum Deo conversatur, impendendo se orationi & meditationi communi, quam docent libri, & Sancti, quæ est via regia ac laudabilis, & utilissimum exercitium, ut perveniatur ad apicem virtutum, & sublimem divini amoris perfectionem, non debere videri mirum, statimque haberi pro novitate & fallacia, si, dum suis vacat affectibus, & ferventibus desiderijs, experta fuerit alloquia, & visiones profectas à Deo; cum ipse, ut est liberalissimus, & absolutus suorum donorum ac thesaurorū Dominus, possit, ac soleat, ex infinita

sua misericordia, communicare hos extraordinarios favores, quando expedit ad majorem ipsius gloriam, & bonum talis animæ, quam hac viâ magis ad se pertrahit. Atque etiam si alia alloquia, & visiones forent proprii spiritus, dummodo anima procedat sincerè ac humiliter, non est occasio magni periculi: esset verò quàm maximi, si id à directore spiritus non examinaretur, ad ipsam statim initio commendandam, & omnia dijudicanda: sensim namque sine sensu posset adolescere spiritus imperfectus, malè perspectus & instructus, qui post aliquod tempus, & jactis radicibus, ingens adferret nocumentum, & valde difficulter curaretur, propter contractum jam ab anima habitum, & vivacem apprehensionem, ad eum modum, quo credit, quæcunque videt ac audit, esse supernaturalia, ac divina. Et quia præsupponitur, hanc animam necdum pervenisse ad perfectionem necessariorum virtutum, solet difficile accidere, ut se submittat, & priorem suam deserat apprehensionem.

Alter modus, quo ferventia desideria, & vehementissimi affectus in anima prorumpunt, est mirabilis, ac difficulter intelligibilis ab eo, qui illorum experientiâ caret; quandoquidem eos videtur anima non tam ipsa elicere, quàm percipere à Deo, nihilque in iisdem operari illius arbitrium, sed esse puram gratiam, & prorsus donum Dei. Quando igitur anima habet tam raros, & singulares affectus, existimo esse certissimum, quod allocutiones & visiones, quas tum ex illis, ut sic dicamus, enatas, ipsiisque saltè valde conformes, experimur, sint purè & verè solius Dei, absque admixtione ullius rei naturalis. Quoniam, sicut prima illa causa affectuum fuit præcisè gratia Dei, & ejusdem donum, ita effectus inde consequentes attribuendi sunt tantummodo ipsimet Deo.

Pater spiritualis, qui est servus Dei, doctus ac peritus, agnoscat, qualèsnam sint singuli hi spiritus, affectus & visiones, ex eo, quod hujus posterioris generis affectus non dentur, nisi puræ, mundæ, liberæ, & expeditæ ab omni humano affectu ani-

ma; cum omnis ipsius fiducia, omnia desideria, opera, & cogitationes semper spectent majorem Dei gloriam, ejusdemque obsequium, sine mixtura cujusvis terreni vel celestis commodi, & intima illius cum Deo familiaritas sit valde diuturna, multum examinata, & agnita pro vera. Itaque anima, cui Deus ex mera sua infinita misericordia hanc tantam præstat gratiam, ut eam in isto virtutis gradu constituat, quando durantibus ipsius affectibus, quos nulla præcessit ad illos directa meditatio & consideratio, audit & videt mysteria, attendendo, ac tremendo coram suo Domino, suamque, quantum potest cognoscendo propriam vilitatem, quod in tali adhuc statu vivat, ut possit decipi; hujusmodi, inquam, anima, in qua hæc omnia signa concurrunt, potest esse secunda, & existimare, quod certissimum sit, solum Deum esse auctorem omnium illarum allocationum & visionum, omnemque istam agendi rationem, & spiritum esse divinum; quandoquidem Divina Majestas non est, neque esse potest sibi ipsi contraria, vel falli, aut nos fallere. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

In alio scripto explicat Venerabilis Marina, quale sit illud lumen, quod Deus communicat anima, ut provecta ad sublimiorem perfectionis gradum, sese aliunde agnoscat esse peccatricem, & plenam defectibus. Atque licet hac de re initio primi libri aliquid resulerit, quod audiverat à suo Sancto Angelo Custode, hic tamen adjungit alia, que optimum continent documentum, his verbis.

Anima, clarissimis divini luminis perfusa radijs, videt seipsam tanquam in clarissimo speculo; videt suam naturalem miseriam, sua peccata atque defectus, ita ut illam nè minimum quid hujus generis, aut minutissima ulla atomus lateat. Aliunde, illuminata à Deo, videt pro suo captu immensitatem, omnipotentiam, & sapientiam, cum cæteris perfectionibus illius infiniti Esse, atque unà, quomodo mereatur, ut ametur, & ipsi serviat ob id solum, quod est: Horum veluti conspiciendorum ope, quæ ei Deus ipsius applicuit, procul, & acutum cernens, quamvis ex natura

sua cæcutiat, præclare utrumque agnoscat, atque deinde sublimissimè videtur rursus comparare: unde fit, ut illi levissima ipsius culpa, & minimus defectus, dum cognoscitur commissus fuisse contra immensam illam Majestatem, tantus, adeoque deformis appareat, ut existimet esse montem insuetæ magnitudinis, & horribile monstrum. Tale est istud spectaculum, ut anima videatur extra se rapi. Incredibiles sunt affectus, & motus desipientiæ sui ipsius, quos hinc elicit, & in his solis invenit solatium: videtur namque sibi ab illis reduci ad locum, quem promeretur, ubi se deprehendit, quantum ad ipsam attinet, quodammodo capacem esse omnium miseriarum, culparum, & peccatorum, que sunt reperibiles in omnibus creaturis. Est res admirabilissima, quomodo tunc advertatur hujus magni DEI sapientia, & potentia, quod hanc animam ita illuminet, ut absque ulla sua ratiocinatione, ob solam simplicem & acutissimam Dei atque sui cognitionem, indubitanter, & prorsus verè possit dicere, se esse omnium in mundo pessimam, & abominabilissimam creaturam.

Cum hæc sint adeo sublimia, ut sive ductum sequendo humani intellectus naturaliter ratiocinantis, sive spectatis ultimatæ meditationis regulis, anima difficulter possit dicere, qualiter id fiat, si interrogetur, aut quomodo intelligi queat, ac verificari, quod sit pessima creaturarum, si quidem scit, à se nunquam, per divinam misericordiam, commissam fuisse gravia peccata, imò se totà suà vità anhelare ad majorem perfectionem, & amorem Dei, abnitendo omnibus suis viribus ac desiderijs, ut juvet suos proximos, quantum sibi est possibile. Hic non potest ulterius procedi. Infinita est potentia, sapientia, & amor magni Dei, & sicut scivit populo Israelitico solum manna condire, ut contineret saporem omnium ciborum, quibus singuli delectarentur, ita etiam scit, deo cognoscitur, seque ipsum cognoscendum præbet, præparare animæ terculum, in quo percipiat saporem omnium eorum, quæ sunt necessaria ad spirituale alimen-

um, & majorem ipsius profectum. Atq; in talibus occasionebus vult, ut anima se sustentet profundissimâ humilitate, quin sciatur, unde in eo divino lumine, quo alitur, possit provenire iste sapor, qui facit, ut sibi ipsi sapiat, ac si foret pessima totius mundi anima. Benedictus sit magnus hic Deus. Amen.

Modum, quo anima contemplativa quandoque in suo Deo quiescit, explicuit Venerabilis Marina, loquens de quodam suo rapto ad cælum, & sic ait.

Passa fueram, ex Dei voluntate, gravissimos dolores, voluitque Eiusdem Majestatis, ut me conferrem ad quiescendum secum in cœlesti ipsius palatio, ubi nihil aliud adverti quàm gloriam, & ampliùs gloriam. Licet autem anima his occasionebus plerumque sit quasi absorpta in eo, quod à Deo docetur, ita ut nihil aliud possum cogitare; aliquando tamen Dominus concedit, ut anima observe, atque cum aliqua advertentia notet, quid agatur. Sic modò accidit: considerabam enim, qualis esset illa mea quies, videbãrque mihi quiescere, sicuti dum aliquis fatigatissimus, ex longo revertitur itinere & scabroso, ac procumbit in molli & commodo lecto, ubi non tantùm omnia corporis membra quiescunt & refocillantur, verùm etiam quodlibet eorum videtur sentire oblectationem, ac si ipsum solum eâ frueretur. Sensi verò præterea, animam, & illius potentias ibi alio excellentiore modo deliciarî, & quiescere in suo Deo, in ipsius Divino Esse, & attributis, cujus cognitione & amore anima suavissimè recreatur. Aliquantò post me Dominus reduxit ad meum angellum.

In quadam denique visione, quam habuit vigesima primâ Aprilis, anno sexcentesimo vigesimo octavo, inter alia, qua ab ipsa discimus, Deus illam docuit, quàm sit impossibile, ut propria imaginatio possit efformare imagines, & producere effectus, quales sunt verarum visionum. Venerabilis Marina sic omnia describit.

Rogabam magno affectu Deum, ut concederet pacem Principibus Christianis. Dum ita orarem, conspexi scalam,

quæ videbatur à terra pertingere ad cælum, & audivi Dominum mihi dicentem: Bene est anima, sed jam conscende hanc scalam, ac veni, ut in hac patria quiescas, & subleveris aliquantùm à tuis molestiis: magnæ autem erant, quæ ijs diebus toleraveram, varijs & intensissimis afflictâ doloribus. Sed eram tantopere absorpta à sollicitudine, ac desiderio videndi, ut Reges Hispaniæ, & Galliæ inirent pacem, nè continuarentur bella, quæ metuuntur, & illorum subditos liberos à calamitatibus, quas ea adferunt, ut ingenti animo responderim: Mi Domine, non possum ascendere, neque ascendam, nisi mihi Tua Majestas præstet gratiam, quam suppliciter peto. Dominus instabat, ac tum me quidam Sancti Angeli (adverti verò me subito decentissimè esse vestitam) elevarunt, arreptis meis brachijs, & constituerunt ad extremitatem scalæ, quæ, dum eam inciperem conscendere, corruit. evasî nihilominus illæsa, veluti transeundo inter gradus scalæ, quæ fuit humi extensa. Sancti Angeli apprehenderunt mea brachia, & magna cum suavitate me perduxerunt ad cœlestem Jerosolymam. Inde me sustulerunt ad immensam altitudinem illius sanctæ patriæ, ubi mea anima intra illud Divinum Esse, & eam ineffabilem ipsius magnitudinem talia intelligebat, tantæque fruebatur voluptate, ut sit inexplicabile; siquidem mihi in immenso Esse illius Divinæ Essentiæ repræsentabantur omnes creaturæ cœli & terræ, unâque modus, quo in omnibus existit, & omnes ipsius virtutem participant, adeò ut omnibus videretur inesse sapor Dei, & in omnibus conspici Deus, neque ulla esse excludenda à participatione illius Esse, quod se omnibus communicabat. Tum anima occupabatur ab ea divina caligine, quam sic vocare consuevi, & ita appello, non quòd ibi sint aliqua tenebræ, cum potius omnia sint ab illis remotissima, sed quia tam multum deest animæ, ut comprehendat ac penetret, quod ipsi ibi repræsentatur, adeòque illa amplitudo excedat ejus captum, ut in ea abyssò quodammodo submergatur, dū non invenit, neque cognoscit exitum.

Hac animæ applicatione, & vehementi conatu ipsius potentiarum in eo exercitio, fuit miserabilis natura tantopere debilitata, ut me, peracto eo mysterio Angeli tulerint in suis brachijs. Sicut cum magna cautela portatur, qui est vehementer debilis, & proximus morti, nè in manibus expiret, ita ego fui portata in manibus Angelorum pendulo capite, remisso spiritu, & quasi consumptis naturæ viribus, donec me reponeret in meo angulo. Hic intellexi, quid significaverit ille casus scalar, quando per illam incepti ascendere ad cælum. Videlicet inter desideria, quæ mihi Deus indidit, ut me in his vijs extraordinarijs, quibus me ducit, conformarem cum ipsius voluntate, semper observo, quid in me agatur, & ijs diebus, qui hanc visionem antecesserunt, frequenter cogitavram, utrùm anima fictione suæ imaginationis tales possit, ac tam vivaces for-

mare species, ut per eas aliqua possent eo modo representari, quo à DEO animæ representantur per species, quas ipse illi communicat: atque licet mihi videretur certum, non esse possibile, ut sit ijs prædicta viribus, quibus imitetur id, quod Deus per hæc supernaturalia media operatur; voluit me nihilominus Divina Majestas in hac veritate confirmare per præcedentem visionem, docendo me, quod, dum anima suis naturalibus viribus tentat ascendere ad contemplationem, usque solis consequi raptus ac visiones, unã cum effectibus, quos tunc operatur bonus spiritus, sit perinde, ac si quis vellet ascendere ad cælum sine scala, quod viribus humanis est impossibile: atque si hoc fieret, esset effectus proprius virium divinarum; sicut hic Deo jubente, & per illius potentiam, me S. Angeli ipsius duxerunt absque scala.

Ipsè sit benedictus. Amen.

CAPUT XXXVII.

De illusionibus, ac fallacijs, evenire solitis in hac via mystica.

Doctrina mystica, quam nobis hæc admirabilis Virgo scriptam reliquit, subjungam nunc illusiones, quibus eadem à Deo illuminata agnovit posse, & solere esse obnoxias in hac via quasdam animas. Deceptiones ista sunt in nonnullis personis graviter culpabiles, in alijs à gravibus culpis immunes. Interdum oriuntur ex eo, quod quæpiam persona sit fraudulenta, & fingat quod non est; aliàs, quod quasdam circumveniat diabolus; ac tandem quandoq. aliquas personas fallit propria phantasia. Non observabo hic alium ordinem, quam illum, quo se charta consequuntur. Dicit verò ita.

Multoties continget, ut magnus Deus noster & Dominus, propter sua alta & arcana judicia, atque infinitam suam bonitatem, ad majora mala, & graviora incommoda evitanda, permittat in aliqua persona diu dissimulari extraordinaria, ac singularissima, & quæ magna exterius ap-

parent. Quamvis autem non proveniant ab Ipsius Majestate, possunt tamen carere culpa talis personæ, cui eveniunt. Atque licet his occasionibus non sine defutura peccata, ac defectus, qui se admittunt, tam benignus nihilominus est Deus, & misericors, ut propterea (si aliunde non adsit gravis culpa, quæ id impediatur) non sit intermissurus talem creaturam salvare, postquam hic per penitentiam, vel ibi per Purgatorium, integrè pro defectibus satisfecerit, qui illic intervenerunt.

Quadam vice me Divina Majestas obcui quosdam modos deceptionum, quæ in hac via contemplationis incurruntur, prout sequitur. Tempore matutino, post sacram Communionem fuit representata oculis animæ scala, quæ à terra protendebatur ad cælum. Multum conabor me abstrahere ab ista apparitione, & oratione ordinario modo, agere cum Domino, quod sumperam: verùm, cum amplius reflexione non possem, tandem me Dominus ob-

egit, ut attenderem ad id, quod mihi ostendebat. Vidi Divinam Majestatem in habitu supremi Regis, indicibili conspicuam magnificentia, quæ mihi dixit: Veni mecum, Anima, & comitaberis me, ascendendo per illam scalam, ad cœlestem Jerosolymam. Deinde me, quasi arreptâ meæ togæ manicâ, secum duxit. Ascendebam valde hilaris & contenta cum Domino, quem comitabantur innumeri Angeli, qui suaviter concinebant laudes hujus magni Dei, eique gratias agebant pro extraordinarijs favoribus, quos præstabat animabus; specialissimè verò, quòd remaneret in Venerabili Sacramento, pro remedio & solatio suæ Ecclesiæ. Dum ascenderem, adverti ascendentes post me homines mihi ignotos, quia me non verti, ut illos aspicerem. Ibant cum ipsis quidam spiritus, quos etiam non agnovi, essentne Angeli, an secus. Quando perveni ad summitatem scalæ, Divina Majestas est ingressa cœlum, introducendo me secum, & statim velut ex improvviso oclusit portam, relictis extrâ ijs hominibus, & spiritibus, qui eos comitabantur. Fruita sum in ea cœlesti patria, juxta meum captum, bonis, ut alijs, inexplicabilibus, donec me Dominus, mecum eundo, reduceret ad meum angulum.

Dum jam hîc essem, incepi considerare, quales homines, & cujusmodi spiritus illi forent, quos observavi, quando ascendebam, & qui manserunt extra cœlum; quod licet animo meo verfatem, nō optabam rescire, quin imò propter meos timores dubitabam, utrùm non fuisset mea imaginatio. Divina Majestas mihi hoc dubium solvit, dicendo: Anima, homines, quos advertisti quasi te sequentes, & volentes ascendere ad cœlum, quibus tamen clausa est janua, sunt multæ animæ, quæ permittentes se abduci à suis suavibus naturis, apprehensivis phantasijs, vel interdum deceptæ à diabolo, ex meis occultis judicijs, sibi videntur ambulare in vijs supernaturalibus, & habere revelationes, raptus, & similia, atq; arbitrantur, se optimè & securissimè procedere. Falluntur, quamvis, quod ad hoc attinet, absque ma-

liti; siquidem illas excæcat naturalis ipsarum suavitas, & apprehensio, vel astutia diaboli. Errant vehementer, & non possunt ingredi in quietem serenissimam cœli veræ contemplationis, quia volentibus intrare occludo portam. Spiritus, quos animadvertisti in earundem comitatu, sunt spiritus proprij earundem, & non Angeli lucis. Ecce tales animæ se produnt, & apparet quàm malè sint fundatæ, ex eo quòd spiritus habeant garrulos: bene de me loquuntur, sed nimium, cum deberent meis donis frui silendo. Spiritus vani & singulares optant duci vijs extraordinarijs, nec se regi sinunt secundum doctrinam meorum Sanctorum. Id mihi dixit Dominus, cujus judicia sum humiliter venerata, ac admirata. Ipse sit benedictus.

Hinc doctrina est similis illa, quam in Octobri anni sexcentissimi vigesimi quarti, quadam occasione didicit à suo Angelo, & ipsa his verbis recenset.

Dum graves pateret dolores in manibus & pedibus, ubi sunt impressa stigmata, præsertim in pede dextro, & manu sinistra, quia me doloris vehementia soliro magis affligebat, cœpi id considerare, & subtimere, utrùm non aliquâ ratione diabolus quidpiam in his stigmatibus operaretur. Cum ita timerem, accessit ad me Sanctus meus Angelus Custos, dixitque mihi: Non habes quod metuas, quia diabolus ad te tam propè non accedet, eò quòd te Deus undequaque muniverit & circumvallaverit, nè decipereris, vel tibi hac in re ab ipso noceretur. Scias præterea, Deum esse magnum suorum thesaurorum zelatorem, & bene scire, ubi illos deponat. Ac proinde sicut nemo prudens deponeret pretiosum aliquod monile, quod magni æstimaret, in medio fori, ut illud ibi suis volutarent rostris porcelli, aut furari possent latrones; neque Rex discretus poneret in loco maximè publico sui palatij, aut in omnium suorum famulorum conspectu suum thesaurum, cujus aliqui tantum intimi habent notitiam: ita quoque Deus thesaurum suorum donorum, quando sunt pretiosissima, deponit in loco secretissimo, ubi pauci, siq; selectissimi amici

amici notitiam ipsius habeant; nō in quopiam quasi foro, ubi ab omni hominum genere possit videri. Hoc, Soror, communiter in his eventibus contingit. Itā est locutus meus Sanctus Angelus, & significavit mihi hæc dicendo, quā circumsp̄ctione deberent animæ Deo servientes admittere ea, quæ extrinsecus apparent; & quod vulnera ac alia signa, quæ solent haberi pro divinis, non solum non semper proveniant à Divina Majestate, verum etiam ratō admodum sint ipsius opus. Deus nos illuminet. Amen.

Sublimior est doctrina, quam Divina Majestas communicavit Venerabili Marina, concernentem quasdam animas in hac via seductas, & ipsa nobis verbis sequentibus descripsit.

Novi quandam personam, opinione meā servam Dei, quæ spiritu erat prædita valde extraordinario, quales quoq; erant ipsius viæ, affectus, & modus procedendi in rebus spiritualibus, atque spectantibus ad obsequium Dei. Quamvis autem sæpe egerim cum ista creatura, fuerimque locuta, nunquam tamen mihi potuit satisfacere, seu spiritus ipsius quoad omnia placere, sed neque ejusdem natura, quod hæc esset ardentissima, cholericæ, apprehensiva, ac terribilis; non quia putarem, foveri malitiosè ab hac anima imposturas, aut errores; quin imò habebat bona desideria serviendi Deo, licetq; talis esset ipsius natura, qualem dixi, non agebat tamen malè, neque se patiebatur ab illa violentè abripi: sed quia mihi videbatur simpliciter amplecti, quæcunque ipsi occurrerent, acti omnium author foret Deus, non applicando animum ad ea examinanda, neque multum timendo, nè deciperetur à diabolo. Erat apparenter obsequens suis Confessarijs, & exhibebat indicia, atque opera charitatis erga proximos.

Mea anima manebat diu hunc in modum perplexa, & quotiescunque, constituta in divina præsentia, recordabar spiritus hujus personæ, deprehendebam nescio quid, ut judicarem non bene ita procedi, neque istum esse spiritum Dei purum, defæcatum, & cui nihil aliud sit admixtum.

Conabar magno adhibito studio à me repellere istam cogitationem, dicendo, me non esse à Deo constitutam hujus causæ judicem, ut eam proinde Divina Majestas juvaret ac doceret: excusabam, quæcunque notabam, quàm optimè poteram, & optabam mihi ipsi persuadere, esse bonum spiritum. Verum aliunde agnoscens illam naturam esse adeo terribilem, sicut dixi, mota ab eodem Domino, dixi aliquando Ejus Majestati: Estne possibile, mi Domine, tantam esse tuam bonitatem, ut velis suavissimum & pretiosissimum tui spiritus liquorem includere in hujusmodi natura? Sis benedictus! Audivit me Dominus, & gravi suavique modo mihi blandè sic respondit: Veni huc Marina; quis mihi prohibebit, si velim pretiosissimum liquorem recondere in rudissimo, maleque formato vase testaceo? quis id poterit impedire? Nemo profectò, mi Domine, respondi ego: est tamè etiam verum, mi Deus, quod in rudibus, & malè excoctis vas, solet perdi & acescere quicunque liquor in infusus, quantumvis sit pretiosus. Optumè dixisti Anima, subjunxit Dominus, optimè dixisti. Nunc verò attende: volo enim tibi statum hujus spiritus, & multorum aliorum illi similium adumbrare.

Reperiuntur quædam animæ ejus conditionis, cujus est illa, quam tu novisti, terribiles ac duræ instar lapidis, partim cholericæ & ferventes, partim autem melancholicæ, & apprehensivæ. Quæ taliter sunt comparatæ, si non applicentur ad malos usus, habent bona desideria irregularia, & extraordinaria, quæ ratione concipiunt in sua apprehensione vanas figuras, & repræsentationes inanes, ita ut existiment videre, quæ sunt in celo & in inferno, nec non cognoscere futura, quæ sint eventura in mundo: in quibus omnibus plurimum præstare potest diabolus, me id ex causis prorsus legitimis permitte. Itā fit, ut hæc animæ talia perceptiva jactent, quæ nullius sunt virtutis, aut substantiæ, & exigui spiritus: quemadmodum si quispiam attonitus integris diebus circularetur mappam geographicam, ac

ceret: Ecce ibi est mare; ecce hic est terra; hoc est tale regnum, & illa talis provincia, neque tamen inde quidquam disceret, aut illum caperet fructum. Taliter agunt isti spiritus illusi, loquuntur multa, & audiunt pauca; sunt propensi erga cibum & potum, atque virtus ipsorum, quamvis illam apparenter exerceant, est tam debilis ac infirma, quam causa, quæ ad eam impellit, & unde procedit, ideòq; facile succumbunt, ac deficiunt.

Mea anima multum mirabatur, quod docebatur à Divina Majestate, cui dixi: Quomodo verò mi Deus, & mi Domine, tales spiritus possunt juvari? qualiter sunt curandi, atque ad virtutem, ac debitum procedendi modum reducendi? Facile, si mea adsit gratia, juvabuntur; respondit Deus. Nam instructor, à quo talis anima regitur, perspectam habens ipsius naturam, bene illam debet explorare, & conari, ut perscrutetur, & undequaque penetrat propensiones talis personæ, ipsius desideria & opera, atque expendere virtutem, quoad fuerit possibile. Si enim spiritualis & sapiens director sic fecerit, facile allequetur dolum, ac deprehendet illum malum, exorbitantem, vanum, & inutilem spiritum. Quo factò dirigat hanc miserulam animam benignè & suaviter: si est humilis, reducat ipsam ad bona, planam, & securam principia, ad usitatum orandi modum, & virtutes perfectas. Quia si hæc anima non est malitiosa, & optat se eum divina mea voluntate conformare, æquo id suscipiet, ac pacato animo, atque licet in hac viæ mutatione aliquam experiatur molestiam, non est malum, imò certo modo bonum indicium. Caveat, nè hujusmodi animam vexet, aut affligat asperitate, sed ita tractet, ut se ostendat ei bene esse addictum, ac desiderare ipsius profectum: si enim absit malitia, oportet similem animam hac viâ emendare. In praxi, ut in his procedatur prudenter, assumenda est pro exemplari quæpiam anima ex ijs, quæ à me sunt edoctæ & illuminatæ in materijs spiritualibus, & à magistris virtute, spiritu, ac doctrina conspicuis, rigide omni ex parte fuerunt exami-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

nata, & approbata. Videatur, quomodo hæ animæ sint progressæ, qualis illarum fuerit natura, virtus, affectus, timores, circumspectio in rebus ad virtutem spectantibus: atque ex his capiatur idea, ut melius agnoscat, quid factò sit opus, & qua ratione sint regendi spiritus ac personæ, de quibus sum locutus, hoc enim multum proderit. Ista omnia tibi dixi, ut intelligatur tam necessaria & utilis doctrina. Tum Dominus conticuit, qui sit benedictus. Amen.

Quod hæctenus de animabus, quæ cum exigua, vel nulla malicia patiuntur illusiones, dictum est, concludamus horribili visione, quam Venerabilis Marina habuit de animabus fraudulentis, & malitiosè vitam contemplativam simulantibus. Accidit die Dominicâ, quartâ Maj, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, quod ab hac Virgine sic recensetur.

Die Dominicâ manè, postquam diu restiti, Deus me compulit, ut attendere ad id, quod mihi dignatus est ostendere. Vidi igitur, sicut aliàs, scalam pertingentem à terra ad cælum, & in ea ascendentem animam, quæ gerebat speciem mulieris, indutam vestibus incompositis, præterquam quòd essent profors obsoletæ ac laceræ. Quando autem aliquot gradus conscendit, vidi descendisse ex cælo quosdam Angelos, qui habebant in manibus gladios igneos, gravem in suis vultibus præferentes indignationem. Substiterunt supra animam, quatuor circiter gradibus ab ea distantes, impediendo ipsam, nè progrediretur, & comminando illi gladijs, ostendentes se terribiliter eidem irasci. Cohorruit miserabilis, & veluti obriguit, atque hæsit in eo gradu, ita ut nec ascendere posset, neque descendere. Interea ad illam venit Sanctus ipsius Angelus Custos, & arrepto uno ejus pede, monstrando indicia displicentiæ & indignationis, eam magno impetu deturbavit ex scala, dejecitque in terram. Tum derepentè in illam irrucunt plurimæ, diversarum specierum & formarum, bestiarum, quæ crudelissimè excarnificatam videbantur velle disperere in frustra.

Bbb

Cum

Cum ab ijs fuisset pessimè habita, eadem larvæ, quæ erant dæmones, se erexerunt in pedes, & induerunt illam infelicem animam veste fuscâ, lacerâ, & lugubri, quæ antèrat brevissima, retrò autem longissima, manicas habebat procul protensas & laxas; caput ejusdem cooperuerunt cucullo: quæ omnia funestissimum exhibebant spectaculum. Postea fuit ab ipsis ducta ad profundissimum puteum, & in eundem præcipitata, dejicientibus se unâ super illam ipsam bestijs. Vidi deinde prodeuntem ex altera parte igneam, rapacissimum, & furiosissimum fluvium, in quo adveniebat eadem anima, & prædicta bestia, quæ inde proficientes ipsam denudò divexaverunt, multisque ei modis illuserunt, & exutam illo habitu fusco, induerunt alio nigro luctuosissimo, ejusdem formæ, cujus fuerat prior: atque tandem multis ludibrijs exagitata, & malè tractata deturbaverunt in infernum.

Ista ego spectabam attonita, ut mea anima vehementer percelleretur, & conversa ad Deum, cum magno timore & affectu ipsum rogaverim, ut me doceret, quid me vellet ex tam terribili visione di-

scere, & Divina Majestas mihi placidissimo vultu sic dixit: Ecce, reperire est in nonnullis personis pessimos, ac diabolicos spiritus, qui abrepti à sua superbia, ex effreni appetitu vanitatis, quædam faciunt, quæ apparent sancta, & opera ducunt ad cælum: licet verò omnia dirigant ad tantum perversum finem, volunt nihilominus, ut ego ea approbem, ipsisque concilem assiduationem, efficiendo talia, quæ videntur esse miraculosa. Anima hujusmodi præditæ spiritu, & hac viâ incedentes, vehementer exacerbant meos Angelos, & non modò non ascendunt per scalam veri spiritus, sed etiam incidunt in laqueos diabolorum, qui illis per speciem apparentis sanctitatis mirum in modum illudunt, donec ultimò deveniant ad terminum, quæ vidisti, æternorum suppliciorum. Hoc me ipsemet Dominus docuit, & hoc tibi dixit, magnâ me replendo admiratione. Ille nos dignetur per suam misericordiam docere vias veras, ut humillimis animis in omnibus impleamus sanctissimam ejusdem voluntatem.

☉-o-(H)-o-☉

CAPUT XXXVIII.

Quid fuerit à DEO docta, pro confirmatione quarundam Romanæ Catholicæ Fidei articulorum.

Non solum admirabilis fuit doctrina, quam Venerabilis Marina in moralibus, & mysticis materijs à Deo didicit, prout hæcenus vidimus; verum etiam illa, qua ipsi est communicata de materijs dogmaticis, & articulis nostræ sanctæ fidei. Quamquam autem plurima de hac re in tota prima parte istius historia reperiantur, & in ijs, quæ scripsit in hac secunda, ubi Venerabilis Marina per tam præclara symbola, tam gratiosas comparationes, in suis visionibus explicat propè omnia sacrosancta mysteria, quæ nobis Ecclesia Romana Mater nostra proponit; reservavi nihilominus in hunc locum nonnulla spe-

cialiora, quæ Fidelibus magno possunt esse utilitas, ubi viderint, à DEO manifestari unicuique ipsius, etiam ante mortem, clarum quoddammodo veritatum cognitionem, quæ inter nostræ mortalitatis tenebras, vellemus dei tectas, in præsentis vitæ credimus, & sursum revelatas in futura. Excordiamus ab eo, quod illi DEUS ostendit de Fide Romana, ipsam solam esse, quæ veram salutis nostræ viam. Sic itaque dicit in quodam scripto mensis Junij, anni millesimi sexcenti sexagesimi quarti.

Unâ harum noctium, agens in oratione cum Deo, vidi scalam portatam ad cælum, superne angustam, & eâ parte, quâ innitebatur terræ, latam

In porta cœli conspexi Majestatem JESU Christi Domini nostri, & singulari illustrata lumine, quod mihi ipse communicavit, cognovi aliquid de Divino ejusdem Esse. Contemplabar hoc divinum mysterium tanquam attonita, & Dominus mihi amantissimè dixit: Quid aspicias Anima? vísne venire mecum: conscende hanc scalam. Non possum, respondi, mi Domine, non possum: atque non audebam ascendere. Interim multi Angeli concinebant divinas laudes, qui comitabantur Dominum. Tum observavi, multos hîc in terra ad pedem dictæ scalæ stare homines fœdos, viles, & pannosos, qui insiliebant in scalam, volentes conscendere, quamvis non possent: & ego, nescio quâ ratione, magno zelo ipsos conabar impedire, non permitiendo, ut ascenderent, quidquid molirentur. Mirum mihi id accidebat, dicebamque intra me: Bone Deus! quid est hoc, quòd aliàs omnes homines invitem ad nuptias Agni, & impensè desiderem, ut universi salventur, nunc autem illos impediam? quomodo id facio? Denique nemo ascendit, imò continuò vidi aliam, quasi ab extremitate prædictæ scalæ, tendentem deorsum, usq; ad profundum inferni, atque per istam omnes eos homines, sese invicem velut protrudentes, cum ingenti vociferatione descendentes, donec pervenirent ad illud horribile ergastulum, ubi inter tormenta & ejulatus peribant.

Obstupui visò hoc mysterio, cujus significationem non poteram intelligere: Divina verò Majestas mihi tunc dixit: Adverte Anima, turba illa, quam vidisti, & quæ volebat per scalam ascendere ad cœlum, sunt Pagani, Judæi, & Hæretici, qui inhærendo suis sectis & erroribus existimant, se ascensuros, ut me fruantur. Falluntur, cum non possint ascendere, imò præcipientes ruant ad infernum. Atque idcirco tu illos non sinebas ascendere, quo denotabatur ipsos non esse in via salutis, quamdiu perseverant in sua perfidia. Sed neque tu potuisti tum ascendere, quod feci, ut te docerem, neminem ex se ipso posse ascendere ad meam gloriam, seu ad contemplandum meum Divinum Esse, nisi is,

Vita Mar. de Escob. Pars II.

cui ego meam do gratiam, & quem elevo. Interea fui mihi erepta, & quando ad me redivi, finita erat visio.

Siquidem Venerabilis Marina perquam dolenter ferebat, quòd tam multi Infideles damnarentur, morientes extra Ecclesiam Romanam, dignatus est illi Deus aliquid manifestare de altissimis judicijs sue Divinae providentia, concernentibus hoc magnum negotium, in alia visione, quam sic refert.

Dum aliquando manè orarem, accendit Deus meam animam, & inflammavit suo divino amore. Subitò invaluerunt vehementes, & extraordinarij affectus, ut acutissimè desiderarem salutem, ac majorem profectum animarum, redemptarum pretioso sanguine JESU Christi Domini nostri. Cœpi id magno fervore, spatio trium integrarum horarum, petere à Deo, qui mihi tenerrimè dixit: Veni huc Anima, es enim fatigata, & quiesces in me. Eodem momento se mea anima invenit in suo Deo, quodammodo conclusam intra ejusdem Essentiam, ubi turbus audivi Deum cum incredibili benignitate mihi dicentem: Quid modò vis Anima? quid petis? Postula à me quidquid volueris, quia tibi omnia concedam. Dum hoc audirem dici à Domino, visa est mihi mea anima non esse sui compos, & quamvis tantus esset affectus ac fervor, quem sentiebam, non sciebam tamen, quomodo mihi esset petendum, quod adeò ardentè desiderabam, salutem nempe totius mundi. Nihilominus, cum jam vellem, durante meâ turbatione, loqui, conspexi Dominum, qui gravissimo gestu, ac li digitum apponeret labijs, mihi dixit: Expecta Anima, tace, quid vis petere? Nunquid ignoras, non debere, nec posse fieri, quod dicis, nisi suo tempore? Quia autem jam meo affectu tantopere extra me raptâ fueram, statim respondi: Ah mi Deus, noli mihi id dicere; noli mihi ita loqui, mi Domine. Si namque tu ista expendis tanquam Deus, ac ad libellam altissimorum tuorum judiciorum, ego tamen ea non aliter considero, quam ut misera creatura, cupida salutis animarum, ideòque præstita mihi, quod promisisti, mi Deus: ego enim

Bbb 2

enim

enim plus nescio, neque ampliùs intelligo. Expecta Anima, reposuit Dominus, expecta; implebo, quod tibi sum pollicitus, sed non aliter, quàm petiveris in exordio tuæ orationis; quia revera nihil aliud petebas, quàm auxilia & subsidia pro omnibus animabus Fidelium, præsertim autem illorù Catholicorum, qui degunt inter Infideles, & eorundem Infidelium, qui exoptant lumen Evangelij. Hoc à me ab initio postulabas, revoca id tibi in mentem, hoc tibi à me præstabitur.

His divinis verbis fuit mea anima recreata, & velut absorpta in suo Deo; atque in hoc statu vidi subitò Infidelium, iisque immixtas aliquas Fidelium animas ità ad infernum descendentes, sicut quando ningit, ac densissimi flocci decidunt ad terram. Sensi vehementissimam angustiam, & afflictionem, videndo tam horribile spectaculum, & cum incredibili dolore incepti dicere: Quid est hoc, mi Deus, quid est hoc? Estne possibile, ut sic disperdatur, & malè impendatur pretium & fructus sanguinis JESU CHRISTI? Noli affligi Anima, noli affligi, respondit Deus: siquidem fructus & valor hujus pretiosissimi sanguinis non potest disperdi, & malè impendi. Non diceretur perdi thesauros mundi, si omnes congererentur ad pulchram aliquam, grandem, & munitam urbem: nò perduntur itaque etiam fructus illius sanguinis, eò quòd ipsos, tanquam in munita urbe, recondiderim in Catholica Romana Ecclesia.

Bene est, mi Deus, ajebam ego, optimè est: verùm quandoquidem es infinitè bonus, sapiens, & potens, quare permittis tot animas damnari, prout nunc vidi, eùm absolūtè omnes possis salvare? Anima, respondit Dominus, quando creavi hominè, condidi illum meiipsius capacem, dedi ei liberum arbitrium, unà cum omnibus necessarijs & sufficientibus ad salutem auxilijs, majorèmq; profectum; ad omnes suo modo pervenit lumen Evangelij: atq; hæc auxilia meæ gratiæ sunt adeò sufficientia ad finem, ad quem illos destinavi, ut nemo de me possit conqueri. Neminem creavi, ut damnaretur, sed unumquemq;

ut salvaretur, dummodo ipse sibi non defuerit. Adverte Anima, quando ampla & nitida civitas ædificatur, non sufficit, ut exstruantur palatia regia, & formentur plateæ, ac sumptuosæ fabricæ, reliquuntur quoque & adornentur amœna fora, unà cum alijs hujusmodi operibus, sed necesse pariter est, reperiri in ea cloacas, & meatus pro educenda sordium colluvie, qui quidem sunt utilissimi ad conservationem urbis, & mundiciem. Ità in mea Ecclesia, quæ est mea civitas, & regitur à Spiritu Sancto, necessariæ sunt, ac debent esse cloacæ, quibus devehantur sordes ad infernum, ut purgetur mundus, & Respublica Christiana, quæ totius mundi intelligitur nomine, purificetur. Nunc te contolabor, Anima, conferendo omnibus Fidelibus existentibus in gratia, nova auxilia, ut magis proficiant, & peculiarissima dona ijs, qui fuerint dispositi, ad suscipiendas meas misericordias.

Mea anima multùm recreabatur eo, quòd audiebat dici à suo Domino, præ desiderio tamen, quo tenebar, ut omnes salvarentur, me non potui continere, quin dicerem: Sit ità, mi Deus; sed quid dabis constitutis in peccato mortali, & expertibus tuæ gratiæ? Da illis aliquid boni, mi Domine, per temetipsum te obsecro. Bene est Anima, dixit Dominus: verùm videtur ne tibi fore bonum, si quispiam dnas ac potens Princeps, vilipendendo suos thesauros, & lapides pretiosos, eos obijceret canibus, ut illos bestiali suo fetore inderent, & confringerent, atque inrutiter abominabiliter deglutirent: Bonumne esset, ut eximius aliquis Doctor consecratorum cathedram, & perspectos habens audientes, sciens esse simplices, ac instar bellorum incapaces discendi, ipsis subtilia & subtilia scientiæ argumenta, cum præcipua jactura, exponeret? Fieretne id bene? Non profectò. Atqui ità suo modo feceris si ego mea dona & misericordias effunderem in dura & inepta corda, in animas indas & cæcas, ad audiendas mearum inspirationum voces, & videndum lumen mearum veritarum. Mi Domine, respice cui ego, quæ dicis sunt infinitæ auxilia

ratis ac veritatis: sed rogo te, quàm demississimè possum, ut, cum tua bonitas sit tam immensa, sisque præditus sapientiâ & potentiâ, pro disponendis iisdem istis animabus, illas efficaciter iuves tuis inspirationibus, & nova tua dona ipsis concedas.

Verè Anima, respondit Dominus, constringis me tuis affectibus, nè intermittam te exaudire, ut acceptem tuam petitionem, teque consolet: ac proinde dico, te à me exaudiendam in eo, quod petis. O mi magne Deus & mi Domine, subjunxi, noli id dicere, noli sic loqui: scisenim, me non esse eam, quæ te constringam, atque convincam; sed hoc facit tua immensa bonitas, & amantissimum desiderium, quod habes, ut nobis præstes misericordias. Unde fit, ut efficaciter tangas & penetres animam, quam eligis, & accendas charitate, ac amore tui, suorumque proximorum; quò sic à tua divina manu disposita vim habeat & efficaciam in suis ad te precibus. Sis semper benedictus, propter tantas miserationes. Ità fui profundè absorpta, & quando mihi sum reddita, quamvis illud divinum colloquium fuerit finitum, sentiebam tamen animam adeò vulneratam & occupatam ab amore huius benignissimi Dei, ut me per aliquot dies nulli potuerim humanæ conversationi applicare, nulli actioni naturali, nisi cum summa difficultate. Benedictus sit magnus iste Dominus in æternum.

Articulus fidei de communione Sanctorum, viventium in Ecclesia militante, ac specialiter quantopere Iustus perfectus pro sit oratione & operibus suis proximis, atque causam, ob quam idem, dum in hoc degit exilio, nunquam plus à DEO obtineat, quàm si jam

gloriâ potiretur in patria, Deus huic Virgini declaravit gratiosâ comparatione, quàm ipsa ità recenset, prætermittis alijs huc spectantibus, quæ referam capite quadragesimo.

In Novembri anni sexcentissimi vigesimi sexti, videns me Deus fatigatam, & afflictam meis miserijs, dixit mihi: Anima, visne mecum venire? Ego intelligens id à Deo dici, ut me jam ex hac mortali vita educeret, respondi quàm celerrimè: Ità, mi Domine. Quorsum autem, reposuit Divina Majestas, velles à me duci? Visne te conferre ad illam tibi notam solitudinem? Visa mihi sum hoc dicto contristari: cum enim illud antecedens intellexerim de morte, optabam, si Deo placeret, mori. Tum Dominus subjunxit: & quid facient tui proximi ac fratres? quomodo ipsos vis deserere? Quid verò, mi Deus, replicui ego, illis possum præstare boni, cum ad nihil penitus sim utilis? Præterea, si me auferas ad te, melius inde poterò eos juvare. Non poteris, respondit Divina Majestas. Dic mihi, quandonam majores à suo Rege gratias obtinebit insignis Dux militiæ, tuncne, dum actu pugnat, & multas in bello cum suis militibus sustinet incommoditates, expositus & promptus ad prodigendum pro suo Rege, si fuerit opus, sanguinem & vitam; an verò dum relictis in bello militibus sese recipit, ut domi suæ quiescat, & fruatur præmijs? Clarum est, dixi, mi Domine, & certissimum, plus obtenturū, quando servit præliando. Optimè dixisti, conclusit Dominus; sic tu nunc potes amplius pro te ipsa, & pro tuis proximis obtinere, dum inter illos vivis laborando & patièdo, quàm dum mecum regnabis in gloria. Hoc mihi dixit Deus, qui sit benedictus. Amen.

CAPUT XXXIX.

Continuat eandem materiam, recenset quædam notabilia, de animabus parvulorum, & officio Angelorum, qui sunt eorum Custodes.



A Romana fidei defensionem, & condemnationem hæreses facit singularis visio, quam Venerabilis Marina habuit

in Aprilis anni sexcentissimi vigesimi quinti, & his verbis descripsit.

Dominicâ Quasi modo. agens in mea consveta oratione cum Deo, vidi in meo

Bbb 3

cubi-

cubiculo quendam Angelum, qui erat unus è supremis, ac tenebat in manibus parvulum, qui videbatur esse mortuus, eratq; quasi fanebri linteolo coopertus. Ter, quaterve sum conata propter meos timores me abstrahere, donec me Dominus adigeret, ut attentè spectarem, quod mihi monstrabatur. Vidi igitur illum parvulum sibi restitui, acsi resuscitaretur, qui lætus ac hilaris amplectebatur collum illius Sancti Angeli, more infantis amplexantis suam matrem, & Angelus ipsum pariter cum magna complacentia excipiebat, eique blandiebatur. Interea vidi advenientem contra eundem parvulum turmam diabolorum, varias exhibentium formas, qui omni ex parte erant armati: atque licet is esset in ulnis sui Angeli, & ab alijs quoque Angelis defenderetur, nihilominus ipsū, Deo permittente, eripuerunt ex illius brachijs, ac tulerunt ad quandam solitudinē, cædentes eum & percutientes, ibiq; eundem conabantur interficere, tametsi non potuerint: tandem verò itā divexatum reliquerunt in ea solitudine, ut videretur esse velut mortuus, quanquam revera viveret. Advenerunt denuò alij dæmones, qui alias diversas præferebant formas, & voluerunt illum suo pestilenti halitu profus extingvere, cūque non possent, deseruerunt semivivum, ac modicè spirantem. Tum ibi comparuit quidam Sol, qui parvulum suis radijs attractum calefecit, refocillavit, & confortavit, tandēq; intra seipsum suscepit, ut ipsum ultrà non viderim. Ista fuit visio, quæ me rapuit in admirationem, & sollicitā reddidit, eò quòd non intelligerem mysterium: tantū enim tunc fui illuminata, ut agnoscerem, illum Angelum verè talem fuisse, etiāque parvulum paucorum annorum puerum.

Post præterlapsam unam horam Divina Majestas mihi manifestavit, quid significaverit visio. Erat is puer filius cujusdam Domini hæretici ex illustrioribus Angliæ. Quando ipsum vidi in ulnis Angeli defunctum, fuerat recenter natus, & propter peccatum originale quoad gratiam mortuus. Deinde per Baptisum revixit, ac-

cepit vitā gratiæ, atque Angelus ipsum Custos fuit gavisus, & est illum amplectus. Postquam idem puer attingit annos, quibus illucescit usus rationis, deliberavit de negotio Religionis, quænam sibi esset sequenda, & quamvis non fecerit jacturam fidei, nec peccaverit lethalter, passus est graves dæmonis tentationes, vellemes suorum assultus, multūque sic cum ipse disputavit, ubi se admittentem peccata quædam levia & venialia. Tandem cum divina gratia, & Catholicorum ei assistentium consilio, conservavit fidem Romanam, obiit in pueritia, & est laurus: ductus tamen fuit ad Purgatorium (quod significabat ille Sol, qui ipsum tunc se suscepit) ubi igne purificatus se disposuit, ut perveniret ad fruentum Deo.

Ego intra me dicebam: Bone Domine, quem in finem Divina Majestas à me hæc omnia videri volebat? Tum Sanctus meus Angelus Custos mihi dixit: Monstravit tibi ea Deus, quia vult, ut amici ipsius interdum videant, ac sciant opera infinitæ ejus misericordiæ, quæ exhibet suis prædestinatis; præsertim verò, ut commendes Deo filios Infidelium, rogando ipsum, ut illos adjuvet, quò salventur.

In antecedentibus scriptis Venerabilis Marina meminit loci & gloriæ parvulorum, qui sine proprijs meritis, cum sola gratia, quæ accepit per Christum, migraverunt ex hac vita. De hoc ipso specialius agit in sequentibus duabus visionibus, atque simul de offiis, quod erga tales à nonnullis Angelis exercitur. In prima harum visionum sic ait.

Vigesimali octavâ Novembris, dum more solito essem constituta, commedans me Deo, venit ad me unus è minoribus Angelis, qui est Minimus, & loquissimus plurimūque gaudens mihi dixit: Soror, veni nobiscum, & duces nos ut modicum quiescas. Ego sum terripensata, sicut consuevi, & ipse subjunxit: Nonne est, non fiet aliter; veni mecum, & ducam te eò, quò te nunquam constitit. Duxit me iste Sanctus Angelus (licet nimium etiam cæteri quinque unâ irent, ipse tamen solus me sustentabat, ac docebat) per quosdam amœnissimos, & videri juvenculo-

missimos campos: In hac via videre erat pulcherrimas aviculas, quarum plumæ videbantur esse inauratæ, quæ supra me volabant, ac si continuè vellent se meis oculis objicere: erant mirum in modum gratiosæ, & Sancti Angeli eas libenter aspiciant, quasi ipsarum intuitu delectarentur. Hac viâ me duxit meus Sanctus Angelus Parvus ad cœlestem Jerosolimam, & in ea ad quendam locum separatum, seu recessum, quanquam intra idem cœlum empyreum (ignoro, quomodo id explicem, erat namque tanquam sejuncta ab alijs Beatis habitatio) ubi vidi multas animas formosissimas & gratiosissimas, quæ omnes æqualiter fruebantur gloriâ, & clarâ Divinæ Essentiæ visione. Summo me hoc spectaculum affectu solatio & gaudio: nam verè erat res admirabilis ac divina, videre, quantum boni possiderent.

Dominus meus Angelus mihi tunc dixit: Soror, hæc sunt animæ parvulorum, qui obierunt recenter baptizati, ante usum rationis, & sunt, atque erunt in æternum beati, solummodo ob merita sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Videbantur illæ animæ occupari continuâ laude Dei, ob gratiam sibi præstitam, eò quòd ipsas glorificaverit ex mera sua misericordia, quâ eas per Sacramentum participes reddidit meritorum Redemptoris nostri. Idem Angelus addidit; injunctum sibi esse à Deo, ut interdum comitaretur ad cœlum aliquas talium parvulorum animas, morientium cum baptismali tantum gratia. Ego hos felices parvulos in ea ætate mortuos contemplantur cum magna voluptate ac attentione. Aspexi præterea, an viderem quandam meam neptem, quæ obiverrat in Civitate Tauri, & fuerit quinque aut sex annorum: cumque illam non viderem, interrogavi de ea Sanctum Angelum, qui mihi respondit: Ipsa non est hic, sed in loco superiore, quia illi Deus, ex pura sua bonitate, acceleravit usum rationis, & patientiâ, quam in morbo exercuit, aliisque actibus promeruit plures gloriæ gradus. Jam aliàs scripsi, quid mihi cum hac beata puella evenerit, & alibi retuli cætera, mihi de illa à Sancto An-

gelo patefacta. DEUS sit benedictus. Amen.

Quod ab hoc Sancto Angelo Parvo dictum fuit Venerabili Marina, injunctum videlicet ipsi fuisse à Deo, ut comitaretur aliquas horum benedictorum parvulorum animas, duceretque ad cœlum, concordat cum eo, quod illi de eodem Angelo dixit Virgo Domina nostra: & cum sit res singularis ac nova, reservavi illam in hunc locum. Alludens itaque Venerabilis Marina ad quendam admirandum favorem, & gratiosam visitationem, quâ ipsam est dignata Virgo Sanctissima (retuli verò illam capite septimo hujus secundi libri, ubi ipsa abeunte iste Sanctus Angelus Parvus, & alius similiter Parvus ejus socius, concinuerunt suavissimas laudes hujus Celsissimæ Regine) subjungit ad nostrum propositum sequentia.

Postquam sum jussû à meo Confessario describere accuratè totum mysterium, quod videram die Incarnationis Filij Dei, sicut alibi recensui, oblita fueram, Deo permittente, quomodo fuerit finitum, quidque mihi præcisè accidisset cum Virgine Domina nostra, quando me invisit in meo cubiculo. Cum verò desiderem, ut talia nonnisi quàm exactissimè scribam, statui omittere, quæ tunc ultimò evenerunt, donec mihi Deus, prout hujusmodi occasionibus solet, revocaret in memoriam omnia, quæ fuerant acta. Cum hoc proposito transegi biduum aut triduum, petens à Divina Majestate veniam meæ incuriæ, & confidens mihi ab eadem manifestanda esse, si cederet ad ipsius gloriam, ut à me scriberentur, siquidem perspectum haberet meum cor, quòd à me non intermitterentur ex defectu obedientiæ, sed quia cuperem in mea relatione esse quàm accuratissima. Præterlapsus igitur dictis diebus, dum de hac materia penitus nihil cogitarem in mea solita oratione, vidi ipsam Sacratissimam Virginem Dominam nostram, quæ mihi amabilissimè dixit: Dominus sit tecum, Anima. Veni huc, quomodo es tam inemor eorum, quæ tibi ultimò acciderunt in mysterio, quod vidisti concernens Incarnationem mei Filij? Non meministi hoc, & hoc? atque taliter interrogando, recensens quæ-

cunque

cunque fuerant facta, omnium mihi refrenavit memoriam, ut à me tam vivaciter cognoscerentur, quàm, dum cõtingerent, & eo modo, quo à me sunt supra descripta.

Hoc refero, ut adjungam aliquid speciale, quod mihi tunc evenit, & est, ab hac magna Domina, postquam eò progressa est, ut mihi faceret mentionem cantus duorum *Parvorum* Angelorum, quos alij deinde fuerunt secuti, mihi dictum fuisse: Nunquid, Anima, non meministi eorum, quæ duo *Parvuli* Angeli Paradisi cœperunt canere adhibitis instrumentis musicis, & reliqui continuaverunt? Ego optimè sui omnium memor, sed valde sum mirata, quod ipsos vocaverit Angelos Paradisi, quia nunquam audiveram ità fuisse appellatos: cùmque paululùm hæsissem, tanquam absorpta, dixi meæ Dominæ: Quare illos Tua Majestas vocat Angelos Paradisi? hoc ego non intelligo. Tum præcelsa ista Regina, quasi suavissimè subridendo respondit meo dubio, inquit: Dicam tibi id, Anima, pro tuo solatio, dicam tibi. Scias velim, Deum in illa cœlesti patria multas habere mansiones, & à singulis ijs animabus beatis proprium possideri locum, atque gloriam, juxta Divinam misericordiam, & propria sua merita. Totæ admirabilis regio est plena pretiosis æternorum bonorù thesauris, quibus Deus suos electos reddit beatos, instar divini horti florum, divisi in diversas, & pulcherrimas areolas. Inter has est etiam una, ubi Deo fruuntur, sũntque beatæ animæ parvulorù, qui obierunt solam habentes gratiam, quam sunt assecuti per baptismum, absque proprijs meritis: & sicut inter cæteras sanctas ac beatas animas habitant multi Angeli, ipsis assistentes, ità quoque in ista quasi statione animarum horù beatorum sunt proprij Angeli, qui cum ipsis manent. Isti ergo duo Angeli inter alios, quos tibi Deus adjunxit socios, & qui, licet tibi compareant tanquam parvi, magnâ tamen pollent virtute, potentiâ & fortitudine, sunt ex numero eorum Angelorum, qui morantur in eo loco, ubi animæ gloriificatæ parvulorum fruuntur Deo. Idcir-

co, quia gloria, quâ hi parvuli potiuntur, licet sit magna, est nihilominus parva, si comparetur illi, quâ fruuntur aliæ animæ, quæ divites proprijs meritis in cœlo regnant, nominavi locum, in quo degunt, Paradisum, & his duobus Angelis, quia sunt ex ijs, qui cum ipsis versantur, attribui titulum Angelorum Paradisi. Hæc est responsio ad tuum dubium, Anima: nunc mane in pace, & in tuo Deo. Tum rapta sum in ecstasim, & quando ad me redivi, non vidi amplius Sanctissimam Virginem, quæ eo arcano modo, quo aliàs, abiverat. Deus sit benedictus. Amen.

Advertendum est, ex verbis Venerabilis Marinæ clarè apparere, quòd illi Deus his occasionibus non ostenderit animas parvulorum, qui in lege naturæ, & scripta sunt salvati, per virtutem sanguinis, quem Christus Dominus noster erat profusus; sed solum animas parvulorum Christianorum natorum post Christum Dominum, atque triumphalem ejusdem mortem, & potius fuerunt baptismo in lege gratiæ: semper enim loquitur de parvulis baptizatis. Est fortasse idè supra dixit, omnia istas animas equaliter frui gloriâ, quòd non videtur posse dici, si his parvulis qui vixerunt in lege gratiæ, juncti essent fideles mortui ante usum rationis in lege naturali, aut scripta: quandoquidem isti minorem acceperunt gratiam, & consequenter tantò minore fruuntur gloriâ, quàm nostrates, quòd minus operantur vetera Sacramenta, quæ debebant culpam originalem, quam operetur Sacramentum nostrî Baptismi, in quo, per Dei misericordiam, abundantiore esse primam gratiam, prout est conforme sensui Sanctorum, ac Theologorum.

Vidit Venerabilis Marina multa alia cernentia ministerium Angelorum, atque id quòd nos docet fides de cura, quâ nobis illi gloriosi spiritus assistunt. Referam breviter, quæ in tribus ipsius schedis de hoc argumento referri, ubi sic dicitur.

Attulit mihi quadam vice mea Sicut fascem corollarum precatoriarum, quæ emerat, & superposuit illum meo lecto. Cùm autem prorsus nihil cogitarem de eo, quod fuerat actum, vidi ad me venientes omnes meos Dominos Angelos, & duo

Minura

Minores se collocaverunt propius ante cæteros, acceptisque corollis ad manus, facie ad reliquos conversâ, dorso autem ad me, gratiosissimè, & admirandis vocibus dixerunt: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* alij responderunt: *Qui fecit caelum & terram.* Deinde iterum duo priores præcinerunt: *Sit nomen Domini benedictum.* respondentibus reliquis: *Ex hoc nunc, & usque in seculum.* Et conversi ad me dixerunt simul: *Benedicat vos Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* datâque suâ benedictione corollis, reposuerunt illas supra meum lectum.

Aliâ occasione, in Septembri anni sexcentissimi vigesimi septimi, cum jam essem sumptura cibum, omnes mei Domini Angeli, qui cum meo Custode sunt undecim, accesserunt ad me, & circumdederunt meum lectum. Mirum id mihi fuit visum, & quamvis ipsis nihil sim locuta, dicebam tamen intra me: Quidnam volent omnes isti mei Domini? Disposui me ad comedendum, & more meo dixi brevem orationem, ac deinde: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.* Quamprius hunc verbum inchoavi, Angeli se ita prostraverunt in terra, ut illam cum magna submissione exoscularentur. Sæpe autem aliâs notavi observantiam & venerationem, quâ Sancti Angeli hæc verba prosequuntur, quæ quidem est maxima. Attulit mihi una sociarum cibum, quem mei Domini benedixerunt. Ego fui ad eò consternata, ut prorsus nesciverim, deberemne comedere. Tum ipsi, uno omnium nomine loquente, mihi dixerunt: Soror, comede, & cape nutrimentum, quo vita humana indiget. Ecce enim nos nihil miramur, quod servi Dei similia naturæ suæ pensa persolvant; imò specialiter nobis placet, quando cum debita modestia sumunt necessaria. Etiam Christus Dominus noster, dum hæc viveret, manducabat & bibebat, observatis omnibus divinæ suæ temperantiæ circumstantijs. Quid ergo tu miraris? Nihilominus verecundabar tantopere, & eram veluti turbata, ut nè quidem primum bolum coram

ijs sumere attentarem: quocirca illi videntes meam erubescerentiam, recesserunt ad suum singuli locum, ubi solent manere, & sic potui suscipere consuetum alimentum.

Quodam festo Angeli Custodis sum ducta ad cælestem Jerosolymam, atque ad sui solennitatem, quæ eo die peragebatur in cælo, in honorem Sanctorum Angelorum. Instituta fuit celebris processio omnium illorum Angelicorum Spirituum, qui erant splendide armati, & exornati. Procedebant bini, & Sanctus Michaël anteibat portans instar signiferi vexillum. Postremo loco incedebat vir gravissimus, summè venerabilis, & indicibilis auctoritatis, per quem intellexi representari Patrem æternum. Ferebat in suis sanctissimis manibus quandam quasi hierothecâ, coopertam pretiosissimo velo, quæ erat symbolum meritorum Jesu Christi Domini nostri. Hunc summum virum (sic namque mihi comparebat) sequebantur omnes Angeli Custodes, qui fuerant advocati, & congregati sono ac musicâ cælestium quarundam companarum, quæ in ea superna aula pulsabantur cum ineffabili harmonia. Progrediente pompâ apparuit aliquantum eminus ingens bestia, quam eò quasi projectam impulerunt quidam diaboli; sed Angeli illam subito comprehenderunt, ita ut non fuerit amplius visa. Substitit processio apud munitissimum, & pretiosissimum castellum, ubi morabatur Dominus Deus Trinus & unus. Atque postquam huc pervenerunt, omnes Angeli, qui concinebant laudes Dei, se prostraverunt, & Divina Majestas illis est elargita suam sanctissimam benedictionem, quo factò fuit finita solennitas, & inveni me in meo cubiculo. Deus

sit benedictus.



CAPUT XL.

Justa Christi Domini nostri, contra falsas sectas,
indignatio; mysteria ipsius pretiosi sanguinis,
Communio Sanctorum.

IN Aprili anni sexcentesimo vigesimo octavi, Christus Dominus, dilectissimo Servator noster, spectandam exhibuit huic Virgini justissimam suam indignationem, contra falsas sectas Maurorum, Judaeorum, & Hereticorum, atque aversionem à Catholicis male viventibus. Refert ipsa visionem his verbis.

Intenta orationi vidi Majestatem Jesu Christi Domini nostri, qui mihi dixit: Veni mecum, Anima, & videbis. Quamvis autem propter meos timores morte meo repugnarem, tandem amplius non potui. Duxit me Ejus Majestas quasi ad portam caeli, ubi illum vidi iratum, & vultu tam gravi ac severo aspicientem, ut fuerim terribita, & exhortuerim. Conspexi deinde hic in mundo, tanquam in vasto campo, ingentem hominum multitudinem. Alij stabant manibus junctis, & capitibus elevatis, sed retrorsum reflexis; alij erant provoluti in genua, compositis manibus, & capitibus demissis; alij nec bene stabant, neque flectebant genua, sed excusâ omni verecundiâ, gerebant capita similiter pendula; denique alij jacebant humi, capitibus terræ affixis.

Vocavit illos Dominus ad judicium, ac dixit ad primos: Qui estis vos? quam legem profiteremini? Sumus Mauri, responderunt ipsi, sequimur legem Mahometi. Intuitus est illos Dominus eo vultu irato, & graviter reprehendit, jussitque inde abduci, qui se collocaverunt post Dominum, ad latus dextrum. Tum interrogavit secundos: Vos quinam estis? & responderunt: Sumus Judæi, atque expectamus Messiam promissum in lege Mosaica. Hos Dominus aspexit cum majori indignatione, quam primos; reprehendit gravius, vocando ingratos, incredulos, tardos ac dueros corde, & jussit abduci, atque ad-

jungi prioribus. Advenerunt tertij, qui pendula gerebant capita, & quaesivit ex illis Dominus: Qui estis vos? Fuimus Catholici, responderunt, nunc sumus heretici, & profiteremur varias sectas. Contra istos Dominus magis, quam contra omnes præcedentes, exarsit, & post alia gravissima, quæ ijs est locutus, subiunxit: Infelices, qui eratis arbores plantatæ ad ripas fluminum meæ Ecclesiæ, atque modo estis aridi propter peccata vestra, & mandavit illos abduci cum reliquis. Demum accesserunt postremi, quibus Divina Majestas dixit: Quinam estis vos? & responderunt: Sumus Catholici, profiteremur legem Evangelicam, & fidem Romanam; vivimus tamen in gravibus peccatis. Dominus ipsos acriter coarguit, eo quod offenderent Deum, & jacturam fecissent gratiæ, cum essent filij Ecclesiæ.

Interea quodam gestu indicabat, ac si eos vellet jubere abripi, unâ cum alijs tribus generibus hominum, ut simul justâ plecterentur poenâ: verum Angeli ipsorum Custodes solliciti comparuerunt coram Ejus Majestate, dicentes: Confideta, Domine, quod peccaverint ex fragilitate; obsecramus te supreme Rex, ut illorum miserearis: nam licet sint peccatores, confidunt in tua misericordiâ, & optant, ut non occupentur à morte, nisi in statu veræ poenitentiae. Placatus fuit nonnihil Dominus, quanquã adeo indignaretur, ut ipsorum propter preces Angelorum miteretur, & expectaret, quoad usque se emenderent. Derepentè cæpit pluerè ignis ex caelo super illas tres hominum turmas, qui stabant separati, & multi demones illos præcipitabant ad infernũ, ubi omnes ab eo remedio comburebantur. Postquã omnes isti infideles disparuerunt, absorpti ab eo igne æterno, orta fuit vehemens tempestas, decidente grandine super peccatores Catholicos, à qua fuerunt pessimè habitus.

Sancti

Sancti tamen Angeli eorum ipsos protegant, quantum erat possibile, atque inde illos abduxerunt ad locum tutiorem. Tale fuit hoc spectaculum, cui adfui plena incredibili timore.

Divina Majestas se postea convertit ad me, dixitque mihi: Anima, quid tibi de his videtur, quæ spectavisti? Præseferbat adhuc Dominus justam suam indignationem; unde ego tota turbata, quod ipsum viderem ita constitutum, respondi: Mi Domine, per te ipsum te oro, noli me intueri hoc vultu irato, quia me terret, & non sum mihi præsens; aspice me, per amorem tuum, sicut convevisti. Tum Ejus Majestas mihi dixit: Ostendi tibi hoc spectaculum, ut apud me intercederes pro peccatoribus Catholicis, ut ipsis concedam meam gratiam, quâ adjuti emergant ex peccato, & non sustineant supplicium Infidelium, quod vidisti. Sit hic Dominus benedictus. Amen.

Thesaurum, quem habemus in sanguine JESU Christi Redemptoris nostri, & quomodo ipse probis prosit, atque impij illum nequeant, quantumcunque conentur, obscurare, simulque alia, quæ continent singularia documenta, ei Deus ostendit in visione sequenti, quam illa sic refert.

Quadam die, ante diluculum matutinum (erat vigesima Januarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto) dum orarem, vidi Christum Dominum nostrum cruci affixum, exhibentem eas vultu angustias, ac demonstrantem dolores, quos sustinuit, priusquam in illa expiraret. Ad pedem hujus crucis vidi prostratum sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, & alium Sanctum ex ejus Ordine, quem non agnovi, neque multum observavi quis esset, quia me totam abripiebat compassio, ac tenebrarum, quod viderem meum Dominum taliter constitutum: nam pauper mea anima summè commoveretur, quotiescunque se ipsi Dominus in hac specie exhibet spectandum. Tali modo mihi appropinquabat, crescente semper magis ac magis in me, ob hoc spectaculum, affectu compassionis. Postquam pervenit ad locum, in quo eram, pes illius angustæ crucis inhaesit

Vita Mar. de Escob. Paris II.

meo pectore, aperiendo illud, intimèque penetrando. Erupit continuo magna sanguinis copia ex sacris pedibus crucifixi Domini, qui sanguis ingrediens per aperturam factam in meo pectore, ita omnia mea interiora implevit, ut superesset. Hoc facto Dominus sic suæ cruci affixus abivit, & reversus est ad locum, in quo illum prius videram.

Ibi vidi decurrentes ex sacratissimis ipsius pedibus tam copiosos rivos sanguinis, ut replerent totam terram. Mirabar vehementer observando hæc mysteria, quando audivi Dominum dicentem: Quid tibi videtur, Anima, de eo quod vides? Mi Domine, respondi, es infinitè bonus, & ex mera tua immensa bonitate pro nobis omnibus effudisti tuum sanguinem. Propterea tibi dixi, subjunxit Dominus, & nunc dico, quod etiam si suscitentur omnia ista bella, quæ metuis, & quæ tantas incutiunt Christianitati minas, non sit mea mens, destruere Rempublicam Christianam, sed probare meos fideles servos, quorum singuli mihi magis placent, quam me exacerbent omnes, à quibus offendor: & quemlibet ita amo, ut pro uno solo existimarem bene impensum, quidquid sum passus, ac denuò, si foret necessarium, paterer.

Cum Dominus hæc svavissima verba dixisset, conspexi magnam hominum multitudinem commeantem per terram, pretioso illo sanguine perfusam, eundemque ab aliquibus colligi in pyxidulas, & alia vasa, exosculantibus ipsum cum magna reverentia, & amplexantibus cum tenera devotione, quæ indicabant mirum affectum erga illum divinum thesaurum. Alij eundem conabantur conspuere, ac suis manibus dispergere, & pedibus conculcare, omnem eo sine moventes lapidem, multasque idcirco subeundo molestias & afflictiones. Sed his conatibus fiebat, ut ille facer sanguis nullo afficeretur detrimento, imò evaderet pulchrior ac splendidior; & qui laborabant, ut ipsum perfundarent, ita elangvescerent, ac debilitarentur, ut nullum retinerent vigorem aut animum, ad quidquam peragendum.

Cec 2

De

Descenderunt deinde Angeli, ut me contemplarentur, & vidi sanguinem, qui fuerat ingressus in pectus (cū non haberet locum in pectore) ob magnam copiam inde, ex latere sinistro, magno impetu erumpentem, atque noravi, quōd nonnulli Sancti Angeli collectum in vasa tulerint ad quendam locum, ubi fuerat jam asservatus totus reliquus sanguis, quem Christus Dominus effuderat ex suis sacris vulneribus, & quo erat irrigata universa terra, atque ibi illum depoluerunt, ut totus simul permaneret.

Postea idem Dominus, quem nihilominus videbam affixum cruci, sicut initio, dixit meis Dominis Angelis, ut me ad ipsū adducerent, quod celerrimè fecerunt, & collocaverunt me ad pedem crucis. Dum autem ego essem in magna ecstasi aspiciens hunc Dominum, ille ascendit, donec perveniret ad cœlestem civitatē, & postquam eō intravit, non apparuit mihi ultra crucifixus, sed vidi illum in specie ordinaria, in qua Ejus Majestatem consuevi videre. Et cū meam animam constituisset in ea sublimi unione, in qua eam video tanquam intinè introductam in Divinum Esse, frui sum ibi eo summo bono, quantum hæc vita mortalis patitur, donec Deo placuit, ut reducerer ad meum angulum. Hic cœpi cogitare de significatione illius mysterij, quōd is Divinus sanguis per latus mei pectoris, cum tanta efflueret abundantia, ac si totus intra illud non posset contineri. Verūm Ejus Majestas mihi illam tum declaravit, confirmando, quod mihi à Sancto Patre Ludovico de Ponte fuit dictum, quando ad me venit, & erat, ut certa essem, meam animam in obitu meo evoluturam ad cœlum, non transcundo Purgatorium; meque non solum habituram sufficientia ad id merita, sed etiam superflua, pro alijs adjuvandis. Isti effectus infinitæ magni hujus Dei & Domini nostri misericordiæ, sunt fructus pretiosi ipsius sanguinis. Idem sit millies benedictus. Amen.

Sequens visio nobis ob oculos ponit illum articulum fidei, quo credimus Communionem Sanctorum, & quomodo Fideles fiant partici-

pes bonorum operum, que ab alijs peraguntur, seque invicem possint specialiter juvare; & quadam alia plena solatijs, qua Venerabilis Marina ita recenset, & de quibus jam nonnihil dictum in fine capitis trigesimi octavi.

Die Dominicâ, decimâ sextâ Septembris, anno sexcentesimo vigesimo nono, expendens meos multos defectus, meque immergens in cognitionem meipsum, fui abrepta in spiritu, & audivi vocem Dei mihi dicentis: Veni Anima, ascende huc per istam scalam. Circumspexi, & vidi unam, quæ pertingebat à terra ad cœlum, atque incepi illam celerrimè conscendere. Quando autem perveni ad portam cœli, prodijt quidam Angelus, qui videbatur fungi officio janitoris. Is me detinendo, vultu gravi, & severis verbis mihi dixit: Subsiste Anima, quō vadis? Substiti tota turbata, statimque me totam prostravi coram Sancto Angelo, qui me sic videns constitutam, eadem severitate ac prius subjunxit: Surge, ac responde meæ interrogationi. Et respondi: Permite, ut eam ad meum Dominum, vocat enim me, jubetque eō ire, ubi Ejusdem Majestas moratur. Bene est, ajebat ille, quomodo scis te à Deo vocari? Prostravi me denuo cum eadem turbatione, atque reverentia; & ipse mihi rorsum dixit, ut surgerem ac responderem suæ interrogationi. Feci id, ac dixi, me à Deo illuminatam agnovisse, quōd vocarer ab Ejus Majestate. Tum ille velut permittendo me intrare, quantum parum suavi vultu ac voce, mihi dixit: Ingredere.

Ingressa sum, & post paucos passus conveni meum Sanctum Angelum Custodem, ac alios duos Angelos, qui ad me accedentes, ac denudantes unum meum humerum, atque partem dorsi, me ibi ambo cœperunt verberare cum in modū, quo fabri ferrarij eandem partem ferri contundunt. Sustinui meam penam, & eâ finitâ fui ducta ad Dominum Trium, qui me suscepit cum magna charitate, datâque mihi suâ sanctâ benedictione precepit Sanctis Angelis, ut me ducerent alios, quod ipsi fecerunt, & duxerunt me ad immensam quandam altitudinem, & so-

litudinem divinam. Voco autem solitudinem (licet sit optima societas) quia ibi anima ita in solo suo Deo manet, ut, quidquid audit, cognoscit ac percipit, sit pure Deus, & nihil aliud. Hic mihi Divina Majestas indulgit aliquam libertatem, ut animadverterem, quomodo essem constituta, & cognovi, ab anima intelligi, amari, ac possideri magnitudinem, & gloriam Dei: cum autem vellem progredi ulterius, & inquirere quomodo possent explicari, quæ intelligebam ac possidebam, ex ea magna gloria, cognovi, id esse impossibile, & non posse declarari, aut exponi excessum illius gloriæ. Præterquam enim, quod nulla lingua humana valeat explicare id, quod omnia tantopere superat, quæ reperiuntur in mundo, neque ulla, intra omnes limites eorum, quæ naturaliter comprehenduntur, extet creatura, cujus similitudine & comparatione declaretur, quod ibi cognoscitur, & quo anima fruitur; ipse quoque intellectus agnoscit, nec à se, neque à cæteris potentijs comprehendit omne bonum, quod ibi repræsentatur; sed suam mensuram & capacitatem esse valde arctam & exiguam, ad comprehendendam magnitudinem & gloriam, quæ ibi invenitur. Atque etiam si sit quasi immensum & infinitum, quod illi ibidem ostenditur, scit, longè esse amplius & amplius, quod non assequitur. Sicut igitur, si cuipiam ostenderentur millena millia gemmarum, quarum singulæ essent pulcherrimæ ac preciosissimæ, & singulæ præterea artificiosissimè elaboratæ, ipse autem vellet adhibere conatum, ut omnes simul pernosceret, cum omnibus earum perfectionibus, deficeret, & quodammodo absorberetur, ac raperetur extra se, confusè tantum contemplanando illud amoenissimum spectaculum, eoque fruendo; ita mea anima victa à magnitudine gloriæ, quam optabat observare, ut illam describeret, fuit in ea submersa, & veluti perdita, ut nihil de se sciret, donec essem reduceta ad meum angulum.

Quando hic fui, & magno cum stupore ac solatio cogitavi de magnitudine hujus immensæ Dei, incepti dubitare, ob

quales defectus Deus permisisset, ac præcepisset, ut castigaret ab ijs Sanctis Angelis. Quamvis enim certum sit, multos à me defectus committi, nullum tamen tunc agnoscebam specialem & extraordinarium, quo fuisset promerita illam extraordinariam penam. Fui aliquamdiu sic afflicta, judicans, à me fuisse perpetratum grave aliquod peccatum, timensque, ut, sicut me istud lateret, ita multa quoque alia non cognoscerem. Dum id considerarem, meque cum magna resignatione offerrem divinæ voluntati, audivi vocem mihi dicentem, quod diabolus esset de me questus coram Deo, dicens, se habuisse facultatem affligendæ cujusdam creaturæ, quæ fuerit prompta ad tolerandam eam afflictionem, & à me fuisse protectam, ita ut ipse non potuerit mandare executioni, quod illi fuerat permissum; ideoque petere, ut Ejus Majestas dignaretur jubere, me castigari, tum quod impediverim, eni impleretur ipsius mandatum, tum quod illam creaturam privaverim merito patientiæ: Deum autem respondisse, ut ego aliquid paterer pro ea creatura, quod pro ipsa oblatum compensaret, quidquid eadem obtinisset, etiamque ego haberem meritum ex charitate ipsi à me exhibita, & patientia, quæ toleraveram illam afflictionem ortam tum exitibus mihi insuetis, tum ex molestia tolerata ob timorem, nè commissem aliquod peccatum, essemque forsitan rea multorum aliorum, quæ non agnoscerem. Et verò ita est, quod antequam mihi evenissent, quæ retuli, me Deo obtulerim, ad patiendum, quidquid Ejusdem Majestas vellet, ut liberarem à molestia illam creaturam. Cum audivissem, quod recensui, aliud mihi dubium occurrit, quia agnovi eam vocem non fuisse Dei, & videbam aliunde, quod mihi id non fuerim imaginata, neque proveniret à meo proprio spiritu. Sed fui per Divinam misericordiam continuo liberata ab hoc dubio: siquidem mihi comparuit Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, & securam me reddidit, eam vocem non fuisse mali spiritus, quanquam mihi non dixerit, cuiusnam fuerit.

fuert. Paulò post mihi meus Sanctus Angelus Custos dixit, omnia illa ab uno è Sanctis Angelis mihi assistentibus fuisse

dicta, jussu DEI, qui sit benedictus in æternum. Amen.

¶ (H) ¶

CAPUT XLI.

Quomodo DEUS hanc Virginem, de spiritûs ipsius veritate, reddiderit securam.



Cum usque adeo admirande sint visiones, adeò stupenda doctrina, quâ Deus Venerabilem Marinam illuminabat, ut tum ob frequentiam, quâ se ipsi exhibebat videndum, tum ob familiarissimum modum, quo cum ea agebat, vix sit reperibilis historia magis in hoc genere singularis; non est mirum, humillimum hujus purissimæ Virginis spiritum sibi ipsi fuisse suspectum, & quando se minus tam inusitatas gratias promereri agnoscebat, tantò amplius novitatem tam peregrinarum semitarum, viæq. adeò parum trita transitum timuisse. Hinc est, quod continuè, quemadmodum apparuit, à DEO in sua oratione petiverit lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus, quòdque illam Deus multoties intimis & ineffabilibus illustrationibus reddiderit securam, se ipsum esse, qui cum ea loqueretur. In quadam charta, quam paucissimis, ante suam felicem migrationem ex hac vita, diebus conscripsit Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, dum quedam Confessario, qui Venerabilem Marinam deinceps esset rectorus, maximi momenti dat monita, hausta tum ex singulari sua prudentia, ac divino lumine, tum ex ea experientia, quâ illam triginta, & amplius, annis direxerat, post alia sic ait: Existimo, ipsam nunquam fuisse deceptam à diabolo. Hec charta, quam habeo in meis manibus, fuit scripta minimum post diem quintam Februarij, anno sexcentesimo vigesimo quarto, cum obierit decimâ sextâ ejusdem mensis & anni. Cujusvis rerum talium peritè iudicio censebitur, esse prorsus speciale, quod, ad præsens propositum faciens, evenit Venerabili Marina agenti cum Deo, aliquot annis post, & ab ipsa refertur verbis sequentibus.

Dum mea anima vehementibus, & efficacibus teneretur desiderijs, quæ illi

Deus inspirabat, ut se in omnibus, & per omnia conformaret cum divina ipsius voluntate, præsertim verò in ijs tam extraordinarijs, quibus eam Divina Majestas dignata est ducere, eidem omnimodè placeret, dixit illi summo affectu: Mi Deus, & mi Domine, etiã nunc mea anima, aut aliquando per vitæ meæ decursum, admittit aliquem errorem, vel fuit decepta in rebus internis, & extraordinarijs, quæ ipsi acciderunt, & indies accidunt? Quamvis enim Domine, hac in re non intervenisset ulla malitia, sed ignorantia, te id propter tua incomprehensibilia iudicia permittente, summopere nihilominus idcirco meum cor affligeretur, & angeretur. Audivit me Dominus, & gravissimè mihi respondit, dicendo: Veni huc, Anima, dic mihi: Etsætne magnopere mirum, si puella incipiens discere primos ductus acûs, eamque quàm elegantissimè tractare desiderans, nihilominus eadem pingendo erraret? hoc non esset curandum, nec magistra miraretur, neque etiam id puellæ exprobraret, postquam deinde adolevisset, ac profecisset in arte, dicendo illi: Dum esles parva, errabas, quando acupingebas, & non sciebas, quod scis modò. Sic itaque ego Dominus & Magister animarum non miror, neque mihi displicet, aliquam animam in initijs vitæ spiritualis errare, vel non intelligere aliquid eorum, quæ ipsi manifestantur, quando ex corde optat non errare, atque id assequi, ut cognoscat meas veritates.

Mea anima audivit, quod illi à suo Deo fuit dictum, & quia sibi existimabat innotuisse, quòd aliquando erraverit in ijs cognoscendis, quæ ei fuerunt manifestata, sui notabiliter contristata & afflictata, atque cõsistat Domino. Mi Deus & mi Domine, si ita est

est sicut mihi dicis, erravi interdum, & non intellexi te. Tum Ipsius Majestas mihi summâ authoritatē & gravitate respondit: Non erravisti Anima, neq; malè processisti, quia te jam inde à tuis principijs docui & rexi, egique tuum Magistrum. Quapropter nunc te prosterne, & agnosce promptè tuam miseriam. Relinquendo autem me Divina Majestas prostratam, manibus junctis, ac fronte & genibus terræ affixis, dispersit, ad magnam meam erubescenciam. Sic mea anima diu permansit prostrata, donec ad me venirent mei Domini Angeli, micque cum magna charitate, & commiseratione elevarent, & reponerent ad meum locellum, ubi rursus longo tempore jacui pudefacta, & erubescens. Interea conspexi quendam Angelum Dei ex supremis, qui, postquam ad me venit, magnâ mihi authoritatē & gravitate dixit: Anima, venio ad te nomine Dei, ut te doceam ac instruam, tibi que exponam, quid sit, perfectam habere resignationem. Hoc ergo, præterquam in cognitione, quâ anima debet esse prædita, de imbecillitate, miseria, & vilitate sua, consistit in eo, ut se tam profundè resignet in Dei voluntatem, ut, si ipse, propter arcana sua & incomprehensibilia judicia voluerit permittere, animam summè desiderantem bene procedere in cognitione rerum internarum & extraordinariorum, quæ ipsi fuerint manifestata, errare, sese tamen resignet in voluntatem; & permissionem sui Dei, non affligendo se nimirum tali eventû, & agnoscendo qualis sit sua ignorantia, cæcitas, ac miseria, cum quâ laboretur in multa & gravia peccata, nisi à Deo & Domino suo adjuvaretur, & præservaretur; pro qua misericordiâ ipsi magnas tenetur agere gratias. Id te oportet facere, & intelligere; nuhè vale. Ità discessit, replens me per hanc suam instructionem solatio (nam licet me Deus, ex sua bonitate, à meis inijs docuerit hujusmodi resignationem, jam tamen mihi hoc documentum admirabiliter & specialiter inhæsit) aliunde verò perseveravi in ea erubescencia & pudore.

Hunc in modum transegi propè bidu-

um, & Deus mihi ita constitutæ dixit aliquantum severè: Anima veni mecum; duxitque me sinè mora, cum aliquo meo timore, ad cœlestem Jerosolymam, & videtur mecum ivisse per omnes illos choros Angelorum, & animarum beatarum, acsi dispiceret locum, in quo me poneret. Tandem fui à Divina Majestate collocata in quadam altitudine, tanquam in medio illius sanctæ Civitatis, in sede admirabilè, quæ videbatur esse fabricata ex auro, ac pretiosis lapidibus, & mirè splendebat. Dum hic essem quasi in conspectu immensæ Essentiæ Dei, quæ se mihi representabat in specie ineffabilis Solis, vidi ex eo prodeuntes divinos radios, qui ferientes meam animam, reddebant ipsam splendidiorem auro & gemmis, eademque videbatur esse accensa flammis divini ignis. In hoc statu aliquamdiu permansi; deinde idem Dominus arreptam suis manibus meam animam posuit in loco longè inferiore, quàm fuerit prior situs, quia erat in infimo choro Angelorum. Dum se mea anima ibi esse adverteret (videbatur autem sibi esse instar catelli, sub tellis Dominorum & convivarum, comedentis miculas decedentes ex ea oppipara mensa) hoc solum allucente lumine, & radijs illius Divini Solis justitiæ sui Dei & Domini, agebat, ut videret quidquid posset: verum non poterat omnia videre, quæ desiderabat.

Hâc ratione mea anima diu quodammodo affligebatur. Inde autem fuit ducta à suo Deo ad immensam altitudinem, ubi ab ipsomet Deo circumdata, & intuens clarissimum speculûm Divinæ Essentiæ, agnoscebat illum, amabat, eodemq; fruebatur modo sublimissimo, & in divinâ quâdam caligine, cum anima non esset capax, ut tam mirâ omni claritate videret. Postquam id aliquamdiu egi, nescio, ab ipsone Deo, an operâ Sanctorum (hec enim hoc potui observare) fui ducta ad meum angulum.

Post unum diem (quem mea anima transegerat nihilominus quasi verècundando & erubescendo; ob id, quod illi initio, ex reprehensione sui Dei, venerat; mul-

multumque admitando res adeo stupendas) Dominus mihi cum eadem auctoritate & gravitate dixit: Anima, in hac visione tibi fuit triplex tuus status ostensus: primus in illa sede splendida, in qua te sedere animadvertisti, fuit figura intensorum & efficacium desideriorum; quæ habes, & à me accepisti, ut te in omnibus conformes cum mea voluntate, & assequaris meas veritates, sumè detestando omnem falsitatem & illusionem. Alter ille inferior, in quo te vidisti sub choris meorum Angelorum, fuit representatio vehementis, & non nihil pertinacis apprehensionis, quam habuisti, dum volebas, ut nunquam antehac quidquam habuisses, neque deinceps haberes in cognitione interiorum, & extraordinariorum objectorum, quod non esset, ac fuisset meum, purissimum, & immune à cuiuscunque alterius rei admixtione; in quo te reprehendi, tanquam minus resignatam. Tertius status, in quo te conspexisti elevatam ad tam sublimem cognitionis mei gradum, fuit figura illius status, in quo mansisti, postquam es reprehensa, humiliando te, & resignando in omnibus, & per omnia in meam voluntatem, ac permissionem, juxta meam sapientiam, & arcanissima judicia. Hæc est declaratio veritatis mysteriorum, quæ vidisti. Id mihi dixit Dominus: & quamvis, prout dixi, fuerim in meo angulo, nihilominus superiorem partem animæ advertēbam manere in ea altitudine, ad quam ducta fuerat à suo Deo. Ità exegi tres alios, quatuorve dies.

Illis præterlapsis, rursus mihi Divina Majestas dixit: Anima, veni mecum; & fui derepente ab hoc magno Domino ducta ad longè superiorem, quàm fuerit prior, ac sublimiorem altitudinem, ubi mea anima fuit immersa, & absorpta in eo immenso mari Divinæ Essentiæ, in qua illi sunt ostensæ res reconditissimæ, & altissima mysteria divinorum attributorum supremi ipsius dominij, ob quod ab illo dependet, quidquid existit, & existere potest, ità ut nihil reperiatur, à quo ipse dependeat. Atque cum tot ac tam diversa esse viderentur hæc attributa & magnalia,

quæ mihi omnia apparebant admirabiliter restricta in unum, cumque tam multa spectarentur ab anima, semper dicebam: Amplius est quàm hoc, amplius est Deus quàm hoc, infinita adhuc supersunt videntia. Ista visio duravit diu: subito autem audivi quosdam Angelos Dei, qui me vehementer urgebant ad abeundum, dicentes: Age Anima, jam est tempus hinc discedendi. Mihi id accidebat perquam difficile, & illi me denuò compellentes replicabant: Age tandem Anima, quia non potes diutiùs hinc manere; alioquin natura prorsus deficiet; necdum verò advenit tempus. Itaque me inceperunt deducere per septem gloriosissimos gradus, per quos me sursum fuisse hac vice, existimo ducta. Timui initio, & Dominus Majestatis venit ad me, ac dixit mihi: Anima, noli timere descensum; ego enim tecum eo, teque duco. Postquam per septem hos gradus descendendi, duxerunt me paulatim, & suaviter Angeli per easdem mysticas vias, quibus fueram ducta in ascensu, donec me tenerent in meo angulo.

Dum jam hic essem, atque talia hujus magni Dei opera mirarer, dicebam illi: Domine, quales sunt ij septem gradus, per quos me deduxisti, & opinione meâ sursum duxeras? Ità aliquamdiu mansi suspensa, & postea mihi Dominus dixit: Adverte Anima; noveris, septem istis gradibus, per quos ascendisti, ac descendisti, representari septem valde heroicis & sublimes virtutes, per quas animam oportet ascendere ad per sanctissimum statum, in quo te constitui. Primus gradus est symbolum intimæ, & profundissimæ cognitionis sui ipsius, quâ anima debet cognoscere suam miseriam, vilitatem, & egestatem. Secundus profundæ humilitatis, quâ se subjicit ac submittat omnibus creaturis, collocando se ad earum pedes. Tertius vilipendens omnium rerum creaturarum, quâ omnes pedibus proterat. Quartus significat amorem sui DEI & Domini super omnia. Quintus est figura puritatis & munditiæ, quam anima debet habere. Sextus est forma perfecti amoris Dei, ad quem animæ est anhelandum. Septimus significat totalem

talem resignationem, quam anima debet habere in omnibus & per omnia, in voluntatem sui Dei, ejusdem beneplacitum & permissionem, secundum altitudinem incomprehensibilium ipsius iudiciorum. Anima, hæc est clavis, quæ istud admirabile & excelsum solidarum virtutum ædificium occluditur. Ad illas autem exercendas, & nè per hos mysticos gradus labatur, magnopere expedit animæ, volenti pervenire ad apicem perfectionis, ut nunquam careat sancto timore sui Dei, juncto confidentiæ, solatio, & securitati in eodem Deo, quod tibi representavi in timore, cum quo descendebas per gradus, semper existimans, teque ipsam metuens, quod continuè descendas, & nunquam ascendas, ac nè ad unum passum in isto ascensu progrediaris. Tale est, Anima, hoc mysterium. Jam esto bono animo, & quiesce in me, ego enim tecum maneo. Benedictus sit semper hic Dominus. Amen.

Notetur istud scriptum: quia si attentè legatur (quamvis quedam illius verba videantur amplius significare) solummodo clarè ex eo colligitur, nisi fallor, ipsam fuisse à Deo redditam securam, quod nunquam erraverit, aut hallucinata fuerit, ut aliquando pateretur illusionem diaboli, & aliqua ex illius alloquijs haberet pro divinis, quod quidem non fuit exiguum privilegium. Non concluditur tamen inde, Venerabilem Marinam nunquam in alloquijs divinis aliquid minùs percepisse, aut aliter intellexisse, quam voluerit Deus. Forfan enim ex propria sua experientia, qua fuerit rara, didicit monitum, quod nobis dedit capite trigesimo quinto hujus libri. Undo cautè & prudenter, more suo, Pater Ludovicus de Ponte tantum dicit in admonitionibus, quas initio hujus capitis attigi, nunquam fuisse deceptam à diabolo. Progrediamur ad alia, in quibus eam Deus reddidit securam, quod ipse illam alloqueretur, eique tam singularia mysteria panderet, prout Venerabilis Marina refert.

Cùm essem perplexa, ignorans, quæ ratione id allequerer, ut congruè conscriberem, & exponerem tot ac tanta mysteria, quæ à Deo meæ pauperi & miserabili

animæ manifestabantur, meque non possem liberare ab hac afflictione, & perplexitate, Divina Majestas mihi peramanter dixit: Noli timere, Anima; scribis namque veritates: ego te illas docui, & ego loquor per te, profer eas verbis, quibus sciveris, & potueris; ego enim ipsas approbo tanquam meas, quandoquidem sunt tales.

Alià occasione, dum Divinæ Majestati magno affectu dicerem: Mi Deus, quis crederet tam admiranda, quàm sunt ea, quæ eveniunt meæ animæ, & hæc à te esse profecta? Dominus mihi respondit: Quomodo feci, ut alia hujusmodi crederentur, quæ meis Sanctis manifestavi? Verè tibi dico, gravissimas Ministris meis suppeteret rationes, & sufficientes causas, ut fidem tuis rebus adhibeant; & quod est ampliùs, me ab æterno decrevisse, ut crederentur. Hoc evenit in Augusto anni sexcentissimi vigesimi quarti.

Quadam vice, post peractam à me sacram Communionem (erat dies Dominica, decima Januarij, anno sexcentesimo vigesimo septimo) dum considerarem gratiam, quam Deus mundo præstitit, permanendo in hoc ineffabili & sacrosancto mysterio, abrepta à vehementi affectu, orto ex certitudine fidei, quam habeo de sublimissimo isto Sacramento, dixi: Sis benedictus Domine, qui non potes falli, aut nos fallere: sed neque nos possumus errare, quando audimus tuas veritates, iisque obtemperamus. Obsecro te, mi Domine, ut pariter nec ego decipiar, aut velim ullum decipere, neque per me quicumque decipiatur. Respondit mihi Divina Majestas: Optimè locuta es, Anima; ita fiet, & ego id, dato tibi pignore, firmabo. Vidi subito tres Divinas Personas in ea humana, & subtilissima specie, quam aliàs descripsi: quibus ad me accedentibus fuit apertum meum pectus, & conspexi in meo corde velut manum expansam, quæ significabat meum desiderium, cui singulæ Divinæ Personæ imposuerunt quendam quasi nummum ex purissimo & splendidissimo auro cufum (erat verò notabile, quòd mihi modo viderentur esse

D d d tres

Vita Mar. de Escob. Pars II.

tres nummi, modò unus) atque cùm illa manus se statim clausisset, omnes nummi penetraverunt meam animam, redundante effectu in omnes meas potentias interiores, eum in modum, quo suavissimus odor diffunditur per totum conclave, quamvis in uno solùm illius loco fuerit positus. Datâ autem mihi suâ sanctâ benedictione illico disparuerunt.

Sesquianno ante id, quod nunc scripsi, in fine Julij, anno sexcentesimo vigesimo quinto, similiter post sacram Communionem, vidi Majestatem DEI Domini nostri per visionem intellectualem, quâ, pro exiguo meo captu, cognoscebam quoddam Divinum & immensum Esse, unâque per visionem imaginariam conspexi manum ejusdem summi DEI, eo modo efformatam, ut, quod aliàs dixi, subtilitate multùm excederet manus, quas repræsentare solent Angeli, & Animæ Sanctæ, dum etiam assumunt figuram humanam. Hæc Divina manus tenebat digitis delicatum calamum. Conata fui, sicut aliàs, eâ conspectâ me abstrahere, & conversis meæ considerationis oculis ad Majestatem JESU CHRISTI Domini nostri, quem gerebam in meo pectore, ac paulò antè iumpseram, dixi illi: Mi Domine, cùm te realiter præsentem apud me habeam, siquidem te itâ modò suscepi, atque de hoc nullum sit dubium, nec esse possit, oro te per viscera amoris, quæ te pertraxerunt ad terram, pro salute hominum, & per viscera Virginea Sanctissimæ tuæ Genitricis, ut mihi largiaris lumen, ad agnoscendas tuas veritates, neque me ulla in re decipi patiaris. Taliter cum vehementibus affectibus petebam ab Ejus Majestate lumen, allegando illi alios titulos, simulque quàm poteram celerrimè, examinabam meam animam, considerando, an fortassis in ea reperirem aliquid discrepans ab hac intentione, & per DEI bonitatem nihil reperi, præter ardentiam, conformandi me cum sanctissima ipsius voluntate, & ejusdem in omnibus implendæ, desideria.

Tum vidi, quòd is Dominus DEVS

michi, cum ea imaginaria manu, appropinquaverit, & postquam meus Sanctus Angelus Custos extendit meum brachium ac manum dextram, Ejusdem Majestas calamo, quem habebat inter suos digitos, formaverit in extremitatibus meorum digitorum quasdam cruculas, proferendo certa verba, quæ ego non intellexi. Eram valde perplexa, & quodammodo verecundabar, ac tergiversabar: quia talibus occasionibus, si quâ ratione possum uti meâ libertate, semper his rebus extraordinarijs, repugno, propter ingens desiderium, cum quo vivo, ut divinam voluntatem assequar viâ ordinariâ fidei. Interea unus è meis Dominis Angelis, qui stabant ad latus meum sinistrum, ad me accessit, & extendens brachium ejusdem lateris, cum quadam violentia, quasi reprehendendo has meas tergiversationes, aperuit meam manum, in cujus vola Dominus formavit aliam crucem. Deinde vidi JESVM CHRISTVM Dominum nostrum, quâ hominem, provolutum in genua, petentem à Majestate Triunus DEI gratiam, ut omnes, quos attingerem meâ manu, curarentur à quacunque infirmitate, quam paterentur, nisi id obesset sanitati eorum spiritali, ac salutari animarum; quod Deus benignissimè concessit, atque ad me conversus mihi dixit: Utêris istâ gratiâ, ubi pro ipsius usu habueris inspirationem, & serva hunc favorem pro te, tuisque Confessarijs. Mea anima egit gratias pro hoc dono, æstimans illud & honorans, interrogavi tamen: Mi Domine, si à meis Confessarijs jubear super quempiam ægrum manus imponere, quid mihi est faciendum? Opus erit, respondit Dominus, ut id bene considerent.

Desiderabam scire, quid significarent illæ cruces, quibus Dominus signaverat meos digitos, & rogavi Ejus Majestatem, ut mihi eam declararet, verùm subito rem melius expendens, meque resignans in sanctissimam ipsius voluntatem, cui me nolle scire quidquam, sed velle me committere sanctissimis ejus manibus, & in omnibus, ac per omnia facere, quid-

quidquid ipse vellet. Dominus, qui hætenus tacuerat, magnum demonstrando amorem, respondit: Jam tibi id dicam, inueniens mihi, quantopere sibi illa resignatio placeret, seque propter eandem respondere meo desiderio. Petis à me lumen, ut te in omnibus conformes meis veritatibus, & voluntati. Ego tibi illud dedi, posuique in tuis manibus, significatum

per cruces, quibus eas signavi. Quapropter, sicut qui fert lumen in manibus, dum illo utitur, non aberrat à via, neque cadit, aut cespitat, ita tu cum eo, quod tibi à me datum est, bene progredieris in meis vijs, & implebis meam voluntatem, quod est tuum desiderium. Ipse sit in æternum benedictus.

Amen.

CAPUT XLII.

Sanctus hujus Virginis timor, & quomodo à DEO reddita fuerit indies magis secura.

Quiscumque hanc historiam attentè ab ejus initio legerit, obseruauerit quoque, paucissima esse folia, in quibus Venerabilis Marina non meminerit timorum, quibus semper angebatur, utrum gratia, quas consequeretur, essent profectæ à Deo, atque an assequeretur diuinam voluntatem; qui omnes timores oriebantur ex ijs duabus præcipuis virtutibus, quas plurimum vegetas & radicatas in purissimo suo pectore habebat, profunda nempe humilitate, quæ se quocumque favore iudicabat indignam, & ardenti charitate, quæ summè optabat unicum beneplacitum, & gloriam sui Dei. Licet vero illam Divina Majestas frequenter iuberet esse securam, ac durante eo actuali lumine, omne nostra Virgo deponeret dubium, essetque anima ipsius serenissima; nihilominus disparentibus ijs radijs, timores reuertebantur vehementiores: tam longe enim ab amantiſſimo Deo nostro aberat, ut ipsam simul ac semel ab illis liberaret, ut potius, tanquam id summi ad majorem ipsius spiritus progressum foret momenti, eosdem permiserit profundiores agere radices. Et quod est notabilis (prout multis antea locis scripsimus) hoc illi signum, se esse, qui ipsam regeret ac alloqueretur, dabat, quod isto sancto timore, & circumspectâ castelâ nunquam esset caritura.

Ne autem ullus miretur, cum perfectâ charitas expellat omnem timorem, illum tamen per totam vitam duravisse in Virgine, quæ

fuit purissimum quoddam probatissimorum Dei amorum archyuum, proderit scire, quod etiamsi perfectâ charitas, omni se expoliet timore servili, ita nihilominus amplectatur timorem filialem, ut illa nihil evadat auctor, nisi eam iste pariter comitetur. Et quia istud est quodammodo fundamentum omnium, qua nostra Virgo in sua vita refert, iudicavi, non solum lecturis esse utile, verum etiam pro tam admiranda historia necessarium, breviter hic perstringere, quæ sacer textus, & Sancti Patres dixerunt de hoc filiali timore istius meticulousè reverentiæ, quæ inseparabiliter unitur amorì, unde agnoscat, quam secura fuerint via, quibus DEUS hanc suam sponsam duxit.

Hic igitur castus timor est ille, à quo Sancti ajunt nihil admitti reliquiarum ullius rei terrena; timor sanctus, qui à Davide celebratur tanquam manens in secula seculorum, eod quod, licet non quoad omnes, secundum aliquos, tamen suos effectus duraturus sit per totam æternitatem in Animabus beatis. Isto, in quantum est amabilissima reverentiâ, & omnimoda resignatio in subjectionem, quam creatura debet suo Creatori, dicuntur timere Seraphini, ac tremere coram Divina Majestate. Non est amor, quia necdum rem amatam securè possidet, multum nihilominus habet amoris, quia totus occupatur veneratione & honore objecti amati. Atque sicut hic interdum surculus, qui ramo cuiuspiam stipitis inseritur, producit fructus diversos à cæteris, qui in eadem arbore crescunt, sed ita ut semper sapiat radicem, cui

fuit infertus; ita regio charitatis trunco videntur inferi, nescio quales, timoris affectus, qui colore, ut sic dicamus, odore, & sapore semper demonstrant generosorem se habere originem, solumque amorem esse radicem, ex qua progignuntur.

Metuunt anima sanctiores, quamdiu degunt in hoc exilio, non pœnam, quam possint incurrere; sed culpam, cuius exponi possint periculo: non coërcet illas timor supplicij; sed odium sanctum peccati. Noverunt se in eo adhuc versari statu, ut possint offendere suum Deum, timētque etiam minimam umbram tam terribilis executionis: & dum cognoscunt amabilitatem sui Domini, atque fragilitatem nostræ naturæ, oritur inde tam peregrina speciei affectus, ut, cum is respicit Deum, totus videatur amor, totusque appareat esse timor, quando nostram respicit imbecillitatem. Exardescit, licet, anhelat (quæ omnes sunt qualitates amoris) dum considerat summam bonitatem, à qua abripitur: congelascit, obscuratur, & reformidat (quæ sunt naturalia accidentia timoris) dum expendit lubricitatem nostræ conditionis. Sufficeret ad privandos vitæ Jusus & perfectos afflictio ex eo proveniens, atque id quod metuunt de seipsis, nisi ad illos in confidentia confirmandos superesset vigor, quo se experiantur confortari à Deo.

Non metuunt perdere bona æterna, quæ ipsis ab hoc Domino promittuntur, quia unicuique suum bonum arbitrantur esse ipsummet Deum: sperant præmia, non tamen ambiunt; æquè illa conantur promereri, tametsi scirent minimè sibi esse conferenda. Volunt gloriam cœlestem, ut in ipsis augeatur gloria Dei, tantumque noverunt timere, nè illam non obtineant, quia illis constat, eam à Deo libenter donari: cognoscunt (ac propterea illum magis amant) nihil aliud à suo Deo spectari, quam ipsarum commoda propria, metuuntque solummodo nihil sibiipsis lucrari, ut ne earum dilectus ullam patiatur jacturam. Hoc duntaxat timent, nè non obtineant, & non consequantur, magis ac magis ipsum stringendo, nexum illius unionis, quæ unus efficiantur spiritus cum suo Deo: & quia unio est duorum extremorum, ardentissimè desiderant, ut, quantum fieri potest, illa tam stricta unio conversatur in unitatem, fiatque non tam totum

ex partibus, quam carens partibus totum simplicissimum. Timent, nè in hac arctissima unionem admisceatur vel minima atomus, quæ sit minus generosa; quia cavent, instar imperfectionis, appetitum, ut Deus sese ipsis uniat, & non potius ipsa uniantur Deo: atque licet non possint non possidere, dum possidentur, scient suo affectu collimare ad meliorem scopum, voluntque tantum esse possessio dilecti, non verò, ut ipsarum possessio sit dilectus.

Quomodo vocari potest timor, qui tot purissimi amoris est præditus perfectionibus? ipse est absque dubio amor timens, timor amans, qui se sponte subjicit; trepidat sine violentia, patitur sine coactione, & absque metu conveniscit. Hujus generis erant timores Venerabilis Marinæ, quæ non formidabat abjectè, nè sibi seu infligerentur pœna, seu negarentur præmia, sed nè in accuratissimo obsequio sui Domini, in quærenda purissima gloria sui Dei, quidpiam admisceatur, quo sinceritas ipsius affectuum vel minimum obscuraretur. Progrediamur jam in recensendis, quæ ipsa de ipsis suis scribit timoribus, & modo, quo eam Deus reddebat securam, quin tamen eosdem illi unquam penitus auferret. In charta quadam anni sexcentissimi vigesimi quinti sic ait.

Mea anima aliquando mane eliciebat intensos & vehementes affectus, dum eisem constituta coram meo Domino, quibus Divinam Majestatem rogabam, ut mihi ex sua bonitate largiretur lumen, pro cognoscendis suis veritatibus, meque dirigere ac illuminare in tam extraordinarijs vijs, quam sunt istæ, quibus me ducere est dignatus. Ut verò hanc obtinerem gratiam, obtuli eidem magno Deo me ipsam, meum cor, ac vitam, & quidquid possidebam atque acceperam ab immentia ipsius liberalitate; offerebam me ei in mancipium ipsius, & proponebam sincerissimè vitæ meæ emendationem. Interea oriebat in me quædam confidentia, me obtenturam, quod ab eo petebam. Dum sic essem comparata, audivi Dominum mihi dicentem: Quid habes, Anima, quid letis, cur conquereris, quæ est causa tuorum timorum? Adverte, certum esse, te bene progredi, & esse impossibile, ut possis errare in via, quâ te ego duco.

Intuebatur mea anima fixissimè Dominum, quasi attentè auscultans, dum id diceret, qui cum summo amore & affabilitate continuò subjunxit: Quid aspicias Animam? quid aspicias? Ego sum qui tecum loquor, ego sum tuus Deus & Dominus, habeo in me solarium, & sustineo crucem tuorum timorum: sanctus namque meus timor manet in æternum, quoad suum fructum; & sufficiat tibi gratia mea, quemadmodum dixi Paulo, ac progredere viam rectam meæ voluntatis. Atque si tibi, propter tuos timores, facere videris cum quapiam obsecratione, quod à me juberis, ideòque affligi in tuis gravibus negotijs, alienis à natura, & propensione, quam tibi dedi, vellèsque potius cessare & quiescere, si ego vellem, tæque non inflammarem charitate erga me, & proximum; verè dico tibi, neminem casurum, neque cespitaturum, qui portatur in brachijs à forti, & fertur à lumine; nec erraturum, qui arduam viam, totumque habente anfractus, non ambulabit festinanter & inconsideratè, sèque comitem adjunxerit sancto timori, cujus est considerare, ubi primum unus, ac deinde alter pes figatur. Anima, judicia mea sunt occultissima atque altissima, & duco, ac dirigo animas diversimodè, & per diversos status: tu autem in ijs, quibus te duco, & in meo sancto timore, confide meæ bonitati, & misericordiam, atque cum Abrahamo spera in me contra spem, & exequere, quod tibi mando. Noli dicere, non oportet me quidquam loqui; quia loqueris, quidquid tibi injunxero: ego enim ero tuus dux, ac tua lux, ego tecum manebo. Quod si necesse fuerit, portabo te apprehensam uno capillo, ut feras cibum degenti in lacu leonum. Considera, quomodo mea Justitia, ob causas, quæ illi præbentur, festinet ad vindictam, & mea Misericordia ipsam cohibeat, propter hominem, quem redemit: ita suo modo tecum agitur, & tuus spiritus, videns malam quorundam dispositionem, dicit intra se: Nolo quidquam loqui. Subitò autem zelus gloriæ Dei, & ingens desiderium salutis animarum te compellit, ut rursus dicas: Debeo loqui, quod intelligo ex meo

Deo. Anima, omnia ista injunguntur, ut negotium non evadat deterius, & nè cogar ad puniendum: contineo me, & progredior pedetentim, etiamque te cohibeo, usquedum jam loqui oporteat. Sic fit, Anima, tamen tu id non percipias, neque ego tibi omnia manifestem, quia sic fieri convenit. Hæc omnia evenerunt meæ animæ agenti cum suo Deo in ista communicatione, qui, propter impenetrabilia, & altissima sua judicia, sit millies benedictus. Amen.

In Januario anni sexcentesimo vigesimo septimo, quadam à Venerabili Marina annuuntur, ex quibus manifestè colligitur humilis timor, quo semper suscipiebatur, se parum proficere, agnoscens se dignam omni animadversione, & sic loquitur.

Feriâ quartâ, peractâ sacrâ Communionem, vidi Dominum in mea anima sub speciebus sacramentalibus, & subitò adverti venientes ad me sex Sanctos Angelos. Ijs conspectis cæpi in animo meo dicere: Quid modò volent isti Domini? quid venirent, ad me castigandam, propter malam præparationem, quâ suscepi Divinam Majestatem? O quam bene facerent! Appropinquabant mihi, & ego aliquantum turbabar. Non erat autem turbatio ita conjuncta timori, ut adferret inquietudinem; sed qualem experior, dum aliquid novi contingit. Videns me Dominus, qui erat intra meum pectus, taliter constitutam, dixit mihi: Noli turbari. Sancti autem illi Angeli accedentes ad Eiusdem Majestatem, sèque profundè coram eo inclinantes, audiverunt reverentissimè & attentissimè quod ijs ab ipso dictum fuit. Ego id non intellexi, nec vidi, quoniam fuerint profecti: vidi solummodo, quòd accepto mandato se diviserint, incundo diversas vias. DEUS sit benedictus.

Notabilis est, quod huic Virgini, mense Martio anni sexcentesimo vigesimo octavi, accidit, & his verbis ab ea refertur.

Dum magnis cum affectibus orarem; ut me divinæ conformarem voluntati, rogarè inque Deum, nè me permetteret errare, atque id tam impensè agerem, ut de-

ficerem viribus, apparuit mihi Sanctus Angelus, qui mihi dixit: Anima, quid habes? cur affligeris, & quid times? Respondi, exponendo illi, quid optarem, ac peterem à Deo; recensui ipsi afflictionem, quam mihi adferebant mei timores, quòd metuerem, nè errarem, ac deciperet in adeò extraordinaria via, qualis est, quã duceret à Divina Majestate. Sanctus Angelus me animavit, solatusque est, ac dixit mihi nomine Dei, me nunquam ab ipsius misericordia deserendam esse, neque Ejus Majestatem à me recessuram; atque in hujus rei signum, adjecit, tibi adfero cimelium, quod tibi mittit magnus Deus noster. Tum exemit ex sinu crucem, quæ magnitudine æquabat palmum, in cujus ovalibus oculamentis, ac si fuisset crux facta pro reponendis in ea sacris reliquijs, erant vivacissimè expressa mysteria Dominicæ Passionis, non tanquam depicta, sed alio modo, quo genuinè representabantur. Erat crux tecta nigro velo, quali tegi solet feriã sextã in Parasceve. Accessit autem ad me iste Sanctus Angelus, & imposuit illam intra meum pectus, cepitque crux statim in me mirabiliter coruscare, & evibrare ingentes radios. Fui magnopere animata & recreata. Deinde mihi Sanctus Angelus dixit, illud velum esse symbolum angustiarum, quam patior in cruce timorum, relicta mihi à Deo, inter gratias & favores, quos ab illo consequor. Ipse sit benedictus.

Eodem mense, & anno, cum instanter orarem, atque duo specialiter intensissimo affectu à Deo peterem, eã tamen mente, quam semper habeo, ut à Divina Majestate fierent, si cederent ad ipsius gloriam, & bonum animarum; audivi Dominum, quasi me vellet consolari & pacare, mihi dicentem: Bene est, Anima, bene est, fiat quod dicis. Hoc audito, me ceperunt mei timores vehementer impetere. Contuli me ad viam ordinariam, quam nos docet fides, rogando Deum magno conatu, & affectu, ut me per suam bonitatem illuminaret, unde assequerem, quo illum cognoscerem, & soli viæ veritatum ipsius insisterem. Tum rursus Di-

vina Majestas mihi dixit: Veni huc Anima, quid times, & quæ est causa tuarum afflictionum? Dic mihi, quæso, si ad te veniret anima ita constituta, sicut est tua, & quæ id haberet, quod tibi dedi, quid illi diceres atque svaderes in hoc tuo presenti negotio, & alijs hujusmodi? Ego si lebam, audito Domino, & non occurrat mihi, quid responderem. Dominus insistebat suæ interrogationi, & compellebat me ad sibi respondendum, inquit: Dic Anima, responde his, quæ tibi à me dicuntur. Tunc ab ipsomet illuminata respondi: Existimo, mi Deus & mi Domine, me dicturam animæ ita constitutæ, sicut dicis, talem animam, dummodo serio desiderio, & puro affectu ferretur, ad explendam in ijs vijs, & exequendam voluntatem sui Dei, atque aliquin obtemperaret in omnibus suo Confessario, bene ac securè procedere. Bene dixisti, subjunxit Dominus; ideòque te interrogo, quid habeas rationis, ut postquam tibi hoc ipsum dedi, tantopere metuas, quemadmodum metuis? Mi Domine, respondi ego, bene est: verum si dicam Arbitro meæ conscientiæ: Pater, hoc & hoc mihi dixit Deus, ipse id credit, quia ei videbitur esse verum, eò quòd sibi à me non dicatur mendacium: attamen ego misera timeo, an te intelligam, & noverim, mi Deus. Audi Anima, aiebat de novo Dominus, quando idem quod mihi dicis, aperuisti tuæ conscientiæ Arbitro, qui te tot annis, ac tam bene novit, atque ipsum interrogavisti, quid tibi dixit, & quid tibi respondit? Mi Domine, respondi ego, respondit mihi, se, quanquam mihi crederet, quando illi id dicebam, non hoc tamen solo moveri, sed quòd alias haberet specialissimas, & gravissimas rationes, atque causas, ad intelligendum ac judicandum, Deum esse, qui me alloqueretur, séque mihi communicaret. Ita mi Deus, mihi Arbitro meæ conscientiæ respondit.

Quandoquidem se res sic habet, Anima, conclusit Dominus, atque tu cum omni simplicitate sectaris veritatem, quid times? Bene progredieris Anima, & securè.

Ob
pler
a m
ribi
affli
tin
au
conc
non
bus r
diens
maru
me co
fimi,
sunt i
peccell

Obſerva autem, dum putabis, non impleri ad literam, & prout ſonabat, quod a me petiſti, ſicut in caſu præſenti, ubi tibi dixi, ut fiat quod petis, non debes affligi, neque nimum timere, vel ſtatim cogitare, fuiſſe illuſionem, id quod audiviſti, aut intellexiſti; ſed credere, concedi tibi, quod petis, quamvis à te non percipiatur: ſemper enim vis in talibus rebus, ut faciam, quod fuerit expediens ad meam gloriam, & ſalutem animarum. Judicia mea, & modi, quibus me communico animæ, ſunt multi, altiſſimi, & occultiſſimi, neque à vobis poſſunt intelligi, aut penetrari: ac proinde necesse tantum eſt in me confidere, qui

non poſſum fallere diligentes me, mihiq; ſervientes, atque ita pacato eſſe animo, & in me conquieſcere.

Hoc mihi iſtâ occasione evenit agens cum DEO, quocirca habui in ipſo ſolatum, & fui confortata, agens illi infinitas gratias, pro ejuſdem miſericordia. Retuli eventum, ac documentum iſtud Arbitro meæ conſcientiæ, quod is approbavit, dixitque, me bene procedere, & nè mutarem meum ſpiritum, utque progrederer, quâ me Deus ducebat, & contrarium exiſtimarem eſſe tentationem, ac tanquam tale à me repellerem.

DEUS ſit in æternum benedictus.



LIBER